UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

urn:nbn:de:hbz:466:1-64973

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sum ex libris

N
1
17

Th. 5008.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Grave dissidium exarsit
Testatore [illegible]
primo [illegible]

Hujus libri possessor est
Philippus Wilhelmus Besserer ús
Meisenheimensis anno 1662
die 22 Januarij Cassel.

Omnia cum Deo & nihil sine eo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sum Philippi Wilhelmi Bernardi.

VNIVERSALIS
HISTORIÆ ECCLE-
SIASTICÆ

MEDVLLA.

*EX VASTO ET VA-
rie diſiecto tot ſanctorum Patrum,
Theologorum, & Hiſtoriæ Eccleſia-
ſticæ Scriptorum Corpore iuſto
ordine concinnata*

Studio & labore
DANIELIS PAREI.

Johann. Georg. Bessereu.
Societ Jesu Paderb

Francofurti,
Impensis GVLIELMI FITZERI Librarii Angli.

M. DC. XXXIII.

Arnob. lib. II. pag. 110.
Religionis auctoritas non
est tempore aestimanda,
sed Numine: nec colore,
quâ die, sed quî capere
res, convenit inueri.

Admodum Venerandis, Clarissimis Doctissimis viris: François de Conty

Ecclesiæ IESV CHRISTI, quæ colligitur METIS Gallorum, Antistitibus & Pastoribus: Theophilo Cantonio.

Patribus omni cultu mihi obseruandis: Paulo Feruio. Gedeoni Mussatto.

Salutem à *Patre* cœlesti in Domino *Iesu* per *Spiritum sanctum* precatur

DANIEL PAREVS.

POSTQVAM imperuestigabili Dei indultu efficaces errores illibatam Ecclesiæ IESV CHRISTI doctrinam velut fermento quodam ita infecerunt, vt æterna Dei veritas immutata fuerit in horribile sathanæ mendacium, nullum magis idoneum fucandis suis

fraudibus glaucoma reperiſſe ſe ſperarunt falſitatum illi architecti, quam venerandum ANTIQVITATIS inſigne, ſub quo deteſtanda quæque βδελύγματα tamquam impietatis ſuæ mantelo aliquot jam ſæculis occultare confiſi ſunt. *Hic eſt mos Diabolicus*, inquit Auguſtinus (quæſt. 114. Nov. & Vet. Teſtam.) vt per ANTIQVITATIS *traducem commendetur fallacia.* Obſeruat morem hunc ſpuria Eccleſia hodie ROMANA, quæ quamprimum aſtu ſoluti ſatanæ devirginata fuit, atque à caſtimonia veteris illius Romanæ Virginis nefando modo degenerauit, nullo alio ſcuto, quam præſcriptione longinqua temporis, in qua ſtupendæ falſitatis ſuæ monſtra de manu quaſi in manum Romanenſibus impoſtoribus contradita fuerunt, ſeſe tueri ſolet, ac tum belle

ſecum

secum agi gloriatur, si sub larua ista in Templo Dei ferocem se facere quita sit. Atqui ô vere miseros mendacij amasios! Suo profecto ipsi se iugulabunt gladio. Est ANTIQVITAS alia veritatis, alia mendacii. Hanc illi dum admirantur, & propugnant, ab altera graphice conficiuntur. VERITATI namque, ait Cyprianus (Epist. 74. ad Pomp.) *nemo poterit præscribere, non spatium annorum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum.* Et luculente Ambrosius ad Symmachum paganum (Epistol. 32) *Messis nostra FIDES est, quæ ab ORTV mundi manebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos. Explosa igitur ea opinione, quæ ante conualuit, id quod erat VERVM, iure prælatum est.* Sed longe apertius Basilius Magnus (in libello de fide) sic loquitur: *Nobis nihil ex*

noſtro arbitrio INDVCERE *licet: ſed nec eligere, quod aliquis de ſuo arbitrio elegerit. Apoſtolos Domini habuerunt authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod* INDVCERENT, *elegerunt: ſed acceptam à* CHRISTO *diſciplinam fideliter nationibus aſſignauerunt.* Proferam adhuc teſtem huius ſententiæ multo antiquiorem, multo digniorem Apoſtolum Iudam Lebbæum, qui (in Epiſt. verſ. 3.) nos jubet *decertare pro* FIDE, *quæ* SEMEL *tradita eſt ſanctis.* Hac inſuper mente, & non alia, ANTIQVITATIS maieſtatem tam ſplendide olim Vincentium Lyrinenſem, quem pro Achille toties nobis objectant Romanenſes Marani, collaudaſſe certum eſt. *Ea*, inquit, (libr. aduerſ. hæreſ. cap. 3.) *eſt vera* FIDES, *quæ oſtenditur fuiſſe* VBIQVE *in tota Chriſti vniuerſali Eccleſia, quæ*

ab

ab OMNIBVS communi consensu, & SEMPER fuit recepta, credita, admissa.
Non est mihi animus hoc proloquio tenuiter persequi singula nouæ fidei nunc-Romanæ mendacia decreta. Alius id & loci & temporis fuerit. Euincet modo illorum detestandam vanitatem omnis HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ concatenata series à primordio Veritatis cœlestis ad detectum vsque mysterium iniquitatis Babylonicę. Inde luce meridiana clarius patescet, quæ fuerit fides semel tradita. Nostrane illa vera & tuta, quæ in CHRISTO IESV cultores suos beatos reddit: an deuia & falsa altera, qnæ technis Antichristi excogitata præcipites assecla agit in perditionis abyssum. Nusquam dico euidentius intelligi poterit, vnde defectionis Romanensis momenta prima an in-

crementa petenda atque demonstranda sint, atque ex HISTORIA ECCLESIASTICA. Hinc namque hæresium quarumcumque atque ἐτεροδιδασκαλιῶν incunabula dignosci poterunt conueniẽtissime. Hinc liquido constabit veritas effati Hegesippiani apud Eusebium (libr. 5. cap. 26.) quod ad tempora vsque Trajani canon seu regula salutaris prædicationis, verbum, inquam, Dei incorruptum conseruatum sit: adeoque Ecclesia Virgo munda & immaculata permanserit, corruptoribus Veritatis, & diuini Verbi temeratoribus aut nusquam omnino exstantibus, aut etiam si qui forte an fuerint, in occultis & abditis hiatibus terræ delitescentibus. Scilicet Apostolico choro, omniq; illa ætate, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce pro-

ce propudioſe deſciſcente, tunc vel-
ut in vacuam domum falſę doctrinæ
impius ſeſe error demerſit, & tam-
quam vbi nullus iam diuini cenſus
defenſor, corripientes arma menda-
cij oppugnare Apoſtolicam verita-
tem pertinaciter annituntur. Agite
ſultis, Romanenſes Myrmillones,
Antiquitatis hanc galeam quoad
vultis obuertite, & è veſtigio eodem
clypeo capite vos ſiſti perſentietis,
vulnuſque maius quam daturi eſtis,
in præcordijs veſtris indipiſcemini,
profligatique protinus ceu fulmine
entheo toti toti occidetis. Pugnandi
hæc corroborata fiducia iſtum apud
me concitauit animum, vt intrepide
in vnum velut faſciculum colligere
anniſus ſim vltimæ Antiquitatis lon-
ge lateque diſperſæ amabilem ordi-
nem, quem in tam ſuccinctum ma-

nipulum primore hac mea cura, donec ætate, otio, rebusque alijs meis commodo ferentibus illustrius aliquod opus quondam à me condatur, nunc quidem concinnare studui. Atque hoc tirocinij mei specimen in Paternitatis vestræ sinum cur demisso animo deponere cogitarim, nolim vos vel mirari, vel adeo causas alias anxie à me efflagitare. Equidem vere vobis affirmo, Patres venerandi, calcar huius curriculi à vobis mihi primitus impactum fuit. A vobis autem? Testabitur vtique id lubens volens, nisi fallor, Reuerendus Dominus Colonius, Symmysta vester conjunctissimus, meamque hanc compellandi fidentiam vltro vobis explicare beniuole haud grauabitur: imo adeo benignissimæ huius suæ προθυμίας ὕδεγμα innocenti huic vestibulo Historiæ

ſtoriæ meæ publicitus appendere nullus dubitaui, illius affectus ſui in nomen Pareanum, adeoque me ipſum, locupletiſſimum teſtimonium, eruditiſſimam illam & delenificam epiſtolam ad parentẽ meum de ſtudiis meis cui-cui-modi amico animo perſcriptã. Enimuero lubens fateor, numquam me eouſque alas paruitatis meæ libraturum fuiſſe, vt in tam arduum, ipſoque Euſebio teſte, difficilimum laborem me conferrem, quippe & ætatis meæ & Eccleſiaſticæ ἀπειρίας memor, niſi hoc heniucho tam prodiui tam indulgenti orbitas impeditæ huius viæ me inſiſtere poſſe in animum induxiſſem: poſteaquam videlicet tam proſpere ſucceſſit primus ille meus conatus in contrahendo vniuerſalis HISTORIÆ PROFANÆ adæque diffuſo corpore.

Accedebat & aliud instituti huiusce mei ἐλκυστικὸν, rerum inquam mearum subitanea facies, quæ vna cum publica contritæ patriæ nostræ fortuna quasi ἀπὸ μηχανῆς nunc nuper in melius conuerti visę sunt. Nimirum exercuit nos, vti recordamini, plurium annorum tristissima Ate, quæ in diuturno ac perturbato exilio omnes Musarum lubentias, omnia gaudia, omnemque hilaritudinem nobis plane expectorauit, ac nihil nisi diuidias & cordolia creauit. A rabie ista immani Anti-Christiana Ecclesiam Iesu Christi anhele gementem supremus malorum Auerruncus liberare nuperrime occæpit, instaurando cultui suo concesso Boreali illo Cyro, qui populum Dei juxta cum Dynastis & potestatibus à Romana Meretrice misere subjugatis, ac tantum

tum

tum non crudeliter oppreſſis, in templum Domini reducat. Inter quos & Herus meus Sereniſſimus auitis ſuis territoriis ab Iberica tyrannide barbare contra diuina humanaque jura ſpoliatus, in Domino caput rurſum extulit, gauiſuſq; vnice fuit, nouam ſibi copiam virtute Dei concedi inſtaurandi Iſraelem. Quo zelo repurgandi Eccleſias ſcholaſque, ab peſtilenti fermento Babylonico inſanum quantum vitiatas, dum flagrat religioſiſſimus Princeps, me quoque clementiſſime nuperrime euocatum voluit Seminarium nouum Lutreæ ſuæ pro gratia mihi à Deo conceſſa recens plantare, juuentutemque antiqua pietate, linguis liberalibuſque artibus, ſub irreptitia noua Idolomania prodigialiter pulſis, rurſum imbuere. In hac igitur veſtra vicinia

prȩteritorum annorum memoria aurem mihi vellicauit, è veſtra Eccleſia identidem nouas plantulas in Vrbis huius φυτωτήριον fuiſſe ſubmiſſas, in quo animulos ſuos & vera pietate & liberali doctrina morumq; commoditate informare quirent. Nouam hanc prouehendę juuentutis heic iterum patefactam commoditatẽ quin Paternitatibus veſtris hoc tempore inſinuarem, pro ſingulari cultu in vos meo intermittere non potui: veſtras Paternitates humiliter orans, vt hanc meam προσφώνησιν æqui bonique conſulatis. Dominus Ieſus regat vos Spiritu ſuo ſancto, veſtriſque laboribus copioſe benedicat, repleatque omni & ſpirituali & corporali benedictione. Lutreæ Palat. a. d. Eidd. Septem. 1632.

THEO-

Johannes Henricus Besserus. 1649.
Johannes Balthasar Besserus. 1645
Philipp Wilhelm Besserus 1647

THEOPHILVS COLONIVS

Ecclesiæ Metensis Pastor

Viro Clarissimo

PHILIPPO PAREO

Dav. Fil.

Salutem à Domino.

REuerende, Clarissime Domine: Cum nuper ad Dn. Rotarium, fratrem & amicum honorandum, literas darem, ipsum tibi plurimam salutem meo nomine vt impertiretur, rogaui. Ex cuius responso cogno-

cognoui, hoc officio illum probe defunctum: quod sane mihi gratissimum fuit: præsertim cum tibi significarit, mihi vehementer probari doctissimi filij tui labores, summoque apud me esse pretio librum eius, cui titulus est Medulla vniuersalis historiæ profanæ. Ipsum præterea rogabam, vt illi suaderet historiam Ecclesiasticam eadem methodo comprehendere: ex cuius litteris video, Deum hunc animum illi indidisse, in eaque valde iam esse prouectum: vnde maximam percepi voluptatem, adeoque gestio, auideque exspecto hoc opus. Primus eius labor cum plausu exceptus est, eique Deus benedixit: spes est igitur fore, vt hic secundus eundem sortiatur exitum, imo feliciorem: quia in Historia Ecclesiastica multa sunt consideratione dignissima, vsuque præstantissima. Quin etiam hoc pacto tum opus Deo gratum præstabit, tum sibi decus

nomi-

nominisque celebritatem magis ac magis apud doctos conciliabit. Hunc meum candorem scribendique libertatem, quæso æqui bonique consulas. Abs humanitate tua hoc vt impetraturum me confidam, efficit recordatio honorifica parentis tui p. m. cuius discipulum me fuisse glorior, cum è Collegio SAPIENTIAE promoueretur, vt succederet in locum Doctoris KIMEDONCII, quem etiam docentem audiui. Tecum familiariter versari mihi datum non fuit, te tamen vidisse, audisse publice in Academia disputantem Heidelbergæ & Basileæ, quoad viuam, iucundam conseruabo memoriam. Dei eximia in te dona colo. Seruo in Museo plurima monumenta ingenij tui. Habeo similiter parentis tui τοῦ μακαρίτου opera Theologica, quæ in oculis fero, ex quibus nihil mihi deest, præter Commentarium in sanctum Matthæum, quem

enixe

enixe expeto, futurum mihi ex vsu non mediocri, Evangelium S. Marci in hac Ecclesia exponenti: sed haud scio an seorsim vaneat à cæteris eius operibus, quæ coniunctim curasti excudenda. Cæterum ad honorandum Dominum filium tuum vt reuertar, te etiam atque etiam rogo, vt hæc epistola ipsi tradatur legenda, eique significes, me paratum esse ad omnia officia ipsi deferenda, & præstanda. Eadem tibi, Reverende vir, offero, quem suspicio tum ob præclaras animi dotes, tum ob nomen, quo decoraris: adeo vt tuis parere mandatis semper gratissimum mihi fuerit: quod reapse experieris, quando experiri cunque placuerit. Interea DEVM O. M. supplex veneror oroque, vt nouis subinde benedictionibus te tuosque locupletet, tibique omnia

prospe-

prospera & felicia cumulatissime largiri
dignetur. Dabam Metis a. d. 18. Se-
ptembr. 1631.

Philas ἐγεκα τῆ. Δαυειδ

τὰ ἀνω Colos: 3.

Philippus Guilielmus Bessere
zy. Meisenheimensis Anno
1660. die. 4
Julij

DANIEL

Omnibus in rebus mihi. S. adsit
Deus quo possim placere semper deinceps.

Omnia Deus sanam servare mentem
Hac immortali, reddere sola potest.

DANIEL PAREVS
Lectori Salutem.

IN descriptione *Reformationis Evangelicæ* sub calcem libelli deprehendes methodi meæ, quam in historia Ecclesiastica sequutus sum, hiatum aliquem, ob festinationem Typographi & peregrinationis meæ præter exspectationem exortum. Desunt enim *Hæretici*, *Synodi*, & *Colloquia*. Quorum omnium historiam propediem Deo annuente cum fenore daturus sum. Vale, & conatibus meis applaude.

HISTO-

Donec eris felix, multos numerabis amicos
Tempora si fuerint nubila solus eris

Magnus Aristoteles tentando cacumina rerum
In duo divisit, quicquid in orbe fuit

Navita de ventis de tauris narrat arator
Enumerat miles vulnera, pastor oves:
Horat. de arte.

Imberbis iuvenis, tandem custode remoto
Gaudet equis canibusq; & aprici gramine campi

Cernus in vitium flecti monitoribus asper.
Utilium tardus, provisor, prodigus, eris

Sublimis, cupidusq; & amata relinquere nix

Ovidius de Scythis

Pellibus et laxis arcent mala frigora pedes
Orasq; de toto, corpore sola fides

Horatius ebrietate sic describit

Quid non ebrietas designat? operta recludit
Spes jubet esse ratas; in prœlia trudit inermem
Sollicitis animis onus eximit ac docet artes
Fœcundi calices quem non fecere disertum

ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν τίς καθ' ἡμῶν.

Vt. dec. 1602. in 5vt:

VNIVERSALIS

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ MEDVLLA.

HISTORIA vniuersalis à rebus gestis commode diuiditur in Profanam, & Sacram siue Ecclesiasticam. Illius Medullam non ita pridem confecimus, & bono publico euulgauimus. Restat, vt eodem filo & sacram siue Ecclesiasticam deinceps pertexamus.

Ecclesiasticam historiam appellamus eam, quæ à mundi ipsius creatione orsa, initium, progressum, ac varium statum Ecclesiæ describit.

Partes eius duas constituimus: vnam de Creatione, alteram de Ecclesia.

Vniuersa hæc mundi machina, cœlo, terra, marique comprehensa, non æterna est, vt Philosophi nonnulli fabulantur; sed certum habuit initium: nec casu vel temere exstitit, sed à Deo Elohim, Patre, Filio, & Spiritu sancto, pro libera sua voluntate, per sex dierum interualla, ex nul-

la subiecta materia, creata & absoluta est, annis ante Christum natum solidis 3928. iuxta quorundam computum.

Prima die Deus Opt. Max. creationem inchoauit non à cœlo, proprie sic dicto, quod secunda demum die factum fuit; sed ab altitudine quadam circulari, siue sphæra, quam Moses Genes. cap. 1. vers. 1. שמים vocat, & recte de sphæra ignis intelligitur; cum qua continuo quoq; terram, velut centrum illius sphæræ, creauit, adeoque & aerem & aquam; quæ omnia confusa atque inuicem mixta, Chaos ab antiquis dicebantur; vel materia prima Philosophorum generabilis, & corruptibilis, sed hactenus omnino indiscreta. Terram namque tegebant aquæ, hinc abyssus maxima, tenebræ opplebant aquas immixtas aere. Nulla erat terræ habitatio: quippe quæ nondum, nisi potentia, (vt dicitur) erat, aer sine vlla ratione immixtus igni differebatur. Iccirco dicit Moses, terram fuisse תהו ובהו *Tohu Vabohu*, h. e. vastam, vacuam, & horridam. Omnia item nocte atque tenebris erant obuoluta, quas Deus, etiam antequam sol esset creatus, dispulit, & earum loco lucem induxit, quam vocauit diem, & quidem diem primam, quæ constaret vespera & mane.

Secunda die cœpit Deus chaos illud disgregare, & pulcherrimo ordine disponere. Fecit itaq; רקיע expansum, & diuisit aquas. Expansum autem proprie est totum illud corpus, quod ab octaua sphæra, vsq; ad sphæram ignis extenditur, & latiori vsu שמים *cælũ* dicitur in scriptura.

Et

Et complectitur cœlum tum aereum, tribus regionibus distinctum, in quibus meteora aerea, aquea & ignea generantur: tum æthereum, quod inde à luna ad cœlum vsq; supremum patet.

Tertia die Deus terram consolidauit, & ab aquis separauit: tum herbis, arboribus, plantisq; fœcundis vestiuit.

Quarta die cœlum expoliuit & ornauit luminaribus, Sole, Luna, & stellis cæteris.

Quinta die mare fluminaq; piscibus refersit; ac tum deinde aues in aere dispersit.

Sexta die animantia terrestria, & hominem ipsum, Dominum & possessorem rerum omnium in mundo fabricatarum formauit, eumq; in Paradiso horto amænissimo collocauit.

Septima die quieuit Deus, vt significaret, hominem esse extremum & summũ opus, quo ipse delectetur, & in quo acquiescere velit. Tum Sabbatum etiam, quietis diem, instituit, eumq; sanctis & diuinis vsibus dedicauit.

Atque hæc breuiter de Creatione, ex præscripto Moysis, omnium Historicorum antesignani. Nunc qualem inde Ecclesiam Deus ex genere humano collegerit, videamus.

Ecclesia est cœtus hominum, quos Deus inde à mundi initio, pro gratuita misericordia, ad gratiæ ac gloriæ communionem euocauit.

Estque alia veteris, alia Noui Testamenti. Veteris Testamenti Ecclesia ante Christi aduẽtum, Patrum, Prophetarum, aliorumque ministerio, tum ordinario, tum extraordinario, collecta ac gubernata fuit.

Status eius est liber, vel seruilis.

Liber, cum populus Dei soli Deo subiectus, ab eo præpositos suos accipiebat.

Præpositi illi duûm generum: Patriarchæ, & Iudices.

Patriarchæ tum ante, tum post diluuium, doctrinam cælestem per manus traditam propagarunt: voce & exemplo, veram & colendi Dei, & recte viuendi rationem, cum domesticis, tum iis, apud quos peregrinati sunt, monstrarunt: suosq; subinde, cum de lapsu primorum parentum, & secuta horribili naturæ humanæ corruptione, variisque miseriis & calamitatibus ab illa dependentibus; tum de immenso beneficio promissi seminis, quod genus humanum in integrum sit restituturum, erudierunt.

Adamum primum Patriarcham, & generis humani parentem, cum Deus ad similitudinem suam finxisset, mentemque ei diuinam indidisset, collocauit ipsum in amæniſſimum fœcundissimumque hortum Paradisi: & rerum omnium, quæ in mari, terra, & aere iam viuebant, Dominum & administratorem constituit: qui etiam productis ad se dissimilibus omnium animantium generibus, singulis naturæ suæ conuenientia nomina imposuit: ipse interim sui simili atque compare carens. Proinde somno oppressus, ortam ex se, mirabili Dei opificio, Heuam, adiutricem & coniugem accepit; cumque ea permixto sexu genus hominum propagare iussus, solemni ritu coniugii, eidem à Deo copulatus est. Interim malignus, inuidus ac crimi-

nator

nator spiritus Sathan, ob superbiam cœlo pulsus arrepta occasione nocendi, & ægre faciendi tam Deo, quam homini, feminam, imbecilliorem ex his primis parentibus nostris, Heuam videlicet, sub specie serpentis, blande astuteque aggressus est, & persuasit, vt spe melioris sortis, planeque diuinæ, de vetita in Paradiso arbore, boni & mali intelligentiam habente, pomum decerperet atque comederet; cui tamen esui certa mors à Deo, pessimaque vitę conditio erat proposita, & palam denunciata. Obsecuta est misera Heua, nec quieuit donec ad eundem lapsum, & ad idem contemptus ac inobedientiæ scelus erga Deum Opt. Max. maritum quoque Adamum impelleret. Paradisus, hortus ille voluptuarius, collocatus fuerat in Orientali regione Eden, vbi postea sita fuit Palæstina, siue terra sancta. Mansit is ad diluuium vsque, in quo natiuam suam amænitatem amisit. Consentaneum est, arborem scientiæ boni & mali stetisse in monte Caluariæ: vbi postea Christus crucifixus est; vt eodem loco expiaretur peccatum, vbi commissum est primum. Lapsum primorum parentum secuta est protinus nuditas, hoc est, priuatio notitiæ veræ de Deo, iustitiæ, dilectionis, obedientiæ & vitæ. Hanc texerunt foliis fici, & perizomatibus, tum tunicis pelliceis à Deo ipso ad illum vsum paratis atque consutis. Vnde adhuc vestes tanquam signa reatus gerimus, vt in quantam miseriam ex tanto dignitatis fastigio deciderimus, recordari possimus. Porro Deus grauiter offensus inobedientia ista hac, Heuam

uam quidem ad perferendas partus moleſtias, imperiumque mariti, damnauit: Adamum vero ad ſuſtinendos in victu comparando cum ſudore labores deſtinauit: vtrumq; Paradiſo pulſum, ac definito miſeræ vitæ tempore, in terram maledictam eiecit: vnica ſpe ſalutis in futuro ſemine mulieris, Chriſto ſeruatore noſtro, relicta: idque primo anno mundi conditi, die ſexta. Exulauit autem Adamus in agro Damaſci, quadraginta milliaribus ab Vrbe Hieroſolyma: vbi labores iniunctos patienter tolerauit; & quamuis miſeriis omnib⁹ tota vita, & deinceps morti ipſi eſſet obnoxius: in Eccleſia tamen ad Patrem vſque Noham annis nongentis & triginta de filio Dei docuit, ſuoſq; poſteros ad ſpem immortalitatis, & vitæ æternæ erexit atque animauit. Mortuus anno ætatis 930.

Per protoplaſtas illos, primoſque parentes noſtros, vniuerſum genus mortalium lõgiſſima poſtmodum ſerie propagatum eſt. Illi enim obtemperantes mandato de ſobolis procreatione, antea in Paradiſo dato, naturæq; humanæ inſito; ſuſceperunt primum duos filios, Cainum & Abelem, quos de Deo, de operibus eius, de triſti lapſu ſuo, deque promiſſo Meſſia, & Seruatore mundi haud dubie fideliter inſtituerunt: ſed vt diuerſis ſtudiis, ita etiam ingeniis, animiſq; diſcrepantes filios experti ſunt. Nam improbus ille Cain agricola, eques, & politicus, Abelẽ fratrem ſuum, opilionem, pium & innocentem, quẽ in ſacrificio diuinitus ſibi anteferri viderat, ex mera inuidia necatum, in agro Damaſceno, ſuſtulit,

stulit, circiter annum mundi 60. vel vt alii volunt, 100. Atque ita Abel protomartyr sanguine suo veram de Deo doctrinam tanquam sigillo obsignauit, & testatus est. Hinc in duas quasi familias statim dissecta est Ecclesia: in veram scilicet Sanctorum Patrum: & falsam Cainicam, vsque ad diluuium. Cainus hoc parricidio commisso, profugus à conspectu suorum factus, perpetuo tremore capitis & conscientiæ, ceu furiis quibusdam, exagitatus, arreptis secũ fororibus, & ipse sobolem procreauit; primumque oppidum Henoch, de nomine filii Henoch condidit, eo loco, vbi post diluuium Babylon stetit. Eum secuti sunt Irad, Mahuiael, Mathusael, Lamech, & cæteri nepotes, qui Patris imitati malitiam, & ipsi hostes piorum facti, omnibus sese vitiis, sceleribusque polluerunt. Si Cedreno credimus, Cainus, anno mundi 931. proximo scilicet ab Adami morte, ædium ruina periit. Alii à Lamecho quinto nepote ipsius interfectum esse opinantur.

Etsi autem Adamus multos alios liberos genuit: tamen solus Sethus, natus anno mundi 130. nominatur post Cainum & Abelem: quod is solus doctrinæ veræ professor, & Ecclesiæ lumen fuerit.

Is enim Abelis interfecti vices subiens, traditam à parentibus disciplinam de creatione mũdi, de astrorum motibus, de literarum studiis, de vero Dei cultu, de politia publica & priuata, de dimissione Euangelii, cæterisq; rebus, cõstanter re-

tenuit, auxit, conseruauit, adeo vt Deo ipsi benedicenti complures electi sanctique Patres ab eodem longe lateque proseminati fuerint. Vixit autem Sethus annos 912. & vidit septem subsequentes Nepotes. Ad eundem Sethum Lucas Christi genealogiam deducit, non ad Cainum, quod Caini progenies esset viperarum, Sethi piorum.

Enos filius Sethi, tertius Patriarcha ab Adamo, doctrinam & veros cultus Dei, Cainitarum idololatria atque tyrannide pene obscuratos, instaurauit, & fideliter propagauit. Obiit anno ætatis 905. & vidit omnes sequentes Patriarchas vsque ad diluuium.

Ex Enos natus est Kenan, quartus ab Adamo Patriarcha, qui diem suum obiit anno ætatis 910. genuitque multos filios & filias. Inter hos numeratur

Mahalaleel, natus anno mundi 395. quintus ab Adamo veræ Ecclesiæ doctor, seu gubernator. Mortuus anno mundi 1290. ætatis 895.

Ex Mahalaleel natus est Iared, anno mundi 460. sextus ab Adamo veræ Ecclesiæ Episcopus. Obiit anno ætatis 962.

Ex Iared natus est anno mundi 622. Enochus, qui inter alios Patriarchas, tanquam Hesperus inter stellas emicuit. Fuit enim Propheta & doctor Ecclesiæ sincerus, fidelis & constans, qui promissionem Messiæ, verosque cultus Dei propagauit, & à labe, furore, & fraude Cainicæ multitudinis defendit. Ideoque, Deus eum anno mundi 987. ob singularem pietatem, vitæ-

que

que sanctimoniam, viuum à cœtu sanctorum Patrum ad se in cœlos transtulit. Simile exemplum non habemus de vllo alio homine, nisi de Elia: quorum raptu Deus voluit testari, quod post hanc vitam pręparauerit aliam suis sanctis, in qua cum Deo in æternum viuant.

Ex Enoch natus est Mathusalem, qui inter omnes mortales longissime vixit, mortuus ipso diluuii anno 1656. ætatis 969. Et videtur Deus defectum annorum sanctissimi Patris in pio filio supplere voluisse.

Ex Mathusalem anno mundi 874. natus est Lamech, pius & salutaris doctor Ecclesiæ, mortuus anno mundi 1651. ætatis 777. quinquennio ante diluuium.

Ex Lamecho, anno mundi 1056. natus est Noah, decimus ab Adamo Doctor & Episcopus Ecclesiæ, ac diluuii venturi pius præco: quemadmodum Lothus conflagrationis futuræ Sodomitarum, Moses & Aaron interitus Pharaonis & Ægyptiorum. Per id temporis genus hominum vt numero, ita quoque malitia mirum in modum creuit: adeo vt etiam piorum Patriarcharum liberi à Cainitis seducti matrimonia cum illis iunxerint, & gigantes, contemptores Dei & hominum, propter robur corporis, & externam potentiam, procrearint. Hæc horrenda confusio sanctorum & impiorum mire afflixit Ecclesiam veram, & piorum patrum familiam ad paucos admodum deduxit. Hinc ærumnosum plane & laborioſum fuit Noami curriculum, vtpote quem oportuit cum eiusmodi audacibus

dacibus & nefariis belluis conflictari, earumq; fastum & superbiam arguere, impietatem taxare, libidinem reprehendere, & vitia alia atrocissima damnare.

Cum vero Noamus, vir iustus & integer, admonitus à Deo, 120. totis annis mortales ad pœnitentiam cohortatus fuisset laboriosissime, futurumque diluuium annunciasset: nulla vero emendationis spes apud homines esset reliqua: voluit Deus, ira iustissima accensus, exequi pœnam, quam interminatus fuerat. Itaque iussit Noamum cum sua vxore Tytea, siue Sybilla: tribus filiis, Semo, Iaphetho, & Chamo, eorumque vxoribus, delectis simul animantium cuiusque generis paribus: arcam ingredi: in qua apparanda & perficienda amplius centum annos consumpsit. Cum igitur ingressus esset Noamus arcam, Anno mundi 1657. ætatis suæ 600. die 17. secundi mensis; clausit post eum Dominus fores. Mox ruptis abyssi fontibus, apertisque cœli fenestris, aquarum moles ingens collecta est, orbemque terrarum in quadraginta diebus sic repleuit, vt arca natare in aqua cœperit, quæ adeo creuerunt & prævaluerunt, vt omnes montes excelsos operirent. Cum vero centum & quinquaginta dies in aquis erassent Noamus, recordatus est tandem illius Dominus, & omnium quæ cum ipso in arca erant.

Nam die 17. mensis septimi, arca in montibus Armeniæ resedit: quorum tanta fuit altitudo,

tudo, vt quamuis paulatim diminuerentur aquæ, in decimum tamen mensem vsque quiescere arcam ibi oportuerit, priusquam cacumina aliorum montium conspicerentur. Nam primo die mensis decimi primum cacumina montium apparuerunt. Hinc animum recipiens miser Noamus bene tandem sperare de exitu tantæ inundationis cœpit. Post 40. dies dies fenestram arcæ aperuit, & coruum columbamque ad explorandum terræ statum emisit.

Et reuersus quidem est coruus, & citra arcam vltro citroque volitauit, sed in arcam tamen recipere se non est ausus. Columba vero in arcam reuertit. Ex quo satis intelligere potuit NOAMVS, nondum desiccatam esse terram. Emisit ergo post alios septem dies iterum columbam, quæ tempore vespertino reuersa folium oleæ decerptum portauit in ore suo. Quo indicauit DEVS iam arbores iterum eminere, & mox meliora esse secutura. Post alios septem dies emissa columba non rediit ad arcam, quod satis indicio fuit, iam desiccatas esse super terram aquas, & viuere iterum in ea posse animantia.

Amouit igitur NOAMVS tectum arcæ, clareque conspicatus est siccam terræ superficiem. Nondum tamen exire ausus fuit: sed diebus quinquaginta sex, mandatum DEI certum de exitu exspectauit: quod cum tandem diuturnis votis atque gemitibus expeticum accepisset: post annuum spatium, egressus

est saluus & incolumis cum reliquo illo generis humani seminario in arca defenso, eductis secum in terram omnibus animantibus, quas Deus reliquas fecerat.

Atque ita Noamus generis humani alter Parens, atq; instaurator factus est: vere Ianus ille bifrons, qui ante & post diluuium mundū vidit. Recepto igitur omnium rerum dominio, & restitutis à Deo omnibus ordinibus in integrum, Oeconomico, Politico, & Ecclesiastico: cultum Dei instaurauit; mandatum de amplificatione generis humani compleuit: cœlestem quoque arcum, testem fœderis icti cum summo Deo, nulla deinceps eluuione hominum genus periturum, ex singulari gratia conspexit. Posthæc conuertit se cum filiis tribus, Semo, Chamo, & Iapheto, eorumque liberis ad agriculturam, ad plantandum vineam, ad carnes esui humano præparandas, ad domos extruendas, vrbes condendas: & ad alias in vita operas artesque necessarias tractandas. Ebrius aliquando factus, ac dormiens denudatus genitalia, ridetur à filio Chamo. Qua impietate indignatus, eundem Iapheto & Semo fratribus, mutata cōditione seruire voluit.

Cum vero hominum ingentem multitudinem ex se filiisque prognatam cerneret, & benedictionem in semine suo promissam consideraret; nec dum amplius prouinciæ, quas tenebant, alendis omnibus sufficerent: Orbem terrarum in tres distribuit partes, pro filiorum numero, singulisque suam habitandam concessit:

& Semo

& Semo quidem Orientem, h. e. Asiam tribuit, Chamo Meridiem siue Africam, Iapheto Occasum & Septentrionem, siue Europam: vt successione temporis singuli cum suis, plagas sibi attributas inhabitarent; quod & postea factum est. Nam ex liberis illis Noami, eorumq; posteris infiniti propemodum populi propagati, & regna innumera per Orbem deinceps constituta fuerunt. Vixit Noamus à diluuio 355. annos, mortuus Anno Mundi 2006, ætatis suæ 950. Pater Noui & secundi Mundi.

Vt autem ante diluuium Cainus cultum Dei & politiam impiam introduxit: ita post diluuium Ecclesiæ Idololatricæ & nouæ politiæ author extitit Chamus, & posteri eius. Duce enim Nimrodo, Chami Nepote, confidentia & temeritate ingenti, Anno Mundi 1758. à diluuio 131. ædificarunt ciuitatem & turrim Babel, cuius culmen ad cœlum vsque pertingeret, & pro Deo vero Ignem sacrum, qui in historiis nominatur Vr, Orimasda, & Vesta, coluerunt, atque adorarunt in Chaldæa. Pœna huius insani conatus fuit confusio linguarum. Cum enim antea vniuersus populus in terris non nisi vna lingua patria Hebræa esset vsus, Deus ex vna illa multiplices, & penè innumerabiles linguas & Dialectos effecit. Formam quoque Politiæ aliam instituit, Chamus cum suis posteris, & reiecta potestate patria, vi & armis cogere homines ad obedientiam aggressus est. Nam ad Africam, hæreditariam partem, Syriam etiam & Asiæ maioris regiones vi adiecit: fratres

suos oppugnauit, & ignem idololatricum adorare suos subditos coegit. Sic floruit quidem aliquandiu, & dominatus est in terris Chamus, multosque ex se populos propagauit: sed tandem tamen posteri eius pœnas iustas Deo soluerunt, cum solum Chananæorum posteris Semi, hoc est, Israelitis, traditum est, in eoque sedes Ecclesiæ, & Regni constituta.

Iaphetus paternæ quidem religionis, doctrinæ, & politiæ cuius fuit fidelis & studiosus, sed posteri tamen illius paullatim discesserunt à vero Dei cultu, & idola amplexi sunt, quibus tota Asia minor & Europa impleta fuit.

Semus, Patriarcha Ecclesiæ veræ, verbi diuini Præses, & propugnator sedulus in Salem habitauit, Deum vere coluit & inuocauit: idololatriæque Chamitarum, quoad potuit, aduersatus est. Mortuus Anno Mundi 2158. à diluuio anno 502. post obitum Patris 153.

Arphaxad Patriarcha, filius Semi, natus biennio post diluuium, expletis vitæ annis 438. decessit Anno Mundi 2069.

Sale, filius Arphaxadi, tertius Patriarcha post diluuium à Semo, docuit Nepotes omnesque posteros, vsque ad Isaacum. Mortuus Anno Mundi 2126. ætatis 433.

Heber, pronepos Semi, suis maioribus, viris sanctissimis non dissimilis, doctrinam de Deo, & eius filio venturo, pure casteque tradidit: & feritati Nimrodi sese opposuit, qui Ecclesiam Dei misere turbabat. Hæc Heberi animi præsentia, & fides excellens meruit, vt authoritate

sancti

sancti Patriarchæ Semi, Ecclesia ab eo appellationem sumeret, & Hebræi dicerentur, qui doctrinam & fidem sancti Patris Heber retinerēt. Ac mansit hęc appellatio Ecclesiæ vsq; ad Christi tempus. Vixit autem Heber inter omnes Patres sanctos post diluuium diutissimè, annis videlicet 464. mortuus anno mundi 2187. Cum hoc Heber per omnem vitam Abrahamus vixit, Pater ille credentium. Sub eiusdem ætatem incidit horribilis illa confusio linguarum: & in solo Heber, eiusque posteris, cum vera fide, religione, & pietate, mansit primæua lingua Hebræa.

Phalechus, filius Heberi, Paternæ auitæque doctrinæ auditor, eo tempore natus scribitur, quo Deus, linguis confusis, dissipauit agmen Nimrodicum, in turre Babylonica extruenda occupatum. Decessit Anno Mundi 2026. ætatis 239.

Regu, sextus Patriarcha, filius Phalechi, mortuus est Anno Mundi 2052. ætatis 232. Adeo post linguarum diuisionem anni vitæ humanæ sunt imminuti.

Serug, septimus Patriarcha, filius Regu, vita functus est anno Mundi 2080, ætatis 230.

Nachor, octauus Patriarcha, filius Serug, decessit anno Mundi 1998. ætatis 148. & Abrahamum non vidit.

Tharah, filius Nachor, trinepos Heberi, Pater Abrahami, in Vr Chaldæorum ciuitate, cui ab igne nomen fuerat inditum, habitauit inter impios, & speciosa illorum religione in erro-

rem

rem quidem inductus, sed non plane seductus est: diis autem alienis seruiuit, & in illa maiorum veritate liquida & simplice firmiter non perstitit. E Chaldæa postea migrauit cum filio Abrahamo, nuru, & fratris filio in Mesopotamiam, & in Vrbe Haran hospes vita defungitur, anno Mundi 2084. ætatis 205. Cananæam Abrahamo filio promissam non vidit.

Anno Mundi 2020. misertus Deus Optim. Max. Ecclesiæ suæ, cum decreuisset Abrahamum Patrem facere omnium credentium, primo eum ex Vr Chaldæorum cum Patre Tharah, vxore Sara, & Lotho Patruele, vocauit in Haram Mesopotamiæ: vbi Abrahamus quadriennium permansit. Ex Haran profectus est in terram Canaan, vbi primum in Sichem, postea in Bethel, sedem rerum suarum fixit. Inde pulsus fame profugit in Ægyptum, vbi in periculum non leue incidit, propter raptam à Pharaone Sara Vxorem. Reuersus inde migrauit in Hebron, & ibi agrum emit pro sepulturæ loco sibi suæque familiæ. Inde discedens venit in Dan, & tandem in Gerar, vbi surrepta eius coniuge ab Abimeleco, Rege Gerar, in discrimine iterum magno versatus est: sed Deo tandem vindice euasit, ac coniugem inuiolatam recepit. Fuit autem diues & potens Abrahamus, adeo vt iam olim coactus sit secessionem facere à Lotho patruele, cui terram ad flumen Iordanem concessit. Is inter impiissimos sodomitas, illectus loci fertilitate, habitare præelegit. Tunc temporis Chodorlahomor, Rex Elamitarum

rum siue Persarum, Assyrios & Babylonios Reges accendit in Reges Sodomæ ac Gomorrhæ, quos magis ambitione & libidine dominandi, quam iusto aliquo titulo sibi subiugauit: capto etiam in Sodomis Lotho, quem Abrahamus manu trecentorum & octodecim adolescentum liberauit, recuperatis omnibus spoliis. Et sic Chananeæ possessionem inchoauit, primusque in ea victor & triumphans pedem fixit: quo nomine ei Melchisedech, Rex iustus in Salem, (quem Patriarcham Semum fuisse existimant) benedixit, & ipsum vna cum exercitu, pane vinoque refecit. Confecto in Sodomis bello, & victoria, gratiisque Deo actis per Melchisedechum, cum Abrahamus metueret, ne Babylonii bellum restaurarent; aut ne Chananæi inuidia, aut spe prædæ illecti in eum quasi spoliis onustum irruerent, Deus volens remunerari eius pietatem, fortitudinem & virtutem, apparuit Abrahæ, eumque roborauit, dictitans, nihil ipsi ab Assyriis aut Chananæis esse metuendum; Ipsum enim sibi cordi esse & curæ: se eius protectorem, & tutorem fore: & maiorem in modum semen eius multiplicaturum, & terram Chanaan in possessionem daturum. Vt vero in fide amplissimarum istarum promissionum, tam ipsum, quam omnes eius posteros confirmaret, instituit Circumcisionem anno mundi 2048. quæ sigillum erat fœderis à Deo, cum Abrahamo & posteritate eius initi: quo populus DEI ab omnibus gentibus discernebatur. Famosæ tunc erant ad Iordanem Vrbes quinque: Sodo-

mæ,

næ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, Zoar, quas ›ropter immaniſſima ſcelera, & effuſas in omni ıtemperantia libidines, Deus horribili exem·lo, igne ac ſulphure cœlitus demiſſis, exuſſit c deleuit: ſolo Lotho, cum ſuis ope Angelo·ım ſeruatis; qui ipſum cum familia de monte n oppidum Zoar deduxerunt; cui ciuitati ſub-uertendæ Deus etiam propter preces Lothi pe-percit. Ex hac combuſtione Pentapolis illa re-gio in lacum bituminis verſa eſt, fœtorem pe-ſtiferum exhalantem, & perpetuum iræ diuinæ triſtiſſimum ſpectaculum exhibentem. Lacus in illis terris adhuc hodie eſſe dicitur, pice ac ſulphure perpetuo ardens: Græcis *Aſphaltites*, ſeu *bituminoſus*: Latinis *mare mortuum* di-ctus.

Fuit alias Lothus, Vir pius & iuſtus, patrue-lis, comes, & ſocius omnium ærumnarum A-brahami. Miſer in hoc, quod vidit chariſſimam vxorem, contra mandatum Dei ad ſupplicium Sodomæ reſpicientem, obriguiſſe, & in ſalis ſtatuam, ſiue perpetuum lapidem conuerſam eſſe. Infelix etiam ob id, quod ebrius factus inceſtam cum filiabus propriis conſuetudinem habuit. Moab & Ammi procreauit, quorum poſteri hoſtes Eccleſiæ & piorum facti ſunt: Moabitæ & Ammonitæ vocati.

Abrahamus porro ex Ancilla Hagar ſuſcepit filium Iſmaelem, qui Iſmaelitis in Arabia no-men dedit. Ex Sara autem Vxore iam annoſa miraculoſe ſuſtulit Iſaacum, quem puerum tre-decim annorum ex mandato Dei in monte Mo-

riah

riah immolaturus, fidem suam atque obedientiam ita probauit Deo, vt is promissionem de Messiah Seruatore, ex semine Abrahæ nascituro, ei repetiuerit, filiumque saluum restituerit; Anno Mundi 2062. Isaaci loco ariete in holocaustum oblato, qui cornibus hærebat in vepribus.

Morti propinquus Abrahamus, vt lites ab obitu suo, inter filios, quos ex diuersis Vxoribus habuit, dirimeret, testamentum fecit, & Isaacum vnicum hæredem suum instituit, reliquos muneribus ornatos à se dimisit. Tandem vitæ suæ terminum attigit, & huic mundo valedixit, anno ætatis 175. orbis conditi 2183. sepultus in Hebrone à duobus filiis, Isaaco & Ismaele. Erat autem 75. annorum, cum ex Harane proficisceretur. Centum ergo annis, nuda Dei promissione contentus, in terra Chanaan oberrauit, quam Deus præ cæteris terris & politiis aliarum gentium delegit, & posteris Abrahami inhabitandam dedit, vt ordinaria sedes esset veræ ipsius notitiæ & cultuum; & perpetua velut arx veræ Ecclesiæ, in qua lumen veræ de Deo doctrinæ, velut in eminenti & illustri specula positum, inter vicina & florentissima regna, Ægyptium, Syriacum, Babylonicum, Persicum, luceret & conspiceretur: omnibusque cæteris gentibus clarissimam veritatis lucem vbiq; anteferret. Et quia Messiam, promissum seruatorem, in hunc mundum Deus missurus erat, hanc ipsam terram Chanaan Abrahamo promissam, hospitium eius esse voluit: vbi videlicet

cet nasceretur, doceret, miracula faceret, victima fieret, & ex morte suscitatus Regnum suum inchoaret. Cum adhuc viueret Abrahamus Ecclesia angustissimo numero continebatur: postea publice constituta in Iudæa, deinde propagata per Christum, postremo per Apostolos diffusa est in totum orbem terrarum.

Isaacus natus est plane miraculose, præter naturæ cursum & ordinem, è Patre Abrahamo, & matre Sara, vtroque sene, & altero non tam natura, quam ætate sterili, & ad generandum haud idoneo. Natus enim est, anno Mundi 2049. ætatis Abrahami centesimo, & Saræ nonagesimo; quam Deus sterilitate ablata, fœcundam reddidit. Circumcisus est octauo die à Patre Abrahamo, vt esset in fœdere, quod Deus cum Abrahamo, & omnibus illius posteris, circumcidentibus se, iniit. Cum annos haberet 40. duxit de Patris consilio & voluntate Vxorem Rebeccam, puellam ingenio, forma, & virtute præstantem; filiam Bathuelis, neptem Nachori, fratris Abrahami: quæ post sterilitatem viginti annorum, benedictione Domini, edidit vno partu gemellos, Esauum & Iacobum, dissimiles admodum animis moribusque fratres.

Esauus primus ex vtero materno egressus est totus rufus & pilosus. Adultior factus, neglectis seriis negociis suis, syluas & saltus prætulit Ecclesiæ, & insectationem ferarum potiorem duxit officiis domesticis; multosque alios suo studio à religionis exercitio abduxit, Iacobus egre-

egrediens ex vtero materno plantam fratris Esaui manu tenuit: quo significabatur, posteros Esaui à posteris Iacobi supplantari, h.e. vinci & subiugari debere. Adultior factus Iacobus, sequutus est tabernacula, frequentans Ecclesiam, & inseruiens parentibus, pascendo oues, & diligenter obeundo res familiares ac domesticas. Ex vtroque Rebeccæ filio clara & illustris gens orta est: ex Iacobo Israelitæ, ex Esauo Edomitæ, qui duo populi grauiter inter se dissidebant; & sæpe belligerabant, tandem vero Edomitæ, ab Esauo descendentes, ab Israelitis subiugati sunt, tempore Regis Dauidis.

Vt autem diuersa fuerunt Esaui & Iacobi studia, ita diuersi ac dissimiles parentum erga vtrumque affectus. Isaacus impensius dilexit Esauum, quam Iacobum, quia eum pro primogenito habuit. Contra vero Rebecca magis Iacobum, quam Esauum dilexit, quod eum magis obsequentem & morigerum esse vidit, & pro primogenito reputauit. Erat apud veteres primogenituræ magna dignitas & excellentia: primo quod ad eam pertinebat sacerdotium, h. e. cura & administratio religionis: deinde dominium, propter quod fratres superiorem primogenitum agnoscere, & coram facie eius surgere, eique ministrare oportebat: Tertio duplex hæreditatis portio. Sed præter has prærogatiuas, primogenitura Esaui habuit aliam longè excellentiorem. Nam ad eam pertinebant promissiones Abrahamo factæ, de susceptione posteritatis eius in Dei populum, de hære-

hæreditate terræ Chanaan, de benedicto semine è posteritate eius nascendo. Hanc tantam primogenituræ suæ dignitatem vendidit Esau fratri Iacobo, hac ratione. Rediens ex venatione domum lassus & famelicus, incidit in Iacobum, habentem coctum & paratum pulmentum lentium, quod à fratre petit, eoque in morem lupi se ingurgitare cupit, homo agrestis & famis impatiens. Iacobus igitur annuit petitioni Esaui, sed ita, vt vendat sibi primogenituram suam. Tantum vero non recusat Esauus primogenituram vendere, vt rem veluti leuissimam prostituat, eo quod non faciat ad saginandum ventrem.

Interea ob famem grauem in terra Chanaan obortam, Isaacus alendæ familiæ gratia alio migrare coactus est. Animus ei fuerat, abire in Ægyptum, tum propter eius terræ singularem fertilitatem, tum propter exemplum Patris Abrahami, qui & ipse fame compulsus in Ægyptum descendit. Sed occulta de causa ab illo instituto absterritus, substitit & mansit apud Regem Abimelechum in Gerar, quæ metropolis est, & sedes regia Palæstinorum, quorum regio Cananeæ contermina.

Profectus Isaacus ad Palæstinos in Gerar, interrogatur super Vxore sua Rebecca, quænam sit? Quod quia ex prophanis gentis illius moribus insidiose fieri verebatur, dissimulauit Vxorem suam esse, & sororem esse aiebat: quod haud dubie Abrahami Patris sui exemplo fecit, quem idem bis feciſſe legimus: Viderat forte

tunc

tunc Rex Abimelechus Isaacum, non procul ab aula habentem hospitium, liberius cum Rebecca ludere & iocari; eo modo, quo maritus castus & pudicus cum vxore solet: ex quo gestu deprehendit Rex Abimelechus, non sororem esse, sed coniugem Isaaci Rebeccam. Ideoque vocans Isaacum, causam quærit istius dissimulationis. Isaacus interrogatus, ingenue rei veritatem confitetur, significans veritum se, ne vxoris suæ caussa in periculum vitæ incideret. Rex Abimelechus arguit Isaacum, affirmans, occasionem dedisse grauissimi peccati; quia fieri potuerit, vt quis cum Vxore eius Rebecca adulterium perpetraret, ratus liberam esse. Deinde edicto cauet, ne quis vel Isaacum, vel Vxorem eius Rebeccam lædat, pœnam mortis statuens in eum, qui iniuriam inferat.

Post famem & tentationem de Vxore, leuatur Isaaci molestia terræ fertilitate. Habuit enim in Palæstina terra conductitios agros, fauore Regis Abimelechi, & Palæstinorum, quo initio eum sunt prosequuti, vt haberet, vbi se exerceret, & familiæ suæ vitam sustentaret. Cum igitur in illa regione Isaacus sementem fecisset, percepit messis tempore centuplum, respectu iactæ sementis. Nec in eo tantum, sed & in cæteris, ita Deus ei benedixit, vt inter Palæstinos magnus tandem, & opulentissimus euaserit. Vt vero ignem fumus comitatur; ita Isaaci prosperitatem statim excipit inuidia, non modo Palæstinorum, qui omni eum aquarum vsu & commoditate priuare sunt conati; sed etiam

iam ipsius Regis Abimelechi, qui Isaaco renunciauit hospitium, eumque ex oppido Gerar in exilium eiecit. Sic statim initio capitalium odiorum semina in hac gente sparguntur. Nullam enim magis infestam posteri Isaaci senserunt, quam Palæstinos. Inde Isaacus profugus, sedem mutare sæpius coactus est, donec tandem reconciliatus Abimelecho, fœdus cum eo constituit, ad Vrbem Beersebam, vbi abeunte Iacobo filio in Mesopotamiam, habitauerat. Postea senex migrauit in Hebron, vbi vitæ satur libenter & placide in Domino obdormiuit, Anno mundi 2228. ætatis 180. Tantam ætatem post eum nemo attigit. Defecit ergo in Isaaco Patriarcha vigor naturæ. Sepulturæ honorem Patri præstiterunt fratres duo; Esauus & Iacobus: digna filiis pietas.

Iacobus, filius Isaaci & Rebeccæ, natus Anno à creatione mundi 2109. duodecimus Patriarcha post diluuium, ærumnas maximas pertulit fide, superauit patientia. A fratre Esauo ius primogenituræ emit, & sedulitate matris Rebeccæ benedictionem consecutus est. Post acceptam benedictionem, cum frater tumidus & elatus minas iactaret, atque pericula intenderet: suasu parentum ex Beersheba in Haran, Mesopotamiæ Vrbem, iter suscepit, ad Labanem, auunculum suum, cui totos annos 20. seruiuit: Vxoris ducendæ gratia, habebat Laban duas filias, Leam, & Rachelem, Lea maior lippis oculis erat, Rachel vero decora facie, sed natu minor. Hanc præoptauit Iacobus, & seruiuit

uiuit Labani septennium, vt eam acciperet: Quibus transactis, contra pacta Leam dolo suppositam ducere cogitur. Finitis nuptiis Leæ, quam repudiare inhonestum duxit: accepit quoque in Vxorem Rachelem, & denuo per septennium Labani socero seruiuit. Et hoc quidem coniugium cum duabus sororibus non ex leuitate iniit; sed impostura & perfidia Labanis, auari soceri, circumuentus. Ex vtraque coniuge, & duabus ancillis, Iacobo nati sunt filii duodecim, ex quibus XII. tribus in populo Israelitico sunt ortæ. Cum iam XIV. annis Labani socero seruiisset, pactus est tandem mercedem, & conuenit, vt maculosas oues de grege acciperet. Quo facto, cumulate Iacobo diuina prouidentia rependuntur, quæ Labanus ei pro fideli seruitio fraudulenter subtraxerat. Post toleratam viginti annorum seruitutem, Iacobus pertæsus molestiarum, socerique, & filiorum eius malitia irritatus, nec non Dei oraculo monitus, habita cum vxoribus deliberatione, cum vniuersa familia, discedit: quem socer inhumanus & ferox armata manu persequitur, inque seruitutem retrahere molitur; sed coercetur diuinitus; dumque generum Iacobum innocentem criminatur, ipse turpissimæ auaritiæ, inhumanitatis, & iniquitatis conuincitur, & cum pudore domum reuertitur.

Iacobus liberatus ab iniquissimo socero Labane, & in Chananæam pergens, in via duplici exercetur periculo; metu fratris Esaui, quem

sciens sibi infestum ob ereptam primogenituram, per legatos muneribus placare cogitauit: & lucta cum angelo, hostili specie ipsum adoriente. Sed in vtraque lucta egregie sustentatus est à Deo, & vicit precibus, ac fidei constãtia. Vidit enim castra angelorum circa se disposita, & ex lucta, licet vulneratus in coxa, victoriam cum benedictione reportauit. Ab hac victoria, quam à Deo reportauit, dictus est Israel. Mirabilis triumphandi ratio, vbi Dominus, cuius virtuti tota laus in solidum debetur, infirmum tamen homuncionem quasi victorem Dei vult excellere, & cum insigni elogio in sublime extollit. Fuit certè consilium Dei, seruum suum tam insignis victoriæ fiducia instructum, ad varias pugnas dimittere, ne in posterum vacillaret.

Iacobus igitur, qui luctando vicerat Deum, prudentia quoque & humilitate vicit fratrem; quemque olim fugerat, & metuerat ceu capitalem hostem, postmodum suauissimum expertus est amicum: iuxta promissionem Dei: *quoniam præualuisti Deo, etiam hominibus præualebis.* Post dulcissimum fratrum complexum, colloquium, & pacem muneribus datis firmatam, placidissime disceditur. Iacobus vero incolumis cum suis in terram promissam reuersus, antequam ad Patrem Isaacum veniret, aliquamdiu in Sichem substitit, ciuitate Samariæ, sitam in finibus Ephraim & Manasse. In hac vicinia Sichemes Iacobus pulcherrimam Scholam & Academiam instituit, in qua fortissimi Dei sincerus

cerus cultus floruit. Sed mox nouæ procellæ, eæque domesticæ, pium Patriarchæ pectus conturbant. Vnica filia Dina, vagabunda in Vrbe Sichem, forte ludos & choreas puellarum spectans, vt solent iuuenculæ, à Sichemo, filio Hemoris, principis terræ, stupro polluitur. Filii eius duo Simeon & Leui, dolosо consilio, & nefario religionis abusu, ruunt in priuatam vindictam, & quasi in rabiem acti aduersus totam ciuitatem Sichæmitarum, cædibus omnia miscent; masculos omnes interficiunt: inque palatium ipsum penetrantes Principem cum filio, raptore Dinæ sororis, trucidant. Cædibus patratis, Vrbis direptionem & vastationem addunt, adiuti à fratribus reliquis, Turbam denique imbellem, mulieres, & paruulos, cum iumentis & rebus omnibus, prædabundi abigunt. Audita tanta strage, tota regio commota fuit, & cursu incitato impetum in totam Iacobi familiam facere voluit. Itaque trepidanti Iacobo, & in summo periculo constituto, Deus apparuit, ac quasi porrecta cœlitus dextra extraxit eum ex hostium faucibus. Eius enim præsidio incolumis venit in Bethel, cum vniuersis suis, nullo desiderato, quod à Mose quasi miraculum habetur. Inde discedentem, & Hebronem ad Patrem Isaacum recta contendentem sanctum Iacobum, graues iterum excipiunt casus. Paullo ante filia eius vnica Dina in extremum dedecus coniecta erat: & duo filii Simeon ac Leui cædibus & rapinis infamiæ, & grauissimo vitæ discrimini eum exposuerant.

Nunc in via, ad Patrem Isaacum reuersurus, amittit dulcissimam coniugem Rachelem parturientem: mox incestu fœdo polluitur ei torus à filio Ruben: nec multo post filii Ioſephi, à fratribus venditi, vestis cruenta ipsi exhibetur, perinde ac si à bestiis laniatus esset. Ad hæc longe acerbissima vulnera, accedit optimi ac dulcissimi Parris Isaaci obitus.

Interiecto tempore fames Ægytia vt alias terras, ita quoque Chananæam, & Iacobi familiam, afflixit: eumque coegit decem filios ablegare frumentatum in Ægyptum, qui à Ioſepho agniti, & duriter tractati dimittuntur quidem cum frumento, sed sub conditione, vt relicto obside Simeone, in Ægyptum reuersi Beniamin sistant: quo adducto, tandem Ioſephus se fratrem aperuit, & Patrem Iacobum cum familia in Ægyptum traduxit. Iacobus enim, desiderio videndi filium Ioſephum, profecturus in Ægyptum, primo abiit Beersebam, & sacrificium Deo obtulit, partim gratias egit pro accepto exoptatissimo de vita filii Ioſephi nuncio: partim diuinam opem implorans, pro felici successu in suscipiendo itinere, & pro sui ac totius familiæ in Ægypto clementi defensione. Oblato sacrificio, apparuit Deus Iacobo in somnis, & consolatus est eum: cui graue fuerat deserere terram Canaan, quam sibi & semini suo Deus in hæreditatem promisit. Oraculo igitur & consolatione Dei confirmatus Iacobus, deserens terram Chanaan, lætus cœptum iter continuat, & cum vniuersa familia atque

supel-

supellectile, curribus regiis imposita, in Ægyptum descendit. Vniuersa hæc familia Iacobi, quam secum abduxit in Ægyptum, tantum inter annos 215. creuit, vt in exitu virorum numerata sint, sexies centena millia, absque mulieribus & paruulis. Prospere veniens in Ægyptum Iacobus, non ex improuiso, quantumuis vocatus sit à Rege, in aulam Pharaonis irrumpit, sed Iudam filium mittit ad Iosephum, qui aduentum suum ei denunciet. Certior factus Iosephus de Patris sui aduentu, mox obuiam ei procedit, & ruit in amplexus eius, largas profundens lachrymas. Salutato Patre & fratribus, Iosephus accessit regem Pharaonem, eumque de aduentu suorum in Ægyptum certiorem fecit, & procurauit, vt terra Gosen, fertilis & pascuis idonea, inhabitanda eis daretur: qui se pastores ouium esse profitebantur, instructi sic à Iosepho: qui Patrem suum Iacobum non tantum in optima terra Gosen collocauit, sed etiam ipsi, & toti eius familiæ liberaliter & abunde victum suppeditauit: Regis tamen Pharaonis iussu & voluntate, ne Ægyptiis calumniandi occasionem præberet: qui omni pecunia exhausti, iumenta, agros, & se ipsos Regi Pharaoni vendere famis vehementia adigebantur.

Vixit Iacobus in Ægypto, sub vmbra & protectione filii sui Iosephi, annis XVII. Sentiens autem finem vitæ suæ instare, vocauit Iosephum, eumque iuramento obstrinxit, vt se non

in Ægypto, sed in terra Chanaan, in sepulchro Patrum suorum, quod est in Hebron, sepeliendum curet. Cum igitur senio & ætate confectus incidisset in languorem & ægritudinem, Ioseph us eum inuisit, & Manassen dextra, Ephraim sinistra apprehendens, eos ad auum adduxit, qui in lecto sedens, manum dextram iuniori, sinistram seniori filio, contra Patris Iosephi expectationem imponens, Ephraimum, qui ætate minor erat, primogenitum declarauit: deinde vtrique, quid eis euenturum esset, afflatu sancti Spiritus prædixit. Vtrumque vero sibi adoptauit in filios, illisque cedere voluit duas portiones terræ Chanaan sibi promissæ. Nam si recensentur XII. Tribus populi Israelitici, Leui, qui per omnes trib. dispersus erat, & Iosephus, omittuntur; sed in eorum locum Ephraim & Manasse succedunt. Rubenus iure primogenituræ excidit, iusque illud, quod ad duplicem portionem, ad Iosephi filios, propter beneficia Patris eorum in fratres suos collata, deuolutum erat. Vtrique nepoti manibus decussatim impositis Iacobus benedixit. Populosæ fuerunt Eæ tribus, Ephraim & Manasse, regionem habuerunt fertilissimam: Multi quoque celebres viri, Duces, Prophetæ, Reges, ex his tribubus oriundi fuerunt. Bellicosas etiam fuisse, historia ostendit. Nam de vicinis multas splendidas victorias reportarunt. Tandem elatæ successibus, primæ defecerunt à domo Dauidis. Nam post Salomonem decem tribus

Iero-

Ieroboamum delegerunt Regem : is Ephraimita fuit. Proinde Regnum decem tribuum alio nomine Domus Ioſephi, & Regnum Ephraim nuncupatur. Superauit tribus Ephraim tribum Manaſſen, & numeroſitate, & dignitate. Cum autem gentes in vtraque tribu peccatorum menſuram impleuiſſent, cum reliquis octo tribubus in perpetuam captiuitatem à Salmanaſare tractæ ſunt.

Et hactenus quidem Iacobus teſtamentum fecit, quoad ſuam perſonam, & quoad duos Ioſephi filios, Ephraimum & Manaſſen. Poſtea quoad omnes filios teſtamentum erexit, ſingulis valedicendo, & ſpiritu Prophetico prædicendo, quid ipſis euenturum in terra, quam Patribus eorum Deus promiſit.

Primo alloquitur filios Leæ, inter quos primus eſt Ruben. Huic nihil boni prædicit. Fore enim, vt primogenituræ dignitate & priuilegiis deiiciatur, quia inceſto coitu cum nouerca paternum cubile polluerat.

Deinde Simeoni & Leui coniunctim, quid eis euenturum eſſet, prædixit : diſpergendos videlicet eſſe in fratres ſuos, eo quod Sichimitas perfide atque improbe oppreſſerunt. Impletum hoc in vtriuſque poſteris. Leuitæ enim ſparſi per Iſraelem, paſſim in ſuburbibus habitabant, ex ſacrificiis ſe alentes. Simeonitæ vero ſparſim in tribu Iuda viuebant, fuitque tribus eorum obſcura, & paupertate preſſa, ex qua plerunque ſcribæ extiterunt, qui ad vitam ſu-

ſtendandam, ſcribendo & literas docendo, paſſim alimenta quæſiuerũt. De hac tribu Simeon volunt fuiſſe Iudam proditorem. Quod autem Leuitis, ob ſtragem Vrbis Sichem, pœnæ cauſſa imponitur, hoc poſtea in gloriam eorum à Deo mutatur, propter egregiam nauatam operam, in vindicanda Dei gloria contra idololatras. Deus igitur non modo tribui Leui pepercit, ſed etiam in ſacerdotalis honoris faſtigium euexit: quandoquidem ex ea tribu Moſen & Aaronem vindices populi deſtinauerat, & in nulla alia commodius ſacerdotium honorabile quidem, ſed valdè oneroſum erigi poterat, quam in Leuitis ſparſim habitaturis per omnes tribus, iuxta Patris Iacobi oraculum. Ita Deus ſæpe pœnas ſuis non ſolum mitigat, ſed etiam in bonum conuertit.

Simeonem & Leui ſequitur Iuda, qui etſi non abſque vitio eſt; tamen quia eum concubitus cum nuru ſua Thamare pœnituit: inſignia ei bona promittit. Primo celebritatem nominis, à quo reliqui omnes, Iſraelitæ Iudæi appellabuntur. Deinde victorias contra hoſtes: quas multas præclaras reportauit tribus Iuda, maxime ſub Dauide. Tertio principatum & imperium. Ex illius enim poſteritate fuit Dauid & Salomon, qui toti Iſraeli imperarunt, & ab illis multi alii Reges & Principes deſcenderunt, vſque ad Chriſtum. Quarto animoſitatem & fortitudinem. Et fuit ſane tribus Iuda, aliis tribubus numeroſior & fortior.

Aſcen-

Ascendit è præda, cum Dauid finitimas regiones & populos deuicit ac subegit. Accubuit & requieuit sub Salomone, qui pacem habuit per circuitum, & tanto terrori vicinis fuit, vt nemo eum lacessere auderet. Postremo promittit Iudæ, Christum ex posteritate eius nascendum, ac docet: politicam Reipub. administrationem non prorsus ablatam iri à tribu Iuda, quamuis interdum debilis & infirma futura sit, vsque ad aduentum Messiæ: sed semper fore vel Reges, vel Principes è Iuda oriundos, qui gubernent Rempub. Quod impletum in Christo. Habuerunt enim Reges Iudæi vsque ad captiuitatem Babylonicam, & in ipsa captiuitate Iechonias liberatus, & vt Rex honoratus est Post captiuitatem Duces fuerunt, qui Rempub. rexerunt vsque ad Herodem alienigenam, Edomitam scilicet, filium Antipatri Ascalonitæ. Impetrauit is Romæ apud Octauium & Antonium, vt Senatus Romani authoritate & voluntate, Iudæorum Rex fieret. Ac cum multis annis rebellarent Iudæi, ipse autem tandem vi eos adigeret, vt Regem agnoscere cogerentur, Christus Silo confirmato Regno eius in Bethlehem natus est.

A Iuda progreditur Iacobus Patriarcha ad Zabulon, cuius habitationem in terra Chanaan maritimam fore indicat, quæ habitura sit idoneos portus ad exercendam mercaturam, & propterea florituram opibus & diuitiis. Ex hac tribu ex parte fuerunt Apostoli, quos Christus

ad ministerium prædicandi Euangelii delegit & in huius tribus regione Christus multum concionatus est.

Post Zabulon conuertit se ad Isascharem, quem comparat asino forti inter duas sarcinas significans, posteritatem eius satis quidem robustam & validam fore, sed seruili ingenio præditam, quæ onera sibi imponi facile ferat. Causam huius reddit, quia inhabitatura sit terram fertilem & bonam, de qua periclitari non volet, & propterea antequam se hostibus opponat, se potius in seruitutem lubenti animo tradituram sit, vt in pace & quiete bonis suis frui possit.

Sequuntur filii ancillarum: & primo filii Bilham, Dan, & Gad.

Dan comparat serpenti iuxta viam insidianti, significans; astu & insidiis magis, quam aperto Marte contra hostes pugnaturum.

De Gad affirmat, quod fortunatum felicemque in bello successurum habiturus sit. Et floruit hæc tribus bonis militibus, qui continenter bellum gesserunt cum Moabitis, Ammonitis, Syris, eosque feliciter repressérunt: donecà Dauidis domo defectione facta, à pietate degenerarunt, & in Assyriorum potestatem traditi sunt.

Filii Ziphæ, ancillæ Leæ, sunt Aser, & Naphthali.

De filio Aser inquit, posteros eius terram habituros fertilem, & suauissimis abundantē frugibus, quæ etiam Regibus in delicis futuræ sint.

sint. Magnam fuisse huius tribus potentiam, hinc est manifestum, quod educere potuerunt milites 260000. ad militiam idoneos. His vero aliisque donis abusi sunt. Nam vna cum aliis nouem tribubus, domum Dauidicam reliquerunt, & adhærentibus Regibus decem tribuum, tandem in captiuitatem perpetuam sunt abducti.

De Naphthali ait, quod velut ceruus futurus sit, & daturus eloquia pulchritudinis. Quibus verbis celeritatem ei tribuit in persequendis & opprimendis hostibus: ac eloquentiam in celebrandis Dei laudibus: quorum alterum impletum fuit in Baraco, qui ex hac tribu oriundus, subito collecto exercitu, potentissimum Principem Sisaram vicit, & in fugam conuertit: alterum in Debora Prophetissa, quæ eleganti carmine victoriam, contra Sisaram à Deo concessam, celebrauit. Possumus etiam hanc celeritatem & eloquentiam referre ad Apostolos, quorum aliqui ex tribu Naphthali oriundi fuerunt, qui emissi in Orbem terrarum, velociter suauissimam Euangelii de Christo doctrinam sparserunt.

Sequuntur filii Rachelis, Ioseph & Beniamin.

De Ioseph pluribus verbis loquitur, dilatans erga ipsum cordis sui affectum. Et haud dubie, si pro arbitrio suo benedicere debuisset filiis, in Ioseph benedictionem de venturo Messia transtuliisset, quod ille omnium dignissimus: sed spiritu Prophetico linguam Patriar-

chæ Iacobi fuisse gubernatam, satis est euidens. Docet a. multis insignibus bonis Ioſephum inclytum fore. Primo quidem multiplicatione posteritatis, comparans illum arbori plantatæ ad riuos aquarum, quæ in altum exurgit, & longe lateq; se extendit. Et sane tantum creuerunt Ioſephi posteri, vt duas numerosissimas tribus, Ephraim & Manasse, in Israele constituerent. Deinde regno, & victoria contra hostes. Atque hoc factum esse, ex libris Regum cognoscitur. Syri enim sæpe Regnum Ephraim siue Samariæ inuaserunt, illudque penitus delere voluerunt: sed pulsi & profligati sunt, clementia Dei. III. Illustribus viris & Heroibus. Et habuit sane Regnum Israeliticũ eximios & præstantes Prophetas: Eliam, Elizæum, Micham, & alios. Habuit etiam Duces & Reges rebus gestis claros; vt Ioſuam, Gedeonem, Ieroboamum, & similes. IV. Fertilitate & fæcunditate pecorum.

Sequitur Beniamin. Hunc etsi Iacobus magnopere diligit, quod esset senectutis filius: tantum tamen ei benedicit, quantum Spiritus sanctus, cuius minister est, suggerit. Vocat eum *lupum rapacem, mane comedentem prædam, & vesperi diuidentem spolia:* significans, aliorum direptorem fore; sed tandem ipsum quoque aliis direptioni ac prædæ futurum. Quod vaticinium impletum fuit in posteris eius Beniamitis, qui defendentes Gabaonitas, trucidarunt ex Israelitis quadraginta millia virorum fortium: sed postea ipsi quoque victi sunt, & facti Israelitarum præda. Impletum etiam

iam in Saulo, qui initio depopulatus est Ammonitas & Amalecitas: grassatus quoque in innocentes omnes, qui Dauidi fauebant: tandem vero ipse quoque turpiter succubuit, prædaque factus est. Impletum quoque in Paulo Apostolo, è tribu Benjamin oriundo, qui primum instar lupi Christianos oues rapuit & dilaniauit: postea autem ad Deum conuersus, diuisit spolia: ac multo plures prædicatione sua Ecclesiæ acquisiuit, quam persecutione sua è vita hac tollendo ademit.

Postquam hoc oraculo Iacobus filiis suis valedixit, curam sepulturæ suæ omnibus in genere diligenter commendauit; vt eos ad fidem extimularet, & admoneret, ne perpetuam sedem in Ægypto figant. Iussit igitur se sepeliri in spelunca duplici, quam olim Abrahamus cum agro ab Ephrone Etheo, ad sepulturam suam & suorũ, emerat Finito sermone, sanctissimus Patriarcha Iacobus pedes in lectum retraxit, & statim placidum vitæ sortitus est exitum: Anno mundi 2256. ætatis 147. Mortuum Iacobum non tantum deflerunt filii, sed etiam Ægyptii per 70. dies, præsertim Iosephum defunctum cum lachrymis deosculat' est. Memor etiã, quid Pater ante finẽ vitæ suę à se petierit, quidve ei promiserit, vt hoc ipsum ei postremum præstet & exsoluat, vt morigerum filium decet, omnem nauauit operam. Quia enim corpus patris, secundum voluntatem illius, in terram Chanaan deportare cogitauit, & ad hanc rem non parum temporis requiri intellexit, mandauit Medicis

suis, vt corpus eius vngant, & aromatibus condiant, vt a putredine conseruari possit. Praetermissis diebus luctus, Iosephus per internuncios alloquutus est Pharaonem, rogans, vt patrem suum in terra Chanaan sepelire liceat. Pharao in petitionem Iosephi lubenti animo assentitur, & facit abeundi potestatem. Impetrato assensu, Iosephus praestat patri Iacobo, quod promisit. Ingreditur ipse iter, & deportat patrem ex Aegypto in terram Chanaan, a posteris aliquando occupandam.

Comitantur ipsum fratres, & domestici eius, qui hoc postremum pietatis officium patri defuncto praestare volunt. Consistit primo in Area Arad, qui locus trans Iordanem est, a quo duobus miliaribus, & tribus a Iericho lapide distat. Inde in Hebron proficiscitur, vbi patrem Iacobum in spelunca duplici è regione Mamre sepelit. Atque ita mandato patris sui, & iuramento à se praestito, plene satisfacit. Sepulto patre, redit Iosephus in Aegyptum, & cum eo fratres illius.

Natus est Iosephus Iacobo ex dilecta vxore Rachaele, Anno Mundi 2200. aetatis Iacobi 91. Propter egregiam indolem parentibus suis charissimus, non tamen ad ocium, sed ad pasturam pecudum educatus, mansit domi, vsque ad annum aetatis XVII. Mores habuit modestos prorsus, & ab omni fastu & simulatione remotos. Quae videbat à fratribus suis suscipi aut geri ne farie, ea ad patrem Iacobum deferebat, cuius in-

tererat

tererat scire delicta filiorum, vt ea emendaret, & offendiculum apud gentiles auerteret. Præ cæteris igitur filiis amauit illum Iacobus, tum quod matre Rachaele orbatus, tum quod ex potiore vxore, tum quod suauissimis moribus præditum in senectute genuit eum. Cuius amoris gratia peculiarem ei fecit tunicam polymitam, mira varietate distinctam, & ad talos vsque pertingentem.

Vt autem nulla virtus caret inuidia, sic nec Iosephus immunis à fratrum æmulatione esse potuit.

Molestè enim ferebant, quod scelera ipsorum patri patefaceret, odio illum habebant, quod ardentius amaretur à patre, quam reliqui filii: Extinctum etiam cupiebant, quia cognouerant ex duobus somniis eius, quod Princeps esset futurus totius familiæ suæ. Neque occultum hoc illorum odium diu esse potuit: sed paulo post erupit.

Pascebant Iosephi fratres oues prope Sichem, & cum præter exspectationem diutius abessent, anxius pater Iacobus de incolumitate eorum, quod in loco periculoso essent, vbi odiosos eos fecit furor & indignatio, qua occiderunt Sichimitas: mittit ad eos Iosephum, vt statum eorum cognoscat. Paret Iosephus voluntati & mandato patris: abiit Sichem; vbi cum fratres non inuenit, aberrans in agro, in angelum; ex quo intelligens, Dothaim fratres abiisse: relicta Sichem, Dothaim proficiscitur.

Vt

Vt aduenientem Ioſephum fratres vident: mox prodit ſe eorum inuidia & odium, immo in apertum ac deteſtandum facinus prorumpit. Statim enim ſuper morte eius conſultant, nec poſſunt præ inuidia proprio appellare nomine, ſed ſomniatorem vocant. Quia vero conſilium de occidendo Ioſepho, eſt contra conſilium Dei, qui illum non interfici, ſed in Ægyptum mitti vult, vt in fame & egeſtate paternæ domui ſubueniat, quin etiam hoſpitium in Ægypto procuret: ideo fieri non poteſt, vt hoc fratrum conſilium ſuccedat. Itaque ex ipſis fratribus hoſtibus & inimicis excitat Deus Ruben, qui cruentum conſilium impediat, & fratres dehortaretur à nece Ioſephi. Ruben vero quia videt, ſe obtinere non poſſe, vt fratres Ioſephum ſaluum & incolumem ad patrem dimittant, ſuadet, vt proiiciant eum in ciſternam, vbi fame pereat: ipſi autem manus in eum non coniiciant.

Statim igitur vbi Ioſephus miſer ad fratres ſuos venit, cauſam legationis ſuæ expoſiturus; illi confeſtim in ipſum irruunt, & exuunt, detrahentes ei veſtem polymitam, ſignum virtutis ipſius, & paterni amoris. Nudatum vero proiiciunt in ciſternam, carentem aqua: quales plerunque ſerpentes & ſcorpiones alunt, animalia mortifera & venenata.

Hoc tam nefario ſcelere perpetrato, quaſi re bene geſta, fratres Ioſephi ſe ad epulas conuertunt & conuiuantur hilariter; fratre Ioſeph, interim eſuriente & lugente. Inter comedendum, ex Dei diſpoſitione, adueniunt negociatores

Iſma-

Ismaelitæ & Madianitæ, proficiscentes in Ægyptum. Quos vt videt Iudas, sentiens conscientiæ stimulos, hortatur fratres, ne Ioſephum in cisterna perire sinant, sed potius aduentantibus mercatoribus vendant; nihil enim ipsis profuturum, si fratrem occidant, aut enecent. Placet hoc consilium Iudæ cæteris, absente Rubene: ob eam potissimum causam, quod eo liberarentur, vt ad patrem amplius redire non possit, & tamen ille in vita permaneret. Extractum itaq; Ioſephum è cisterna negociatoribus offerunt, & vili precio, 20. scilicet argenteis vendunt. Negociatores Ioſephum, tam precioſissimum aroma, vili precio emptum, secum abducunt, & in Ægyptum afferunt; cuius postea fragrantiam & virtutem non modo tota Ægyptus, sed etiam vicinæ gentes sunt expertæ. Nihil autem non faciunt fratres Ioſephi, vt patrem fallant. Hædum enim mactant, illiusque sanguine tunicam Ioſephi tiugunt, quam per alios ad patrem mittunt, nunciantes, se inuenisse eam in loco deserto iacentem; vt à bestia deuoratus existimetur.

Accepta tunica Ioſephi cruentata, Iacobus perturbatus fidem habuit filiorum mendacio, lacerauit vestimenta sua, & cilicio se induit, totoque tempore filium Ioſephum luxit, quo manſit in opinione laniati illius à bestiis, annis prope 23. Interea ductus Ioſephus in Ægyptum, venditur à Madianitis Potiphari, eunucho Pharaonis, magnę authoritatis viro, qui ipso vt seruo ad domestica sua opera vtitur. Sic visum est Deo,

Deo, vt præcursor populi sui in Ægypto seruituri, ad tempus seruiat: vt in ipso præmonstretur, qua sorte vsuri sint Israelitæ in Ægypto. Gessit autem se Iosephus in hac seruitute fidelissime, & sensit benedictionem Dei, fortunantis ac prosperantis omnia eius consilia & facta: propter quam benedictionem, gratiam apud herum suum inuenit, adeo vt ab eo super totam domum eius constituatur præfectus.

Vt vero Iosephus pulcher animo, multis ornatus virtutibus, ita quoque pulcher fuit corpore. Ob hanc illius formositatem, illicito erga eum amore capitur herilis vxor impudica, quæ illum ad concubitum quotidie sollicitat. Recusat Iosephus impudicæ mulieri morem gerere, ponderosis rationibus. Illa cum verbis persuadere non potest, obseruata occasione pallium Iosephi apprehendens, vi quasi cogere vult ad stuprum: verum cum ne sic quidem Iosephum adducere se posse videt; amore in odium conuerso, extremum ei apud maritum periculum creare tentat: & rem singulari astutia aggreditur.

Primum conqueritur, quod cum Iosephus Hebræus sit, homo videlicet vilissimus, ab hero omnibus prælatus sit, & præfectus toti domui. Deinde illum nefarie eius criminis accusat, cuius ipsa rea est. Herus Potipharaudiens vxoris accusationem, fidem verbis eius habet: & ad iram commotus, mittit Iosephum in carcerem, in quo asseruantur magna cura vincti, qui in Regem peccarunt.

Iose-

Iosephus in carcerem missus, non clamitat se innocentem, nec conuitia in heram suam improbam iacit, nec contra Deum murmurat, sed patienter fert iniuriam, & vindictam Deo commendat, à quo exspectat auxilium. Vt igitur propter somnia fratrum odium contraxit, & in extremam miseriam incidit: ita etiam per somnia liberatur, & ad summos honores euehitur, hac occasione. Coniiciebantur in eundem Iosephi carcerem duo Eunuchi Pharaonis, quorum alter Princeps Pincernarum, alter Præfectus Pistorum fuit. Hi ambo in vna nocte somnia habent diuersa.

Iosephus pro more vinctos mane visitans, videt duos istos eunuchos solito tristiores, & quærit huius tristitiæ causas. Pincerna videns Iosephi humanitatem, simul ac profert somnium suum, dicens, se vidisse vitem, tres ramos habentem, & floreſcentem, atque ad maturitatem producentem vuas, quas expresserit in calicem Pharaonis. Iosephus audito somnio, mox illud ex diuino afflatu interpretatur: & docet, significare ei bona, nempe quod post triduum restituendus sit in pristinum locum, & ministraturus sit Pharaoni, vt ante facere consueuerit. Post interpretationem somnii, admonet pincernam gratitudinis, & rogat, vt sui meminerit, quo liberetur ex carcere. Pistor videns, quam bona fuerit interpretatio somnii pincernę, iudicat similem se accepturum: quamobrem alacri animo ipse quoque Iosepho som-

somnium suum exponit: dicens, se vidisse, quod portarit in capite tria canistra, & supremum plenum fuisse obsonio variisque cibis, quales solitus sit Regi suo Pharaoni offerre; de iis vero aues comedisse. Quod eius somnium etsi Iosephus nihil boni portendere intelligit; non tamen pistorem falsa spe nutrit, sed plane & perspicue, quod ex Dei reuelatione nouit, exprimit: nempe quod post triduum suspendium ei immineat. Sortitur vtriusque somnii interpretatio eum euentum, quem prædixit Iosephus. Die enim tertio celebrat Pharao natalem suum, & ad conuiuium vocat omnes aulicos: reuocatur ei in memoriam pincerna & pistor, & alterius quidem miseratur, donans ei vitam, & in pristinum locum restituens: alterum suspendio adiudicat.

Iosephum vero Deus liberaturus ex captiuitate, & admoniturus Pharaonem, Regem Ægypti, de rebus futuris, immittit Pharaoni somnium duplex. Primo somnio videt è Nilo fluuio, Ægyptum irrigante & fœcundante, ascendere vaccas primo pingues, virides pascuas depascentes: deinde tenues & macilentas, stantes iuxta pingues, & deuorantes eas. Altero somnio videt septem spicas pingues ac bonas oriri ex vno culmo, & rursum alias septem spicas arefactas vento orientali nasci, & absumere spicas pingues ac plenas. Mane è somno euigilans Pharao, & considerans, duplex se somnium habuisse, admodum triste, consternatur magnopere, metuens, ne quid mali portendat, & forte futu-

futuras in regno seditiones, in quibus optimates à plebeis perimantur, & deleantur. Conuocat ergo omnes sapientes suos, quos tum ad manum habet, tum in toto regno suo esse nouit. Illis exponit somnium suum, & illius interpretationem sibi indicari petit. Ex sapientibus vero Ægypti nullo existente, qui somnium Pharaonis explicare posset; fit tandem, vt pincerna sui somnii, & interpretationis illius recordetur. Admonet igitur Regem casus sui, & suadet Iosephum ex carcere adduci, quem sperat somniũ Regis similiter, vt suum interpretari posse. Intelligens Pharao, in carcere esse, qui somnia interpretari valeat, statim eum adduci iubet. Ad quod mandatum Iosephus protinus è carcere adducitur, & ne sordidus ac squalidus in conspectum Regis Pharaonis veniat, tondetur & vestitur. Itaque subito mutatur fortuna Iosephi, & qui cum ignominia coniectus est in carcerem, summa cum gloria producitur ad Regem Pharaonem, qui cupidus cognoscendi, quid velit somnium suum, quale illud sit, Iosepho exponit: qui mox ei significationem aperit, & indicat; somnium vnum esse, ac portẽdere septem annorum fertilitatem, & totidem annorum sterilitatem breui subsequuturam. Post interpretationem somnii, dat Pharaoni consilium, in sublenanda septennali fame, suadet virum constitui sapientem, qui rei frumentariæ curam agat & quintam partem prouentum fertilium annorum colligat in granaria Regis, & reseruet vsque ad sterilitatem sequentium annorum.

Placet

Placet Pharaoni consilium Ioſephi, eumque dignum iudicat, quem non modo rei frumentariæ, ſed toti etiam adminiſtrationi Regni ſu præficiat. In cuius rei confirmationem externa ſigna & teſtimonia adhibet, vt in conferendis honoribus fieri ſolet. Tradit ei annulum ſuum regiæ poteſtatis ſymbolum, ad obſignandum quæ velit.

Deinde ornat eum ſtola byſſina, ex lino facta, cuius fertilis eſt Ægyptus. Præterea donat ipſi torque aurea, quę dari ſolebat iis, qui ſe viriliter & fortiter geſſerant, vt inſigne eſſet magnæ eximiæque virtutis. Adhæc curru circumuehi mandat, & proclamari à præcone, vt omnes coram eo genu flectant. Inſuper nomen eius immutat, vocans ipſum Zaphnath Phaneah, quod ſecretorum interpretem ſignificat, quo nomine propter admirabilem ſapientiam appellat. Poſtremo dat ei vxorem, ex ordine apud Ægyptios honoratiſſimo, ſacerdotali ſcilicet, & haud dubie non inferioris alicuius, ſed præcipui ſacerdotis filiam: quod facit, non modo vt propter affinitatem honoratior ſit, ſed etiam vt ipſum hoc pacto in Ægypto retineat, & tam præſtans ac generoſum illius ſemen in Ægypto, ad ſubditorum ſuorum commodum, multiplicetur. Ita Ioſephus à fratribus in miſeram ſeruitutem venditus, & poſtea in carcerem detruſus, admirabili Dei prouidentia ſuper totam Ægyptum extollitur, & Regi Pharaoni proximus efficitur: in quo principatu permanſit vſque ad mortem.

Ad

Ad Principatum autem Ægypti euectus, non ocio aut luxui sese tradidit: sed statim aggressus est ad perlustrandam terram, vt videat, vbi defectus sit, qui corrigi possit: Anno ætatis xxx. Paulo post maxima fertilitas oritur, quę septem durat annis, in quibus quintam partem frumentorum colligit in granaria Regis. In his annis nascuntur illi duo filii: Manasse & Ephraim. A fine septem annorum, quibus durauit fertilitas, oritur summa annonæ charitas, quæ totidem annis durat, eaque non tantum Ægyptum, sed etiam circumiacentes regiones inuadit & corripit. Deficiente igitur annona, aperit Iosephus horrea, ad quem Rex Pharao populum alimoniam petentem mittit.

Hæc occasio traxit Iacobum cum tota familia in Ægyptum.

Fame enim pressi Iosephi fratres, & excitati mandato patris, in Ægyptum omnes proficiscuntur, excepto Beniamin, vt tanto plus frumenti secum afferant, quæ pro tam numerosa familia sufficiat. Vt vero fratres, qui simul in venditionem conspirauerant, in conspectum Iosephi Principis Ægypti veniunt, ad testandam animi sui subiectionem, in terram se humilime prouoluunt. Agnoscit Iosephus fratres coram se prostratos, eosque verbis duriter tractat, & in carcerem detrudi præcipit, vbi triduum detenti sunt, & culpam olim commissam serio deplorarunt. Iosephus tamen, fraternæ charitatis obliuisci non potuit: eosq; quamprimum domum redire voluit. Nam in horum

omnium

omnium conſpectu Simeonem vinculis conſtrinxit, vt pignoris loco ſeruet, dum illi redeãt, & Beniamin ſecum afferant, quem videre ſaluum geſtiebat. Simeonem autem non fruſtra detinuit obſidem. Is enim præ cæteris fratribus ferocior fuit, & dux authorque tragœdiæ contra Ioſephum excitatæ. Cæteros fratres Ioſephus poſtea à ſe dimiſit, & iuſſit ſeruos ſaccos illorum replere frumento, & cuique ſuam pecuniam includere, inſuper pro viatico dare cibaria, vt frumentum integrum domum afferant.

Dimiſſi igitur fratres Ioſephi, & domum reuerſi, referunt patri Iacobo, quod duriter excepti fuerint in Ægypto, à viro Principe, qui explorationis & proditionis eos accuſarit: & cum ſe purgarent, dicendo, ſe numero 12. vnius viri filios eſſe, mandarit, vt ad experimentum veritatis, vno Simone in vinculis relicto, domum redeant, & Beniamin fratrem natu minimum adducant. Poſt hanc commemorationem effundunt frumentum apportatum, in qua effuſione quiſque faſciculum pecuniæ ſuæ reperit. Ex hac filiorum narratione Iacobus incidit in grauiſſimum mærorem. Ruben vero cupiens illum permouere, vt Beniamin cum ipſis in Ægyptum mittat, offert ei duos filios ſuos pignoris loco. Sed Iacobus nihilominus partim metu & formidine, obſtinate renuit filium natu minimum, qui ſolus ex dilecta Rachele ſupererat, in Aegyptum mittere.

Non remittit interim fames, ſed ingraueſcit quoti-

quotidie, & deficit annona, quam ex Ægypto asportarunt filii. Sic Iacobum necessitas cogit, vt filios denno abire iubeat: quod hactenus distulit propter Beniamin, quem vna mittere noluit. Instabat pro dimittendo Beniamin apud patrem Iacobum Iudas, indicans periculum, si non dimiserit. Tandem fratres accepta à Patre Iacobo abeundi potestate, cum Beniamin natu minimo, parant se ad iter, & denuo in Ægyptum ad Ioſephum veniunt: quibus vt Ioſephus verbis & oratione se humanum præbuit: ita etiam opere, splendido scilicet ac liberali conuiuio. Antequam vero eos dimitteret, iussit vnicuique reddi pecuniam: scyphum vero suum in sacco Beniamin includi, quem, tanquam furto ablatũ, repetere cogitat. Quo bono dolo vsus est nõ vt fratres in discrimẽ adduceret, sed vt exploraret affectus ipsorum erga se inuicẽ, & inprimis erga Beniamin, & seniorem patrem Iacobũ. Progressis iam aliquo vsq; fratribus, Ioſephus mittit ad eos œconomum, qui mox inquisitionem facit, & apud Beniamin scyphum inuenit. Inuẽto scypho omnes timore percelluntur, inprimis vero Iuda, qui fidem pro Beniamin, interposuit apud patrem. Quare ex dolore scindunt vestimẽta, & vnanimi studio ad ipsum Principem Ioſephum contendunt, eius imploraturi misericordiam & clementiam. Iuda sciens, quid patri promiserit & quãtum ille dolorem accepturus sit, si Beniamin non reduxerit, magna solicitudine pro eo apud Ioſephum intercedit: & se pro liberando Beniamin offert, vt patri seruet, quod promisit. Iudæ

oratione permotus Ioſephus, erumpit in lacry
mas, & fratribus ſe patefacit, condonans eis in
iurias, & dãs mandata ad patrem Iac. cui hæc Ev
angelia de Ioſepho ſuperſtite & Ægypti Princip
læti renuncient. Dimiſſi à Ioſepho fratres, domi
redeunt, & lætum atq; inexſpectatum afferun
patri nuncium de vita & gloria Ioſephi. Iacob
primo hoc nuncio exanimatur quaſi inter ſpe
& metum cõſtrictus. Poſtea v. vbi videt Ioſeph
munera, in ſignum cum vitæ ſuæ, tum amoris &
obſeruantiæ miſſa, recolligit animum, & credi
verbis filiorum, tantumq; exhilaratur, vt reui
uiſcat, iam pene præ triſtitia extinctus. Nec tan
lætatur dominatione & imperio Ioſephi, q̃ vit
ipſius: quem ſatagit videre, antequam moriatur
Liberalitate igitur Regis, ac deſiderio vidend
filii, vocatus S. Patriarcha Iacobus, relicta terr
Chanaan, cum vniuerſa familia in Ægyptum
deſcendit: à filio Ioſepho reuerenter excipitur,
& introductus ad Pharaonem ſimul ac verbis &
factis pietatem & gratitudinem animi ſui co
ram Rege declarauit, pro tam benigne conceſſ
habitatione & hoſpitio. Rex Pharao, vt bene
uolentiam ſuam magis teſtatam faciat erga Io
ſephum, bene de toto regno Ægyptio meritum
liberaliter Iacobo, & filiis ſuis, terram Goſen cõ
cedit inhabitandam, cuius pars optima erat Ra
meſes, vbi vrbem Iſraelitę condidiſſe perhiben
tur. Interea præterita annorum fertilitate, ſub
ſequuta fames tantum indies creuit, vt Ægyptii
pro frumento exponere fuerint coacti oẽs facul
tates ſuas, pecunias, pecora, & agros: præterea ſe

ipſos

ipsos quoq; in seruitutem Regis tradere. In hac tamen famis Ægyptiæ durissima calamitate Rex Pharao familiæ Iacobi gratis alimoniam suppeditauit: eumq; post varias afflictiones & tentationes blande & beneuole tractari. Iacobus igitur septendecim annis dulcissima cõuersatione, & beneficentia Regis Pharaonis, ac filii Iosephi fruitus in Ægypto, tandem se ad mortem composuit: quam vbi siue prophetico, siue naturali instinctu præsensit, supplicauit Iosepho, ne se mortuum in Ægypto, sed in Cananæa sepeliat, quo voto consolari & confirmare voluit familiã suam de certitudine promissionis, certo tandem ipsos in Cananæã reducẽdos esse: proinde in Ægypto mansiones stabiles ne ponerent. Promisit Iosephus, & iuramento cõfirmauit patri Iacobo, ꝙ petebat. Paulo post defuncto Iacobo, Iosephꝰ super faciẽ eius procumbens, lachrymas effudit. Inde cadauer eius aromatibus condiri iussit: & impetrata venia à Rege funus in Chananæã magna solennitate deportauit. Exequiis peractis, cum fratribus in Ægyptum, Dei oraculo retractus est, vt semen Abrahami prius multiplicaretur & seruiret in Ægypto, quam inde educeretur. Post obitum patris 53. annis cum fratribus habitauit in Ægypto, vsq; ad mortem. Principatum gessit totis annis 80. non sub vno Ægypti Rege, sed sub quinque: Oro, Amasi, Chebrone, Amenophe, & Mephre, sub quo vitam finiuit, anno mundi 2368. ætatis 110. Corpus eius aromatibus conditũ, in arca asseruatum est, annis 155. vsque ad egressum Israelitarum ex Ægypto.

Memor enim Moſes teſtamenti Ioſephi, qu
ſe non in Ægypto, ſed in terra Chanaan ſepeli
mãdauit, piæ ac ſanctæ voluntati eius parẽdu
exiſtimauit. Itaq; in egreſſu oſſa ei⁹ in ſarculo
ſeruata ſunt, & ex Ægypto ad Chanaan trãſfe
curauit. Sic Iſraelitæ Ioſephum, quem viuu
ignominioſe miſerunt in Ægyptum, mortuu
honorifice ex Ægypto reducunt, & ſepeliunt.

Viuente *Ioſepho*, res Iſraelis bene habeba
nec quicquam aduerſi patiebantur ab Ægyptii
quin etiam non paucis annis poſt obitum ei
proſpere degebant. Recens n. beneficii memo
obſtrictos tenebat Ægyptios, vt quamuis mo
bus & religione ab ipſis differrent, ſua tamẽ illo
libertate frui concederent. Adhæc Deus tanta
Iſraelitis gratiam largiebatur, vt breui anno
ſpatio in aliquot cẽtena millia excreuerint. An
tequam v. ſtatus & conditio eorum mutaretu
moriebantur omnes illi, qui cum Patriarcha Ia
cobo in Ægyptum deſcenderũt. Hos pios è me
dio ſubtraxit, priuſquam impietatem Iſraelita
puniret, qui horrẽdis Ægyptiorum ſuperſtitio
nibus, aliiſq; inquinamentis ſe polluerant.

Iſraelitarum itaque conditio mutari cœp
quãdo priori Regi Ægyptio ſucceſſit nouus Re
Pharao, ex alia ſtirpe & progenie natus, quem
quidam putant fuiſſe Amenophim. Vidit is Il
raelem breui temporis ſpatio & tenuibus initi
mirum in modum creſcere, non modo numero
ſed etiam opibus & potentia, itaque inuidia fla
grare incipit, & veretur, ne ſi proſperitati illius
non reſiſtat, ipſis Ægyptiis potentior euadat, &

ingruen

ingruente bello hostibus se iungat. Ab hoc inuido Rege constituuntur Præfecti & Magistri, qui Israelitas ad laborem & opera molesta adigant. Præter vulgaria n. tributa, quæ ab ipsis exiguntur, ædificatio etiam imponitur duarum ciuitatum, in finibus regionis Gosen, quæ ipsis iã olim in habitationẽ assignata erat à Iosepho. His ciuitatibus Rex Pharao Israelitas concludere & coercere voluisse videtur, ne vel tumultũ concitare, vel in terram Chanaan redire possent. Nõ enim dubium, quin ad Ægyptios dimanarit, ꝙ in patriam redire assidue cogitent. Verum quo magis Israelitæ ab ingratis Ægyptiis premuntur & affliguntur: tanto magis benedictione Dei crescunt. A vi & truculentia aperta, quæ nihil profuit, descendit tyrannus ad occultas fraudes & insidias. Fœtus n. masculos ex vtero prodeuntes iubet clam interfici: atq; obstetricibus mandat, vt tam diræ & barbaræ crudelitatis sint ministræ. Palam n. nõ audebat miseros & innoxios fœtus ex vtero prodeuntes ad trocidationẽ obiicere, ne tanta atrncitas ad vlciscendi rabiẽ Israelitas accenderet. Verum obstetrices illæ Dei reuerentia erectæ & suffultæ, Pharaonis mandatũ, ab omni humanitate alienũ, fortiter spreuerunt. Quod per obstetrices occulta fraude efficere non potuit tyrannus, id carnificũ suorũ opera aperta vi facere molitur. Præcepit n. Ægyptiis suis, vt quicquid masculi sexus apud Israelitas natum fuerit, ab vberibus & sinu matrum raptum, in flumen proiiciatur, & suffocetur.

In hac miserrima Israelitarũ afflictione, Deus

salutem eorũ meditatur, prospiciens de futuro liberatore Mose, qui tempore durissimæ huius captiuitatis Israelis in Ægypto, natus est anno mundi 2443. ex patre Amram, nepote Leui, de posteritate Abrahæ: & matre Iochebed, de tribu eiusdem Leui oriũda. Centũ viginti annos ætatem vsq; produxit, animi & corporis viribus integram. Ex his primos 40. in aulæ Ægyptiacæ splendoribus ac strepitu transegit: medios totidẽ in exilio Madianitico priuatus latuit: postremis 40. in lucẽ Reip. pertractus a Deo, miraculis & rebus gestis supra humanã conditionẽ in Aegypto, & in deserto claruit. Infantulus trimestris a parentibus fiscellę inclusus edicto tyrãni in fluentẽ proiectus fuit. Actũ tũc videbatur de infantis vita, de populi liberatione, de Dei cõsilio, quo hunc vindicẽ populi seruitute oppressi destinauerat. Sed non est consiliũ contra Dominũ: quippe qui ex media aula & gynæceo Aegyptio filiã Pharaonis Tharmutin, nihil minus q̃ quod agebat opinantẽ, arcano prouidentiæ tractu accersit ad Nili ripã, eiusq; voluntatẽ ita flectit, vt cõspicata & miserata puellũ in viscella vagientẽ ex aquis extrahat, lactandũ ac nutriendũ matri reddat: adultum recipiat, & in in filium adoptet. Sic Deus Mosen ex aquis extractũ, & quasi è sepulchro in vitã reuocatũ, mirabiliter seruauit. Etsi a grandior factus Moses eruditus fuit omni sapiẽtia Aegyptiorũ, nihilq; tunc Aegyptus haberet Mose vel elegãtius, vel admirabilius: tñ præcipuũ id fuit Mosis decus, q̃ cognitionẽ veri Dei, veramq; pietatẽ ac fidẽ domi cum lacte matrno à pueris hausta aulæ deliciis non excussit.

Didicerat n. ex parentibus, se esse ex semine S. Abrahæ, cui tot essent promissiones factæ à Deo: quin diuino instinctu iam tum in se sentiebat Dei consilium, quod populi sui Aegyptia seruitute oppressi designatus esset vindex.

Hac fide Moses relicta Aegypto in Madianiticum exiliũ concessit, ꝙ 40. annos durauit: Inuenit ibi sacerdotẽ pium & prudentem Iethronẽ, cuius filiam Zipporam matrimonio sibi copulauit, vitamq; cũ socero pastoritio labore honeste transegit, Iacobi Patriarchæ exẽplo, donec 80. ætatis anno ad montem Horeb stupẽda visione rubi ardentis, & è medio rubi loquentis Dei voce legatus ad Pharaonẽ Aegypti Regẽ, & Propheta Duxq; ad populũ sub seruitutis onere fatiscentẽ mitteretur. In hac vocatione Moses, licet eximiis polleret donis, non tñ confidenter egit, nec prouinciã splendidã præceps arripuit, sed imbecillitate sua cũ negotii, ꝙ demandabat, grauitate bene pensitata, modestus ac trepidus hanc legationẽ recusauit. Tandem v. diuinæ p̃sentiæ erectus ꝓmissione, ac numinis diuini patefactione cõfirmatus, nec nõ miraculis aliquot, tanq̃ legitimæ vocationis sigillis, & præscientia rei eueturæ aduersus oĩa obstacula & terriculamenta probe armatus, cũ fratre Aarone, legationis socio, alacriter vocationi obtemperat. Sic ambo in Aegyptũ veniunt, exponunt Regi Pharaoni mandatũ, ꝙ à Deo acceperint, & iubẽt, vt populũ Israeliticum abire sinat. Rex Pharao audita hac sententia, legatos sannis excipit cũ Deo suo, moxq; populo onera & lateres duplicat. Legati contra diuinitus confirmati, dimissionẽ po-

puli vrgent, sed frustra: addunt miraculum, virga conuersa in Draconẽ. Id v. Magi similibus p̃stigiis eludunt. Ad alia igitur miracula, & ad plagas horribiles venitur, quibus, tauq̃ durissimis machinis, pulsatur, tandemq; expugnatur Regis Pharaonis, & Ægyptiorũ durities. Mose igitur denunciante, primũ aquę potabiles totius Ægypti vertuntur in cruorẽ, mox ranæ Ægyptum, & regiam ipsam cõplent: accedit dira phtiriasis, q̃ Magi p̃stigiatores eludere non amplius valẽtes, exclamant: *Hic est digitus Dei.* Sed nihil valuit apud præfractũ Regẽ Pharaonẽ tam ingenua Magorum confessio. Pergit igitur Moses, p̃cipiente Deo, omne genus insectis, & bestiis noxiis vniuersam infestare Ægyptum: sequitur lues sęuiés in pecora, mox corpora hominũ & iumentorum vlcerib. pestiferis putrescunt: grandines insuetę fulminibus ac tonitruis mixtæ horribiliter oĩa depopulantur: quicquid intactũ à grandine supereſt, locustarum immensa agmina depascunt: tristissima insuper caligine, tenebrisq; crassissimis totum triduum vniuersa Ægyptus inuoluitur, & quasi sepulta iacet. Deniq; vna nocte ab angelo percussore iumentorum, & hominum, primogenita omnia, & in his ipse regni hæres, miserabili strage interimũtur. Tot flagellis peruicacia Pharaonis vix tandem fracta domitaq;, populum Israeliticum dimissum, eiectumq;, & spoliis probe onustum Moses Dei legatus, è durissima seruitute Ægyptia liberauit. Sed nondũ hic laborum finis. Vix ventũ erat ad mare rubrũ, cum Pharao tyrannus, consilio mutato, populũ

Israe-

Israeliticum, in montium hærentem faucibus, à tergo insequitur. Desperata hic populi sal°: nullus cedendi aut euadendi locus Ante mare vastũ apparet, pone hostilis exercitus instat, latera montes claudunt. Sed Mosis precibus via aperitur per mare, ꝙ Israelitæ sicco pede pertranseũt: Ægyptiæ copiæ persequi Israelitas tẽtantes, fluctibus ad vnum oẽs cum tyranno Pharaone absorbentur: anno mundi 2454. Israelitarum in egressu ex Ægypto fuerunt sexcenta millia, absq; paruulis & mulieribus. Quem numerum si cum 72. animabus conferamus, quibus cõstabat domus Iacobi, quando in Ægyptum profectus est, apparet ingens Dei miraculum in augenda & ꝓpaganda familia Abrahæ. Sed horum multo maxima pars prostrata est in deserto, & duo tantum ex sexcentis illis millibus ad terram promissam venerunt, Iosua & Calebus. Mosen Ducem cum populo vix è faucib. mortis miraculosè ereptũ, non Paradisus, sed vastissimum Arabiæ desertũ, rerumq; summa penuries excipit. Mox populi aduersus eum querelæ, murmura, seditiones oriuntur. Nec inter has tamen difficultates languescit Mosis virtus, sed maxime enitet.

In aditu deserti aquas amaras remedio diuinitus monstrato sanat, vt sint potabiles. Cõmeatus inopia laborãti populo in deserto Sin precibus à Deo Manna de cœlo, & coturnicũ immensam vim impetrat. In Raphidim iussu Dei petrã virga percutiens aqua ꝓfluẽte tumultuantis populi sitim alleuat: qui deniq; vi precũ memorabilem victoriam de Ameleckitis, posteris Esaui,

obtinet. Inter has gubernationis moleſtias cum de Republica conſtituenda curam ſuſcepiſſet, primo quidem Iethronis ſoceri, monitu, ex omni populo, viros fortes, & Deum timentes, magiſtratus delectos populo præfecit, ſibi ſupremam rerum curam ſeruat. Menſe tertio ab exitu à Deo in montem Sinai ad accipiendas leges euocatur. Ibi Deus ex caligine montis fumo & flammis inacceſſi, inter horribilia tonitrua & fulgura, Decalogum promulgat. Populo vocem Dei non ferenti Moyſes internuncius datur; ac denuo in caliginem montis ſolus ad Deum, euocatus, totoſq; ibi 40. dies & noctes abſque cibo commoratus, cœleſte exẽplar tabernaculi, cultuſq; inſtituendi formam à Deo accepit. Abſente Moſe, vituli aurei idolum à populo, & Aarone conflatur: quod indigniſſime ferens ille, accenſus ira, tabulas legis à Deo acceptas frangit, & de authoribus ſupplicium ſumit: Deum vero iratum ſupplicationibus mitigat, populoq; veniam impetrat. Ibidem gloriam Dei à retro in cauerna petræ conſpicatus, iuſſu eius tabulas legis alias inſtaurat, ac tertio in caliginem montis ad Deum aſcendere iuſſus, iterumq;, 40. dierum ieiunio mirabiliter ibi ſuſtẽtatus, Decalogum, quæq; ad Politiæ & Eccleſiæ conſtitutionem, & ab aliis populis diſcretionem, pertinebant, à Deo acceptas, facie ad miraculum coruſcante, & velamen requirente, populo tandem promulgat. Tabernaculum vero cum inſtrumẽtis ad typum in monte exhibitum, conſtructum, primis anni ſecundi ab exitu calẽdis erigit. Tam

præcla-

præclaris documentis Deus Mosis, fidelissimi Ducis & legislatoris populi Israelitici, authoritatem stabiliuit. Reliquis annis pro summis suæ gubernationis difficultatibus & molestiis, nihil præter murmura & insultus populi ingratissimi retulit. Sexies contra eum est tumultuatum, nõ à plebeis solum, sed à tribunis, tribuum Ducib⁹, quin & à collega Aarone fratre & Maria sorore. Sexies pietate & prudentia tumultus illos fregit. Semel diffidentia vacillans ad aquas contradictionis, quando murmurante populo ob sitim petra denuo percutienda fuit, grauem Dei sententiam subiit, ab ingressu terræ Chanaan, trans Iordanem, excluſus. Extremo tamen anno ostẽdit ei Dominus in vertice montis Nebo terram sanctam, quam Israelitis dare constituit. Hac eminus conspecta, Moyses, ex hac ad cœlestem vitam translatus est, anno mundi 2493. ætatis 120. Tumulatus est ipsius Dei manu, sepulchro incognito. Quare vero Dominus sepulchrum eius incognitum esse voluerit, ex epistola Iudæ cognoscimus, qui acre certamen inter Michaelem Archangelum & satanam fuisse dicit de corpore Mosis. Ex Mosis obitu impendebat tristis conuersio. Relictus erat populus Israeliticus tãquam corpus suo capite truncatum. In hoc dissipationis metu, Deus substituit Iosuam, filium Nun, oriundum ex tribu Ephraim, natum in Aegypto, annis 38. ante eductionem populi. Is pene à puero conuictor fuit & contubernalis Mosis, cuius ex perpetuo conuictu multorum annorum, quotidianis consiliis atque sermo-

nibus ad pietatem formatus, in egregium & prę-
ſtantem virum euaſit: ad hoc ſingulariter à Deo
delectus, vt ipſe poſt obitum Moſis populum Iſ-
raeliticum in promiſſam terram Chanaan intro-
duceret. Ingreſſus in hoc munus, & confirmatus
à Deo ipſo, primum omnium miſit exploratores
in Chananæam, qui reuerſi lætum attulerunt
nuncium de pauore incolarũ terræ. Quare haud
moratus, Iordanem medium interſecauit, & Iſ-
raelitas per aridum ipſius alueum diuina poten-
tia traduxit. Iordane per miraculũ traiecto, con-
tinuo legitimũ Iehouæ cultũ ac religionem in-
ſtaurare cœpit. Nã illo toto 40. annorũ ſpatio,
quibus populus per ſolitudinẽ aberrarat, inter-
miſſo circũciſio fuerat. Edixit igitur, vt qui nati
in illo errore fuerant, diuinæ clientelæ notã de-
inceps adſumerent, oẽsq; ad vnũ circũciderẽ-
rur. Breui tempore interiecto, cum ad Hierichũ-
tem ventum eſſet vrbem totius Regionis longe
munitiſſimam; diuinæ poteſtatis ſuæ egregium
documentum prębuit. Buccinatores circũ oppi-
di mænia dimiſit, eoſq; in orbem euntes inflare
ſuas tubas iuſſit: quo facto, repẽte vrbis mænia,
quaſi vi tormentorum diſiecta, corruerunt. At
eius regionis Principes aduentu Ioſuæ permoti,
communi conſilio fines ſuos tueri, bellumq; pa-
rare inſtituunt Ioſua cõtra, etſi neq; robore mi-
litum, neq; numero par eſſet, tamen Dei auxilio
fretus, vbicunq; ſe rei bene gerendæ occaſio p̃-
buit, paratum ſe ad dimicãdum oſtendit. Amor-
rhæorum Reges quinq; in terra Chanaan dele-
uit, inhibente Sole & Luna curſum ſuum, donec
hoſtes ſuos vlciſcerentur Iſraelitæ. Re-

Reuersus in castra cum exercitu, Regum illorum colla pedibus calcari, mox percussos in quinque arboribus vsque ad vesperam suspendi, depositos in antrum proiici iussit. In hoc perpetuo cursu fortunæ & victoriarum, cum multis nationibus conflixit, ingentes exercitus ad internecionem deleuit, plures Vrbes expugnauit, XXXI. Reges debellauit, & totam terram Chanaan sibi subiugauit; eandem sorte inter tribus diuisit, sola Leuitarum familia excepta. Israelitas, suæ fidei commissos, quoad vixit, in veræ religionis professione, atque sic etiam in pace conseruauit. Tandem multis præclaris rebus bello ac pace constitutis, cum esset annorum 110. placide ex viuis abiit, Anno Mundi 2511. sepultus in oppido Thimnath, quod situm est iuxta montem Ephraim. Hinc terra sancta hospitium atque sedem prębuit Iudæis annos 1540. vsque ad Vespasianum Imperatorem.

Mortuo Iosua, qui populum Israeliticum in terram Chanaan diuinitus promissam introduxit; Deus populum suum gubernauit per Iudices, qui erant Heroës diuinitus excitati, iam ex hac, iam ex alia tribu, vt populum Israeliticum gubernarent, defenderent, & ex variis calamitatibus eriperent. Hi authoritate magis iuxta Mosaicas leges gubernabant populum, quam imperio: & Israelitæ libertate adhuc fruebantur sub his Ducibus; antequam iugum Regium sibi ipsis imponerent. Postquam autem Israelitæ degenerare cœperunt, seseq; va-

riis exterarum gentium superstitionibus, atque etiam connubiis commiscere: miserrima statim vastitas Ecclesiæ nata est. Mesopotamiæ enim Rex Chusanius diuinitus excitatus, perfidiam illam ferro atque armis coercuit. Duravit hæc Syriaca vexatio annos VIII. Iis exactis, magnisque calamitatibus exhaustis, Deus gentem suam misertus, Othonielem ei liberatorem attribuit, de tribu Iuda oriundum. Hic Chusanem Regem Mesopotamiæ compescuit, & iugum externæ dominationis à populi ceruicibus fortiter auertit, cultum veræ religionis restituit, & quietem Reipublicæ ad annos 40. peperit.

Othoniele vita functo, populus denuo ad suos mores, veteremque insaniam, & vicinarum gentium superstitionem rediit. Itaque fuit gigas rex Moabitarum Eglon impulsore Deo exortus est, qui duodeviginti annorum spatio impietatem illam vehementissime castigauit. Eas tandem miserias leniit, Ehudii liberatoris Principatus, qui etsi dextra manu mancus erat, tamen hoc artificio magnum ac memorabile facinus edidit. Erat Eglon vasto ac ventroso corpore. Venit ad eum Ehudius, significans, se Dei mandatum habere, quod illi secreto atque in occulto enunciare vellet. Tyrannus remotis omnibus sese in conclaue cum illo solo recepit. Ibi tum Ehudius sinistra gladium arripuit, atque in obesum tyranni ventrem adegit: quo facinore Ecclesiæ instaurationem peperit.

Ehudi Successor Samgarus, Spiritu Dei confortatus, stupenda fortitudine solus ipse bouis stipulo percussit sexcentos Palæstinos, hostes Hebræorum, quibus repressis, seruauit Israelem ab incursu & violentia vicinarum gentium.

Horum liberatorum mortem noua vastitas Ecclesiæ consecuta est. Nam Hebræi rursus abiecta Dei religione vanas finitimarum gentium superstitiones amplexi sunt. Hac de causa Iabinum, Chananæorum Regem, Deus excitauit, qui eam insaniam castigaret, gentemque perfidam, annorum viginti seruitute oppressam teneret: à qua tandem principatu Deboræ matronæ erepti sunt. Cum enim bellum Hebræis Chananæi inferrent, Debora Barachum, fortem & magni consilii virum delegit, eumque exercitui præfecit, cuius ductu atque imperio magnæ Chananæorum copiæ cæsæ ac profligatæ sunt. Inchoatam à femina victoriam, altera cumulauit. Nam cum Dux Sisara è prælio fugiens, animoque perterritus, ac lassitudine confectus, sese in casam Hebræi cuiusdam latitandi caussa recepisset, vxor Hebræi Iahela, lacte illum sopitum ac iacentem, clauo in tempus adacto, confodit; simulque præcisum ipsius caput, & in cruore volutatum, Barachо fugientes hostes persequenti, victoriam ei gratulans obtulit.

Tenuit Debora Principatum annos 40. quibus interiectis, rediit denuo populus ad ingenium, & nefarios dœmonum cultus, sed eius defe-

defectionis subito vindices exorti sunt, Midianitæ, Amelechitæ, & Ismaelitæ, qui grauissimum de illa perfidia supplicium annorum septem spatio sumserunt, sceleratæque gentis vecordiam omni acerbitatum genere multarunt. Huic vastitati Ecclesiæ finem attulit Gedeonis virtus, qui à Deo populi liberator est datus, cum rei rusticæ studio intentus forte tum in area frumentum excuteret. Primum enim Baalis simulacrum, aram, ac sacellum euertit; tum Iehouæ aram statuit, in qua victimas legis præscripto mactauit, legitimosque religionis cultus restituit. Sed multa in Gedeonis historia memoratu digna sunt, illud inprimis, quod innumerabiles Midianitarum copias, non vi ac virtute militum, sed arte & ratione deleuit. Erant amplius 30. armatorum millia, quos in aciem Gedeon aduersus Midianitas eduxerat. Hos omnes Iehoua iussit è castris excedere, præter trecentos, ne forte victoriæ laudem Hebræi suo robori ac numero acceptam ferant. Simul edixit, vt ex hoc numero singuli buccinam dextra caperent, sinistra vrceolum, in quo lychnus inesset. Hos, quid fieri vellet, edocet. Nocte intempesta, vbi ex speculatoribus intellectum est, quieti se hostes ac somno dedisse, tum buccinatores illi trecenti silentio ad castrorum portas accedere, suasque derepente buccinas vehementer inflare, comminutisque amphoris lychnos sinistra manu agitare cœperunt, clamoremque ingentem repente variis in partibus tollere, atque his verbis vociferari: *Gladius Iehouæ,*

houæ, gladius Gedeonis. Eo repentino tumultu tantus totis hostium castris terror iniectus est, cum iam permixtos hostes existimarent, & neque cognoscendi, quid fieret, neque sui colligendi facultas esset, vt gladiis subito districtis, alii in alios irruerent, neque prius cædendi, concidendique finem facerent, quam centum ac viginti eorum millia interirent. Principatum autem Gedeon annos 40. tenuit, senioque confectus è vita migrauit, anno mundi 2688.

Gedeonis mortem alia Ecclesiæ vastitas excepit. Rursus enim populus à legitima religione ad dœmonum cultus desciuit, suæque insaniæ Ducem ac Principem Abimelechum habuit, Gedeonis ex concubina filium, qui communicato cum Sichemitis consilio LXIX. fratres suos obtruncauit, regnumque gentis Hebreæ occupauit. Verum haud ita multo post graue inter Abimelechum & Sichemitas dissidium exarsit; quo incendio scelerati omnes illorum conatus conciderunt. Tyrannus arcem quandam oppugnans, fragmento molæ à mulierecula in ipsius caput adacto, sauciatus, mox à satellite ipsius rogatu trucidatus est. Neque triennio amplius Abimelechi tyrannis durauit.

Ab his ærumnis, & iniuriis populum liberauit Thola, eumque ad pietatem, & verum Dei colendi studium traduxit. Durauit illius Principatus annos 23.

Tholæ successit Iairus, qui populum in summa pace atque ocio annos 22. habuit, & in ve-

ro le-

ro legitimoque Dei cultu continuit. Fuit is Reip. ſtatus, ad vſque annum ab orbe condito, 2736. quo tempore noua calamitas Eccleſiæ exorta eſt. Populus enim ocio illo vitæq; proſperitate abutens, denuo ad impuras vicinarum gentium ſuperſtitiones relapſus eſt. Qua de cauſſa Palæſtinis atque Ammonitis in ſeruitutem traditus eſt, quæ ſeruitus annos 18. durauit, quibus populus legitimo Principe ac liberatore orbatus miſerandum in modum exagitabatur.

Eam calamitatem ſedauit Iephte, homo tenuis, nothus, atque à ſuis deſpectus. Nam cum ea ſeruitute fractus ac domitus populus ſeſe à ſuperiorum annorum impuritate, ad Dei clementiam implorandam conuertiſſet; Iephte conſcripto exercitu bellum Ammonitis intulit, quos breui tempore ingenti prælio profligauit. Verum hanc victoriam duplex interpellauit calamitas; quarum prior hæc fuit: Iephte conſcripto exercitu vouerat ſe, quod primum ſibi à victoria redeunti domo egreſſum occurreret, Deo bellipotenti mactaturum, Prælio ſecundo facto domum redeunti, prima gratulans ei venit obuiam vnica filia, Virgo eximia: quam ille hoſtiam ob votum temerarium mactauit. Altera maior multo ac tetrior calamitas fuit, belli ciuilis diſcordia. Nam Ephraimica tribus repudiato Iephte imperio ab eo defecit, armaque aduerſus illum comparauit: neque ita multo poſt acerrimum inter ipſas conſanguineas tribus prelium commiſſum

eſt,

est, quo cæsa sunt Ephraimitarum quadraginta duo millia.

Tenuit Principatum Iephte sex annos, ac moriens anno mundi 2766. successorem Abessam reliquit, qui annos 7. liberatoris siue Iudicis munere functus, successorem habuit Elonem, qui cum annos 10. Principatum tenuisset, Liberatorem reliquit Abdonem, à quo populus 8. annorum spacio gubernatus est. Parum scriptura de illorum trium principatu commemorat, vt iudicari coniectura possit, placidum per illos viginti quinque annos Ecclesiæ statum fuisse. At iis transactis, populus denuo ad pristinam insaniam relapsus, & in nefario commentitiorum Deorum cultu volutatus est. Ea perfidia intolerabili DEVS commotus, Palæstinos excitauit, qui vanitatem illam impiam ac nefariam acerbissime diutissimeque multarunt: qua vexatione nulla longinquior toto hoc Reipublicæ statu, sub Iudicum Imperio, memoratur. Annos enim 40. durauit: cui tamen Ecclesiæ vastitati magna ex parte Samsonis principatus remedium attulit.

Fuit hic Samson, de tribu Dan oriundus, præter vsitatam hominum consuetudinem genitus. Eius enim sterilis ante mater naturæ vitio fuerat; multique in scripturis hoc extraordinario modo geniti memorantur, qui singulares viri, ac plane exi-

eximii Dei Iehouæ ministri fuerunt; velut Isaacus, Samuel, Iohannes Baptista. Itaque magnum quendam nasciturum Heroem, iam tum matris grauiditas portendit. Principio illud de Samsone obseruandum est, quod Nazaræorum sectam ac disciplinam est secutus, quorum hoc triplex votum atque institutum erat : vt ne quid, quod inebriandi vim haberet, biberent, vt capite intonso essent; denique vt nullis se exequiis, ne paternis quidem, funestarent. Hanc illi vitæ condicionem solemni voto sibi ad certum tempus indicebant. Fuit præterea Samson diuino consilio summis corporis viribus præditus. Itaque puer spiritu Dei adflatus, Leonem, qui ei in via forte occurrerat, laniauit, post grandior factus, cum in Vrbe Gaza inclusus, atque ab hostibus obsessus teneretur, noctu portæ vnius valuas humeris sublatas in proximum montem deportauit. Huic robori adiunctam quoque solertiam habuit. Itaque cum iniuria quadam à Palæstinis adfectus esset, trecentas vulpes (quarum illa regio ferax) caudis inter se funiculo deuinctis, adligauit, mediamque caudis stipulam inuoluit. Post eductas vulpes in hostium segetes immisit, quæ incendio excitato conflagrarunt. Aliud quoque Samsonis virium specimen traditur, quod cum ab aduersariis noctu in quiete funib⁹ duobus reuinctus esset, nullo negocio sese inde extricauit, atque in hostes irruens, asini maxilla forte arrepta, mille ex iis trucidauit. Scriptura tradit, vim istam tantam in ipsius capillitio fuisse.

isse. Simulatque vero Samson sese, voti sui oblitus, libidini ac scortationi tradidit, meretrix Dalila comam ei dormienti totondit, eumque vinctum & comprehensum Palæstinis præbuit. Samsoni vincto Palæstini vtrumque oculum effoderunt, ac mox in conuiuiis eo cæco pro morione sunt vsi; vsque dum renascentibus capillis, & vna cum capillis voti atque officii sui recordatione, robur ei benignitate Dei restitui cœpit. Itaque cum in quoddam Principum Palæstinorum conuiuium, quo frequens populus spectandi caussa conuenerat, pro ridiculo ac delectamento adhibitus fuisset, ludibundus ad duas medias columnas accessit, quibus domus vniuersa nitebatur; his arreptis, domum ita concussit, vt corrueret. Atque hoc pacto nihilo magis sibi, quam hostibus Palæstinis epulantibus parcens, omnibus simul exitium attulit, Anno Mundi 2810. Durauit ipsius Principatus annos 20. quibus Israelem de manu Palæstinorum sæpe asseruit.

Post mortem Samsonis miserrimum ac plane luctuosissimum tempus exortum est. Summus enim magistratus esse desiit, cœpitque fere is tum esse status, qui à Græcis ἀναρχία dicitur, cum suo quisque arbitrio libere sine summi magistratus metu viuit. E multis autem flagitiis, quibus tum populus contaminatus est, vnum propter atrocitatem commemorabimus. Vxor Leuitæ cuiusdam malis iam antea morata moribus, neque satis suæ famæ atque pudicitiæ consulens, die quodam vi à Gabaitis com-

plu-

pluribus compressa, ac toties constuprata est, vt in ea fœditate exanimaretur. Leuita, qui magistratum, ad quem auxilii ergo confugeret, non habebat; cadauer Vxoris, duodecim in partes dissecuit, earum singulas in singulos ciuitatis pagos ac tribus misit, neque aliud quidquam nunciari iussit, satis ea re intellectum iri sperans, se Dei atque hominum fidem implorare. Hoc spectaculo permotæ tribus, gentis totius concilium indicunt. Eo cum veniissent omnes, præter vnam Beniaminicam, communi consilio decernunt, vt nisi sceleris auctores dedantur, bello atque armis tantum facinus vindicetur. Vbi condicio repudiata est, repente Israelitæ coactis copiis quadringenta hominum millia in aciem educunt. Beniamitæ contra viginti sex millia & sexcentos. Primo prælio victa bona causa est. Cecidere ex Israelitis viginti duo millia. Breui tempore interiecto, alterum denuo prælium committitur; perierunt ex iisdem millia duodeviginti, cum tamen è Beniamitis vix mille vtroque prælio desiderarentur. His tot fracti cladibus Hebræi, veniam à Deo Iehoua petierunt; quo placato, freti misericordia ipsius, rursus se ad dimicandum animo confirmant: tantaque eorum virtus atque alacritas fuit, vt Beniamitarum interfecerint viginti quinque millia octingentos: neque vlla interposita mora, priusquam se hostes ex pauore & fuga reciperent, eorum oppida atque agros latè incendio vastarunt.

runt. Hic anarchiæ fructus fuit; tametsi non vt Israelitarum Respublica, sic etiam Ecclesia magisterio ac præfectura caruit. Nam per id tempus Heli summus sacerdos ei præfuit, qui propterea populum iudicasse dicitur, cum tamen solius religionis procurationem haberet.

Durauit Heli Pontificatus annos 40. quo spacio non admodum florens Ecclesiæ status fuit. Nam & raro tum oracula edebantur, magnaque Prophetarum erat paucitas: quin etiam Heli filii, qui propter domesticæ disciplinæ rationem vitæ sanctimonia prælucere aliis debebant, perditis ac profligatis moribus exemplo peccabant. Itaque cum Israelitæ bellum in Palæstinos mouissent, atque arcam fœderis, sanctitate ipsius confisi, secum in aciem eduxissent, duobus acerbissimis præliis grauissime offenderunt: arca capta à barbaris, & septem menses retenta est: simulque duo Heli filii (in quibus corrigendis minus laudabiliter ille se gessit) in acie trucidati sunt. Eo nuntio miser parens accepto, repente de sella resupinus concidit, fractaque ceruice examinatus est, Anno ætatis 98.

Vltimus Iudicum fuit Samuel, in Prophetarum Choro primus, cui continua serie successerunt alii, vsque ad Malachiam.

Ad munus illud vocatus est Samuel, à Deo, Anno Mundi 2830. cui præfuit annis 40. vsque ad Regnum Dauidis, connumeratis decem

cem annis Regni Saulis. Superstitiones, & sacra dœmonum omnia sustulit ; veræque religionis disciplinam restituit. Tum deinde arma in Palæstinos mouit; quos tamen acie iam vtrinque instructa ad pugnam accinctos ac paratos, cum repentino tonitru diuinitus immisso perterritos animaduertisset, nullo negotio deleuit; amissasque superioribus bellis Vrbes, virtute recuperauit.

Hanc Samuelis victoriam ac felicitatem, liberorum infamia conturbauit. Consenuerat enim iam Samuel, nec erat ferendis laboribus. Itaque cogitauit de cooptandis sibi filiis suis: quorum maiorem natu Ioelem, & Abiam voluit vna secum esse Iudices, & in eodem gradu dignitatis collocauit; vt & ipse se minus laboribus cruciaret, nec interim tamen Respublica aliquid detrimenti caperet. Sed hi longe à parentis probitate ac iustitia degenerantes, non obibant regionem, vt ius dicerent, sed sibi ædificabant palatia in Bersaba, populum grauiter cruciabant, & omnia diuina atque humana iura peruertebant. Ea de caussa populus Israeliticus consilium cepit de statu Reipublicæ commutando, vt quemadmodum finitimæ gentes Regum imperio regebantur, sic ipsi suum Regem summo cum imperio ac potestate regali maiestate ac splẽdore haberẽt. Peccata Iudæorum excreuerant iam in eam magnitudinem, vt omnino castiganda fuerint hac seruitute. Habuerant bonos & moderatos Iudices. Sed vt olim ranæ non contentæ trunco Principe, impetra-

petrarunt à Ioue ciconiam: ita isti non contenti Iudicibus, obstinato animo petiuerunt à Samuele Regem.

Succedit igitur Ecclesiæ & Reip. Israeliticæ status seruilis: cum populus Dei partim suorum, partim exterorum subiectus dominatui, asperiore Imperio, ac humano magis arbitrio, quam lege diuina nixo regebatur.

Hic status vel ante captiuitatem Babylonicam, vel sub ea, vel post eam fuit.

Ante captiuitatem, sub Regibus: regno tum integro, tum diuiso.

Integro Reges populi Israelitici tres numerantur.

Vbi enim Samuel populi pertinaciam in Rege deposcendo cognouit, oraculo Dei monitus, Saulum, à tribu Beniaminica, Kisso Patre natum, Regem constituit; cum ipse annos iam 30. Iudicis munere functus esset. Incidit hæc insignis in Republica mutatio in annum mundi 2881. Creandi Regis hæc à Samuele forma, ex Dei præscripto, seorsim primo, & in occulto seruata est. Olei ampullam in Sauli verticem effudit, eumque deosculatus, Regem gentis à Deo adamatæ consecrauit. Quo facto, repente Saulus eo Spiritus diuini genere afflatus est, quod Deus suis Prophetis ac vatibus impertitur; vt iam omnibus inspectantibus in conuentu & concilio Prophetarum vaticinaretur. Dehinc Samuel totius populi comitia indixit, atque in iis sortito creari Regem iussit. Ea sortitio ita diuinitus administrata est, vt ex

duodecim tribubus ſoli Beniaminicæ ſors obuenerit: in hac, adoleſcenti Saulo, humili quidem genere nato, ſed cuius ea fuit corporis felicitas, vt cum formæ pulchritudine, tum etiam magnitudine ſtaturæ, longè ciuibus omnibus antecelleret. Adeptus igitur regnum Saulus continuo de ſuorum ſententia bellum Ammonitis, acerrimis Hebræi nominis hoſtibus inferre inſtituit. Magnas enim Reſpub. crebris illorum incurſionibus calamitates acceperat. Vbi ſecundis aliquot præliis cum eis decertaſſet, mox aduerſus Palæſtinos arma conuertit, quos maximis copiis in aciem eductos, miranda Dei prodigio, ſolis rei ruſticæ inſtrumentis profligauit, cum præter ipſum, eiuſque filium Ionathan, nemo quiſquam gladium haberet. Fuit autem Ionathan adoleſcens, cum pietate ac ſanctimonia, tum etiam virtute ac fortitudine animi inſignis, eoque Deus pro eximio ac ſingulari omnipotentiæ ſuæ miniſtro eſt vſus. Nam cum Palæſtini redintegratis copiis denuo bellum reparaſſent, ſolus Ionathan, armigero ſuo comitatus, impetum in illos fecit, omneſque metu ac formidine diuinitus adfectos in fugam vertit. At Saulus ea filii virtute, popularique laude indignatus, cum eius victoriæ Deum auctorem fuiſſe non reputaret, ſeſeque paulatim à pietate & ſanctimonia vitæ abduceret, ſpiritu diuino, quem in conſecratione acceperat, ſpoliatus eſt; ſimulque à turbulento Satanæ Spiritu occupatus: quo furore animi, atque intemperie, perquam diu miſeran-

randum in modum adflictatus est. Tandem misericordia Dei in eam mentem est adductus, vt citharædum sibi quæri iuberet, cuius cantu ac symphonia furor ille mentis sedaretur.

Erat tum tribu Iudaica, vico Bethlehemico, puer facie eximia, Iessæi filius, paterni gregis custos, arte Musica præter cæteros eruditus. Nomen huic erat Dauid. Hunc in illa pastoritia vita quietum ac placidum liberaliter Iehoua Deus Spiritu suo donauit, atque à Samuele ad Regni spem inungi iussit, Anno Mundi 2883.

Cum ad Regem Saulum de ipsius arte atque industria perlatum esset, continuo ad se adduci, ac cithara canere imperauit. Neque mora vlla intercessit; quin turbulentus spiritus à Rege abscederet, eique pristina mentis tranquillitas restitueretur.

Aliquanto post, Palæstini bellum aduersus Hebræos summis opibus renouarunt. Horum erat Princeps Goliathus, vasto atque immani corpore tyrannus. Saulus coactis omnibus copiis ad id bellum profectus est. Vbi hostes appropinquarunt, tum Goliathus vnum sibi ex hostibus aliquem dari popposcit, quocum de summa rei singulari certamine decerneret. Dauid indignatus, sacram Dei gentem ab hoste barbaro contumelioſe despici, fretus fiducia pollicitationis diuinæ, fortiter sese in certamen offert. Stabant instructæ vtrinque acies, imparis concertationis spectatrices. Nam præter staturę ac virium imparitatem, Dauid aliis nul-

lis armis teloue , præter vnicam pastoritiam fundam, instructus erat. Attamen Dei præsidio confisus, alacriter in certamen descendit, fundamque intorquens, acriter gigantis frontem feriit, quo vulnere prostratus gigas concidit, celeriterque Dauid, in eum irruens, caput ei præscidit, regique Saulo gratulans ac lætitiæ plenus obtulit.

Hanc ob caussam Rex Saulus cum alios Dauidi honores habuit, tum filiam suam Micholem in matrimonium dedit. Sed vbi eum paulatim apud populum gratia atque auctoritate florere animaduertit, resque ipsius gestas suis longe anteferri, suamque isto modo potentiam imminui ; tum vero tanto erga illum odio exarsit, vt etiam bonos viros, qui ei studebant, insectaretur, Deique sacerdotes amplius 80. interficeret. Hanc illius sæuitiam permultorum bonorum secessio consecuta est. Tanta enim Regis interdum erat immanitas, vt modo de Davide clam necando consilium iniret, modo suum in illum iaculum vibraret ; neq; quidquam die quodam propius fuit, quam vt Dauid nefariis istis consiliis in suo lectulo necaretur : secre per amicos cognita , celeriter sese per fenestram dimisit , salutique suæ fuga consuluit. Dauidis fugam viri boni quamplures, tenues tamen atque inopes, comitati sunt : cum apud Regem Saulum locupletes plerique & opulenti, ac palpatores aulici permanerent. Cum in eadē fuga Dauid in Achidis Gathici Regis manus incidisset, simulatione stultitiæ sese inderipuit.

His

His Dauidis miseriis Saulis animus satiari non potuit. Tantum enim Dauidis comitatum indigne ferens, manum aliquot sceleratorum cogit, quos ferro atque armis Dauidem insectari iussit. Qua re Dauid comperta, denuo sese fugæ mandauit: in qua cum se in antrum quoddam latitandi caussa recepisset, Sauluſque illac forte iter faciens, ventris exonerandi gratia, eo descendisset; tum qui cum Dauide vna deliteſcebant, impellere eum cœperunt, ne tam præclaram sui in perpetuum liberandi oblatam occasionem de manibus amitteret. At ille sceIus existimans, Regem diuinitus consecratum violare, vestis tantum ipsius laciniam abscidit, quæ deinceps suæ in Regem fidei atque obseruantiæ testis esset. Vbi Rex spelunca egressus aliquantum itineris processit, Dauid eum inclamare, & manu laciniam ostentare cœpit, suamque erga ipsum fidem testari. Hæc animi sinceritas ita crudelem Regis animum ad misericordiam inflexit, vt Dauidis innocentiam ac temperantiam admiratus, summam ipsius fidelitatem prædicaret; neque tamen ita multo post, ad ingenium rediit, suamque filiam Micholem à Dauide abduxit, eamque alteri in matrimonium collocauit.

Elapso breui temporis spatio, rursus copias in Dauidem eduxit: qua in expeditione altera denuo interficiendi Saulis facultas Dauidi offertur.

Nam cum Saulus suis in castris intempesta nocte quiesceret, atque arctiore somno teneretur,

tur, Dauid certior factus, omnes quoque ipsius excubitores somno sopitos esse, placide in ipsius prætorium ingressus est, spiculumque propter ipsius ceruical positum, simulque phialam abstulit. Vbi è castris decessit, statim clamore sublato, custodes euocare, ac procul spolia illa ostentare cæpit, suamque erga Regem fidem testificari.

Hac Dauidis integritate denuo Saulis animus ita permotus est, vt multis cum lachrymis profiteretur, suæ se in illum acerbitatis pœnitere. Breui tamen post tempore, iterum ad inueteratam animi rabiem ac sæuitiam relapsus est: qua de caussa Dauid ad Achidem Palæstinorum Regem profugit, qui oppidum ei quoddam, vt ab Saulis iniuria tutus esset, concessit. Sed cum oppidum absente forte Dauide captum ab hostibus ac direptum fuisset, tum opidani tanta in Dauidem iracundia incitati sunt, vt eum ad necem quærerent: quo tamen periculo Dauid benignitate Dei ereptus ac liberatus est. Atque hunc fere adolescens optimus tot cum Saule certaminum atque ærumnarum habuit exitum. Nam aliquanto post Saulus aduerso cum Palæstinis prælio commisso, maxima clade affectus, tribusque amissis filiis, Ionathan, Abinadab, & Malchisua, cum se ab hostibus circumuentum videret, ne viuus in illorum potestatem veniret, mortem sibi suis manibus consciuit. Anno Mundi 2890. Regni 40. postridie eius diei inuentus inter cadauera, capite truncatus est; eiusque cadauer suspen-

spensum ad mœnia Vrbis Bethsan. Temporis successu tota SAVLIS posteritas pessum iuit.

Saule mortuo, confestim Iudaicæ tribus populares, Dauidem multis annis à Deo designatum Regem sibi constituunt, Anno Mundi 2891. Verum Abnerus, qui Saulis Regis præfectus fuerat, coniuratione facta, consilioque cum reliquis tribubus vndecim communicato perfecit, vt Saulis filius Isbosethus Rex ab iis crearetur. Ita solius Iudaicæ tribus regnum Dauid annos septem & sex menses tenuit in Hebron: quibus exactis, atque Isbosetho, Abneroque interfectis, reliquæ tribus vndecim Dauidi Regnum totius Israelis & Iudææ detulerunt Anno Mundi 2898. quod annos 33. obtinuit. In hoc temporis spacio res domi militiæque præclaras gessit. Nam eiectis ac deletis Iebusæis, Ierusalem cepit, regnique sedem ibi collocauit. Cæteros hostes Palæstinos, Moabitas, Ammonitas, Syros, Idumæos, Amalechitas, & gigantum familias oppressit & extinxit. Tum Rempublicam religione, legibus, & disciplina muniuit. Arcam Domini Ierosolymam cum solennitate & lętitia magna traduxit, cultumq; verum in Ecclesia per totum regnum constituit. Psalmos plurimos composuit, & promissionem de Messia ex sua familia nascituro accepit. Tam felici rerum successu insolentior factus, duobus sese grauissimis scelerib. contaminauit: quorũ prius hoc fuit. Cum Bersabæam, Vriæ fidelissimi clientis sui, coniu-

gem forma ac pulchritudine insignem, conspexisset, non modo adulterium cum ea commisit, verum etiam, quo liberius libidini suæ in posterum indulgeret, Vriam interficiendum curauit: cuius flagitii grauissimas pœnas dedit, quemadmodum ipsi à Propheta Nathan prædictum fuerat. Erant ipsi filii duo: Amnon & Absalon: quorum prior Amnon amore sororis suæ Thamar exarsit, & per vim stuprum intulit: Absalon motus sororis ignominia, cum nec Amnonem facti nefarii pœniteret, necà Patre Rege castigaretur, tacite secum de vindicta cogitauit, & demum post biennium, filios regios ad conuiuium inuitauit, & Amnonem incautum inter vina obtruncauit. Propter fratrem interfectum extra patriam degit annos tres; & duos alios, etiamsi reuocatus esset, in patris conspectum non venit. Tandem Patri Dauidi reconciliatus est, intercessore Ioabo. Sed mox Achitopheli, & aliorum quorundam consiliis impulsus, extus factiosos agitauit, bellum suscitauit, Patrem in exilium proiecit, & ipse Regnum occupauit. Prælio postea cum paternis Ducibus commisso, terga dare coactus est, & inusitato mortis genere periit, Anno Mundi 2923. Fugiens enim in patulæ quercus propaginem incidit, cuius ramis ita caput implicuit, vt mulo se, quo tum vehebatur, subducente, directus ex arbore sublimis inter cœlum & terram penderet. Quod vbi animaduerteret Ioabus, confestim tres lanceas accepit, & Absaloni cor transfixit.

Vix

Vix sedato Absalonis tumultu, & Dauide in pristinam regni dignitatem restituto; Seba, iuuenis audax & inquietus, nouos terrores ciet, tribusque Israeliticas omnes à tribu Iuda auellit. Dauid intellecta eius confidentia, Præfectos suos ad eum capiendum celeriter mittit, à quibus intra muros oppidi Abelæ improuiso obsidetur. Ciues timidi & hæsitantes, mulieris cuiusdam suasu, caput Sebæ amputant, & extra vallum proiiciunt. Hominis temerarii morte, & Vrbs ab exitio mansit incolumis, & cæteri factiosi subito redierunt ad officium.

Post aliquot annos Dauid vires regni sui cognoscere cupiens, & ex elatione animi populum numerare iubens, graues iterum pœnas dedit, amissis septuaginta millibus virorum, triduo tantum; peste nimirum, Dei iussu, ita sæuiente. Vbi ad summam senectutem Dauid peruenit, filius eius Adonias stulta regnandi cupiditate, Regnum affectat. Cum eo conspirant duo summi viri, & antea Dauidi amicissimi, Ioabus Dux, & Abiathar Sacerdos, sed voti non fuit factus compos Adonias. In ipso conuiuio, quod regio luxu & apparatu instruxerat nuncius affertur, Regis insignibus vti Solomonem fratrem, vnctum à Propheta Nathane, confirmatum à Patre Dauide, receptum à multitudine. Qua fama territi complices Adoniæ, hinc inde disperguntur, ipse ad aram confugit, & vitam à fratre efflagitat. Verum cum homo turbulentus Regnum denuo quæreret, à Solomone fratre iubetur templo auelli,

& interfici. Cum Solomone Dauid Regni hæredem constituit Nathanem filium charissimum, ea condicione, vt alterius stirpe extincta, altera succederet. Igitur cum Solomonis posteritas in Ochozia desiisset, mater eius sanguinaria, omnem stirpem & sobolem Solomonis immaniter sustulit: sed ereptus ei est adolescens Ioas, qui è posteris Nathanis Regno potitus est. Ea de caussa Lucas Euangelista hunc Nathanem, in Christi genealogia, loco Solomonis collocauit. Antequam vero Dauid moreretur, filium suum Salomonem designatum de rebus ad gubernationem necessariis grauiter admonuit, & subinde repetitis votis Ecclesiam Deo, & filio suo Solomoni commendauit, conditoque testamento, placide ex hac vita migrauit, Anno Mundi 2930. ætatis 70. Regni 40. sanctissimus Propheta, potentissimus Rex, felicissimus Imperator, doctissimus Musicus, exercitatissimus scriptor, laudatissimus omnium hominum.

Dauide Patre mortuo, Hebraicæ gentis Rex tertius consecratus est Solomon, is Præceptorem habuit Prophetam Nathanem, à quo etiam regni diademate ornatus est. Iussus à Deo petere, quæ vellet, Sapientiam delegit; tantaque à Deo prudentia donatus est, quanta neque antea in homine vllo fuerat, neque vnquam vllis ætatibus exstitit. Huius sapientiæ documentum illud memorabo, quod omnibus seculis summa omnium admiratione celebratum est. Erant mulierculæ duæ tenues,

qua-

quarum vtraque filiolum infantem suo lacte alebat.

Cum ambæ eodem cubiculo quiescerent, earum altera suo sese in lectulo forte peruoluens ori infantuli incubuit, eumque suffocauit. Vbi hoc sensit, placide infantuli cadauer in alterius locum suppositit, viuumque alterum suo sibi lateri adiunxit. Expergefacta mater, cognito facinore adserere suum instituit. Solomon, qui materni adfectus vim non ignoraret, decreuit, vt infantis superstitis corpus medium gladio secaretur, & vtrique mulieri dimidiam controuersi corporis partem adiudicauit. Hac pronunciata sententia, repente, quæ vera mater erat, exclamare incipit, malle se integrum alteri puellum attribui, vehementerque recusare, ne diuideretur. Cum ea recusatione facile maternum animum aperuisset, integrum ei puerum Solomon adiudicauit.

Magno itidem religionis amore flagrans, templum Domini, per vndecim annorum spatium, tanta magnificentia & splendore construxit, vt maxima gentium exterarum admiratione laudaretur. Vrbes præterea plurimas condidit; & complura Vrbium ornamenta, palatia, porticus, basilicas, regale item tribunal instituit: & populum in summa Reipublicæ tranquillitate incredibili sapientia gubernauit. Nominis sui veneratione atque terrore finitimos à Patre non subactos, ad tributa coegit pendenda. Eum propter virtutem coluit Rex Tyri, propter sapientiam adiit Arabiæ

Regina: propter felicitatem admirati sunt omnes nationes & populi.

Verum hanc ipsius diuturnam felicitatem, quæ annos circiter 30. durauerat, ingraueſcentis ætatis infamia oppreſſit. Nam cum otio atque inertia langueret, animum ad fœdas libidines adiecit: Vxores ſeptingentas duxit, neque illa intemperantia contentus, trecentas quoque inſuper concubinas adiunxit: in his complures, cum à vera Dei religione alienas, tum etiam impiis ſuperſtitionibus deditas: à quibus ipſe dementatus, idololatricos cultus in ſuo regno inſtitui paſſus eſt, adeo vt & fana dœmonibus ædificaret, & vna cum illis mulierculis eorum ſacris intereſſet. Hac barbara libidinum inſania Deus grauiter indignatus, continuo Reges ac Tyrannos finitimos excitauit, qui Solomoni tam diu alto ocio fruenti bellum inferrent: quin etiam fore denunciauit, vt propediem Regnum Iſraeliticũ duas in partes dilaceraretur: neque ita multo poſt Solomon Rex poſtremum vitæ diem morte confecit, anno mundi 2970. ætatis ſuæ 60. Cum eo extincta eſt concordia Iſraelitarum, concidit pax ab externis hoſtibus, & periit flos, gloria, robur, & felicitas illa Regni, & Eccleſiæ.

In Solomonis demortui locum Roboamus ipſius filius, annos 41. natus, ſumma populi voluntate Rex creatus eſt: qui dum neglecta prudenti ſenum Conſiliariorum admonitione, ſequitur conſilium coætaneorum ſuorum Principum, & ſubditos aſperitate potius domandos,

quam

quam onerum leuatione in officio continendos putat; præter exspectationem suam, decem tribus Regni sui simul & semel amisit, duobus tantum, Iudæ & Beniamin, retentis. Defectionis author & Princeps fuit Ieroboamus, Ephraimicæ tribus popularis, qui cum Solomonis Regis successor destinatus fuisset, atque illo viuo solum exilii causa vertisset, cognito ipsius obitu, continuo reuersus est, atque ab illis decem tribubus nouo & seditioso nomine Rex Israelis appellatus. Alter Roboamus, cuius in fide Iudaica & Beniaminica tribus manserunt, Regis Iudæ nomen retinuit. Eaque nomina deinceps ad vtriusque Regis successores, quasi hæreditaria manarunt. Regni sedem Iudaicus in Vrbe Hierosolyma posuit. Israeliticus autem primum in arce Tirza, tum deinde in Samaria: qua de causa Samaritanum Regnum appellatum est. Incidit hæc Regni funesta distractio, in annum mundi 2971.

Roboamus, filius Solomonis, primus fuit, qui facta regni diuulsione regnauit Hierosolymis. Primus tribus annis Dauidis aui pietatem imitatus est, veræque religionis ministros, à Ieroboamo pulsos, perbenigne excepit. Sed postmodum fuit negligens in tollendis idolis, in imperio superbus ac ignauus, & in vniuersa gubernatione calamitosus & infelix. Repetiturus à Ieroboamo Antirege regni partes auulsas, dissuadente Propheta Semei, arma posuit. Ipse deinde opprimitur à Rege Ægyptio Sesaco, qui Hierosolymam cepit, omniaque templi orna-

menta, & insignia, quæ Salomon consecrata diripuit. Hæc fuit fortuna ignaui & superbi Regis Roboami, negligentis officium suum in tollendis idolis. Vbi vero imperium annos xvii obtinuisset, vita excessit, anno mundi 1087. ætatis 58. vxores habuit 18. concubinas 60. filios 28. filias 60.

Successorem reliquit filium Abiam, qui superstitiones impias paterno exemplo in subiecta gente permisit, religionis omnis contemptor. Cum Ieroboamo perpetuum bellum gessit, atque etiam memorabili clade affecit. Adduxerat Ieroboamus 800. armatorum millia. Huic oppositus Abia 400. millia. Cum eductis vtrinque aciebus Abia exprobraret populo Israelitico defectionem, & ereptas patri Roboamo decem tribus: conatus est Ieroboamus multitudine sui exercitus circumfusa Abiam concludere. Sed ille insidiis animaduersis supplex à Deo petiit auxilium: exauditus dimicauit feliciter, & 500. millia Israelitarum interfecit. Exacto anno regni sui tertio, diem obiit, Anno Mundi 2990.

Abiæ successit filius Assa, Rex initio pius & felix. Populum enim in templo Salomonis adesse coegit, lucos succidit, & impium cultum Miplezeth sustulit, quem aliqui existimant cultum fuisse Priapi. Ideo ornatus fuit à Deo ingenti victoria contra Regem Æthiopum Zeram, qui adduxit in Iudæam decies centena hominum millia. Tantis copiis Assa, Dei fiducia fretus, armatus obuiam processit, & victor vniuersum

uersum hostium exercitum deleuit, adeo vt ne vnus quidem superstes manserit. Hanc gloriosam victoriam, Assæ flagitia nonnulla postea contaminarunt. Oborto enim bello inter ipsum & vicinum Regem Israeliticum Baesam, ipse diffidentia lapsus, quasi Regnum Israeliticum humano auxilio recuperari posset, in fœdus ac societatem asciuit Benhadadum, Regem Syriæ, hominem impurum, & nefariis superstitionibus deditum. Cum obiurgaretur propterea, ille impatienter ferens, iussit Prophetam Hananiam comprehendi, & in carcerem includi. Senex pedibus laborauit, & maiorem in Medicis, quam in Deo fiduciam posuit. Imperauit duabus tribubus Iudæ & Beniamin annos 41. vita functus, anno mundi 3031. Vidit septem Reges Israeliticos suo tempore.

Assæ successit filius Iosaphat, vere augustus, pius, sapiens, iustus, felix & salutaris Rex. Is enim amouit idola in Iuda reliqua, & expurgauit reliquias obscœnitatis & impuritatis Sodomiticæ. Sacerdotibus, Leuitis ac Principibus, seueriſſima mandata dedit de inspectione Ecclesiarum & Scholarum, deque emendatione religionis ad normam verbi diuini directa. In singulis oppidis curias iudicum, in regia Vrbe supremum, vt nunc loquuntur, parlamentum ordinauit: Tantaque authoritate præditus fuit, vt omnibus vicinis Regibus terrori esset: & Palæstini atque Arabes, infensissimi hostes, vltro munera ad eum afferrent. Vrbibus

Ephraim,

Ephraim, Manasse, & Simeon, præsidia imposuit; quas vrbes spontanea deditione occuparat. Exercitus ingentes sub diuersis Ducibus habuit, quos censet historia sacra vndecies centenis sexaginta millibus hominum.

Tantus tamen Rex etiam factus est exemplum humanæ infirmitatis. Nam Achabi Regis profani filiam Athaliam filio suo Ioramo vxorem adsciuit, seseque cum illo Rege societate ac fœdere coniunxit: qua de causa bello Syriaco in magnum discrimen adductus est: à quo tamen cum sese Dei benignitate liberatum sensisset, vehementius in eam curam incubuit, vt vera Dei religio passim in toto suo Regno instauraretur. Dumque hæc à Iosaphat geruntur, Ammonitæ & Moabitæ, vna cum aliis latrunculis Arabicis, hostilem impressionem in terram Iuda faciunt. Iosaphat in hac vi tempestatum, & concursu calamitatum primum quidem indicit voce præconis publicum ieiunium; deinde audiente tota Ecclesia recitat ipse ardentissimam precationem, & petit à Deo defensionem Ecclesiæ aduersus Ammonitas & Moabitas. Altero die Deus tantum paùorem hostibus incussit, vt fugientes per mutua vulnera tanquam Cadmei fratres caderent, & Iudæis opima spolia relinquerent. Hanc admirabilem victoriam pax diuturna consecuta est. Est igitur Iosaphat referendus in numerum optimorum & laudatissimorum Principum, quem Deus ad instaurandam doctrinam veræ pietatis, & ad conseruationem Ecclesiæ excitauit. Cũ annos 25. pie & feliciter Regnum

gnum Iudæ administrasset, ex vitæ huius tempestate, in portum cœlestem translatus est, anno mundi 3055. ætatis 60.

Successorem reliquit filium Ioramum, stolidum, impium, & infelicem, qui repudiatis veris cultibus, prorsus degenerauit à pietate patris, & idola Israelitarum amplexus est, seductus artibus impiæ matris, & coniugis Athaliæ. Idololatriam hanc parricidiis cumulauit. Fratres enim omnes suos, regnique proceres interfecit. Propter tot & tanta flagitia, Eliæ Prophetæ literis acerbe obiurgatus, non solum melior non fit, sed more tyrannorum magis insolescit. Itaque tristes pœnæ sequutæ sunt, & excidium tragicum totius stirpis Solomonis. Nam Idumæi deficiũt à Rege Ioram, excussoque imperio illius, creant sibi Regem proprium. Postea exurgunt Palæstini & Arabes, qui ingentibus agminibus infusi in Regnum Iuda, terra tota deuastata, Hierosolymam capiunt, & thesauros regios, ornamenta templi & reliqua diripiunt; nec tantum vrbem spoliant, sed filios regios vniuersos trucidant, vsque ad minimum natu Ochoziam. Ipse Rex Ioramus laborauit insanabili alui profluuio per biennium, donec intestina defluerent, & tabe miserrime conficeretur, anno mundi 3959. ætatis 8. Tyrannidem exercuit annos 8. & mortuus regia sepultura caruit: odium Dei atque hominum.

Ochozias, siue Ahasia natu minimus Iorami filius, solus superstes è fratribus, qui ab Arabibus occisi fuerant: parenti Ioramo successit. A matre

matre Athalia, & consiliariis perfidis impulsus, falsum itidem cultum Dei instituit permisit. Ioramí auunculi, Regis Israelis, factus socius, ab Azahele Syro prælio victus est: dumq; auunculum Ioramum vulneratum inuisit, à Iehu extibulo Samariæ extractus, misere iugulatur: cũ vix regnum annum vnum tenuisset. Extincto absque liberis Ochozia, desiit plane Salomonis posteritas. Itaq; ad Ioas, qui vnus erat reliquus de Nathani familia, regnum translatum est. Et ita mirabiliter seruauit Deus promissionem de Messia, ex Dauidis semine nascituro. Nam cæso Ochozia, mater eius Athalia, femina supra sexum crudelis atque furiosa, Achabi Regis Israelis filia, confestim Regni administrationem arripuit, & domesticę impietati crudelitatem adiunxit. Omnes enim, qui regię stirpis erant, trucidari iussit: Solus puer Ioas, Isbosethæ amitæ magnæ opera, seruatus est, & in adyto templi, clam educatus annis sex: ineunte anno ætatis 7. à sacerdote Ioiada oleo consecratus, diadema regium accepit. Athalia mater, bestiæ, quam reginæ similior, id impedire cupiens, in templum aduolat, & electioni eius cõtradicit: Mox è tẽplo extrahitur, & populi concursu obtruncatur.

Athalia interfecta, Ioas Rex, instaurandi templi curam suscepit, quæq; vetustate & imbribus consumpta erant, sarciri & restitui iussit: Baalis fana & lucos destruxit; omniaque sancti Regis officia fecit. Quarum rerum omnium laus præcipue sacerdoti Ioiadæ debetur, cuius optimis monitis atque consiliis Rex puer obtemperans,

summam feliciter administrati Regni gloriã adeptus est. Verum sacerdote Ioiada grandæuo cẽtum & triginta annorum defuncto, & magistro morum ex oculis sublato, Ioasus Rex sycophanticis aulicorum quorundam consiliis impulsus, sublatas dæmonum superstitiones restituit: & omnium beneficiorum, quæ acceperat à Ioiada, filiũ eius Zachariam, sacerdotem excellentem, qui reuocare illum ab impio cõsilio conabatur, lapidibus obrui sinit. Post id facinus nulla domi aut foris felicitate est vsus. Altero post Zachariæ cædẽ anno, Syriæ Rex Hazael in Iudæã venit, Hierosolymã cepit, infinitam hominum multitudinẽ trucidauit, & Proceres aulicos ad vnum oẽs interemit; regem Ioasum excruciatũ & languentẽ reliquit, eumq; coegit Hierosolymę libertatẽ ingẽti redimere pecunia. Nec multo post rex Ioasus à ministris suis, calamitatis à Syrorũ exercitu illatæ causam in dominũ transferentibus, in lectulo æger opprimitur, an. mũdi 3104. regni 40. indignus visus, qui maiorum sepulchris inferretur.

Amasias, Ioæ filius, patris necem sine crudelitate vindicauit. Sicarios enim peremit, liberis eorum innocentibus pepercit. Fęderi, quod cum Israelitis pepigerat, Prophetæ suasu, renũciauit. Cõtra Idumęos pugnãs in valle Salinarũ, decem eorũ millia euertit, & totidẽ millia de saxo, ꝙ Arabiæ iminebat, ꝓcipitauit. At v. vt est hominũ imbecillitas & fortunæ globus ictu oculi mutabilior, elatus tanta victoria, Regẽ Israelis Ioam temeritate maxima ꝓuocauit, & cũ eo cõgress', compre-

comprehensus & captiuus abductus est. Post prælium libertas totius populi periclitabatur: mœnia vrbis potentissimæ destruebantur, & tẽplum amplissimum diripiebatur. Præda onustus Rex Israelis Ioas domum rediit, Amasias autem, Iudæ, fuga ex vrbe elapsus, necatur à coniuratis in Lachis, anno mundi 3133. ætatis 54. regni sui 29.

Ozias, decimus Rex Iudaicus, Amasis filius, feliciter & pie rerum summæ præfuit, quamdiu consiliis Prophetæ Zachariæ obtemperauit. In tollendis tamen idolis aliquanto remissior fuit. At Remp. ita prospere domi militiæque gessit, vt non modo potentissimas gentes, Palæstinos, Arabes, Ammonitas in suam potestatem redegerit, & Ægyptios terrore nominis intra fines suos continuerit; verum etiam maximis partis opibus vrbes sui regni complures insignibus ædificiis ornarit. Exercitum habuit trecentorum & septem millium. His tot secundis rebus insolentior factus, tantam sibi arrogãtiam sumsit, vt sacerdotis munus obire, atque in templi sacrarium, (quo præter Pontificem summum adire fas non erat) introire, remque diuinam in arca suffitoria facere auderet. Qua de re, cum ab Azaria Pontifice, & sacerdotibus quamplurimis castigatus esset, neq; tamen ab ea polypragmosyne desisteret, repente inspectantibus omnibus sacerdotibus lepra correptus, & protinus de templo pulsus, seorsim in priuatis ac separatis ædibus in reliquum vitæ tempus habitare iussus

sus

sus est. Regnauit annos 52. & animi mœrore obiit, anno mundi 3196. ætatis 68.

Iothamus, filius Oziæ, in Regno, quod hactenus patre propter lepram ab hominibus segregato administrarat, successit. Is templum Dei splendidius reddidit, & cultus diuinos restituit, exercitia cæremoniarum, quas maiores neglexerant, reuocauit. Sed non destruxit aras, quæ erant erectæ in collibus & lucis consecratis, vbi populus extra templum sacrificabat. Vrbem Hierosolymam propugnaculis & fossis muniuit, ne incursionibus & direptionibus hostium tam facile & prompte pateret. Ammonitas, qui excusso imperio Iudæ se asseruerant in libertatem, & ex sua gente Reges crearant, redegit sub iugum, & annua eis tributa imposuit: & quoad vixit, variis trophæis floruit: mortuus an. mundi 3212. regni 16.

In demortui locum filius ipsius Achas Rex creatus est, homo perditus, ac tanta impietate, vt non modo contaminatas superstitiones passim institueret, verum etiam nefariam quarundam gentium religionem obiret, & ignibus succensis suos liberos per flammam expiandi causa traduceret. Huius impietatis vltores continuo extitere Syriæ & Israelis Reges, quorum vterque armis coniunctis illum oppressit, magnoq; incommodo affecit, simul maximum ex ipsius ditione captiuorum numerum abduxit. Rex Achas eo malo accepto nihil sanior effectus, impium sibi Assyriorum Regem Tiglat Phulassarem, fœdere ac societate iunxit: eumque in

Syriam

Syriam attraxit, qui interfecto Syriæ Rege Rezin, expugnatam Damascum occupauit, & colonos Syros transtulit in Regionem Assyriorũ. Postea reliqui Reges progrediuntur, delent totum Regnum Israeliticũ, & tandem totam gentem Iudaicam abducunt in Babylonem. His irruptionibus primam occasionem præbuit hic Rex Achas, inuitans Assyrios, qui semel inuitati dant operam, vt maneant. Id quod semper faciunt potentiores hostes, inuitati defensionis causa ad societatem bellorum. Achas profectus Damascum, in gratiam Regis Tiglatphulassar amplectitur idola Syriæ, eaque introducit in populum Iudaicum, templum Hierosolymarum occludit, aram eius euertit, & similem Damascenæ construit, cuiusvis nouitatis stultus executor: hoc vno felix, quod bono patre Iothamo natus est, & pium filium Ezechiam post se reliquit. Ipse quasi quædam spina inter lilia, aut inter duos fullones carbonarius incessit: tanto neqnior & deterior, quanto magis in illis virtutes splendent.

In regno Iuda fuit annos 16. in vita 36. decessit anno mundi 3227. anno tertio Hoseæ, vltimi Regis Samariæ, quem Salmanassar, Rex Assyriorum, sibi vectigalem fecit.

Vt vero Achas pater omnes Reges Iuda impia idolomania superauit: sic filiꝰ Ezechias successor, omnibus, excepto Dauide, pietate antecelluit. Primo siquidem mense suæ gubernationis repurgauit religionem à patre horribiliter [illegible]ter contaminatam, templum rursus aperuit, idola

Syria-

Syriaca deleuit, & veros Dei cultus instaurauit. Neque vero minor Ezechiæ Regis in re militari virtus exstitit. Nam ita Palæstinos domuit, vt reliquos omnes barbaros terrore adfectos compesceret, suisque ciuibus pacem atque otium pararet. Anno gubernationis eius sexto, Salmanassar deleuit regnum Samariæ, & abductas decem tribus dispersit per prouincias Monarchiæ Assyriorum. Cuius calamitatis spectator fuit Ezechias: qui & ipse interiecto tempore bello Assyriaco premitur.

Anno enim 14. regni, inuadente Sennacheribo, Salmanassaris filio Iudæos, & multas regiones vastante, triginta talentis auri pacem redemit. Sed non acquieuit superbus & blasphemus Rex Assyriorum Sennacheribus. Obsedit paulo post Hierosolymam, additis minis, se Iudæos, ac Deum ipsorum funditus deleturum. Hac obsidione perterriti, Iudæi Esaiæ Prophetæ monitu clementiam Dei implorare cœperunt, remotisque Regum impiorum auxiliis, suas omnes spes in vnico Iehoua collocarunt. Itaque Deus illorum incommoda miseratus, angelum emisit, qui gladio districto centena octoginta quinque Assyriorum millia trucidauit. Neque ita multo post Sennacherib⁹ fuga elapsus, in vrbe Niniue, in Deorum suorum templo, filiorum suorum manibus truncatus est.

Mox cœpit dissolui & disparere Assyriaca potentia, & subire in locum eius Babylonica, sub Merodach Baladan. Hũc interitũ regni Assyriaci vidit Ezech. Sed elatus magnitudine successuũ,

in

in superbiæ laqueos incidit. Quare vt hoc malum emendaretur in cruce, morbo graui & mortifero oppressus est. Cum autem acerbissimis lachymis sua peccata deplorasset, à Deo ex faucibus fati ereptus, prorogationem vitæ ad annos quindecim obtinuit, insigni miraculo confirmatam, videlicet regressu solis. Huius præposteri motus solis aspectu vehementer perculsus, & attonitus, Merodach, Rex Babylonicus, misit ad Ezechiam legatos, vt de prodigio illo in sole retrogrado edito edoceretur. Sed non dubium est, Merodachum Babylonium sub hoc prætextu simul aliud quæsiuisse, vt nimirum Ezechiæ amicitiam siue fœdus ambiret, quem ab Assyriis sibi timere sciebat; & ea Iudæorum societate regnum suum apud Babylonios stabiliret. Hic vero Ezechias rursus in scopulum superbię impingens, thesauros suos regios legatis ostentauit, vt suæ opulentiæ admiratione Babylonios sibi magis deuinciret. Sed propter hunc lapsum grauiter à Propheta Esaia obiurgatus, peccatum suum confessus est, & Deo iustitiæ laudem tribuit. Cum annos 29. regnasset, vita functus est, anno mundi 3255. ætatis 54.

Ex patre optimo & sanctissimo, sceleratissimus filius Manasses natus est, qui oblitus tristissimi excidii regni Israelitici, & illustrium miraculorum, quæ Deus in sua gente ediderat, ad idola ethnica desciuit, exemplo Assyriorum omnia cœli signa adorauit, filium suum Molocho immolauit, & igne cremauit, ipsumque adeo Roboamum, auctorem corruptæ religionis, omnes-

omnesque nationes barbaras superstitione & impietate longe superauit: Prophetas, alioſque viros pios omni cruciatus genere necauit; in his Esaiam, Doctorem plane Euangelicum lignea serra dissecuit, totamque Hierosolymam cruore repleuit. Cum his se flagitiis ac sceleribus cõtaminasset, ac repudiatis Prophetarum monitis, nihil iam pro sano facturus videretur, tum iustissimo Dei decreto tantorum vltor facinorum rex Babylonius Merodachus exstitit, qui eũ grauissimi belli offensione fractum, & ad extremum captum atq; comprehensum in Babyloniam deportari iussit. Quo tamen in exilio decennali, cum suam amentiam detestatus, animum ad Dei misericordiam conuertisset; summa ipsius benignitate in regnũ honorifice restitutus, idola deleuit, & quæ potuit, in religione vera propaganda emendauit. Regnauit diutius, quam Regum quisquam alius in populo Dei, annos videlicet 55. Obiit anno mundi 3304. ætatis 67. sepultus in horto suo, extra Regia Monimenta.

Amon, filius Manassæ, quamuis patris vincula, & calamitatẽ nouisset, tamẽ eo non modo nihil melior, sed propemodum deterior fuit. Ideo propter tyrannidem & idololatriam initio regni sublatus est, fraude suorum familiarium. Anno ætatis 24. Regnauit annis duobus, tumulatus iuxta patrem in horto priuato.

Iosias, filius Amonis, ætatis anno octauo regnum consequutus, mox omnia idola deleuit, templum repurgauit, aras destruxit, Pythones, augures, & similes alios, incantationib. deditos,

expulit ; excelsa deleuit, lucos succidit: libr
Mosis in templo repertos populo proponi cur
uit, & omnia, quæ sub impio Rege Manasse c
tra legem fuerāt abrogata, restituit. Hoc vnu
stulte egit, ꝙ bellum nō necessarium mouit
uersus regem Nechanē à quo pacatus abesse p
tuisset. Pugnans n. cum rege illo Ægyptio, Be
hadadæ auxiliis, sagitta percussus est, & ex
vulnere aliquanto post occubuit, A.M. 3343
gni 31. ætatis 39. Neq; sine causa eius mortē
remias Propheta ca. 46. acerbissimis lachrym
defleuit. Nam post eū nullus rex pius, aut laud
aliqua dignus, in hoc populo vixisse cognosci

Interfecto Iosia, populus regem creauit Io
chazum, primogenitum eius filium, non natiu
tate, sed dignitate: mente & factis impium: q
quem rex Ægypti Pharao Nechao castra mou
& acie victum viuum cepit, abductum in Ægy
ptum interfecit, cum regnasset tres menses.

In eius locum rex Ægypti Ioachimum, secun
dum Iosiæ filium regem Iudę constituit: quo re
gnante Nabuchodonosor vniuersis viribus re
gni sui aggressus est regem illum Ægypti, & oc
cupatis prouinciis omnibus ab Euphrate ad Ni
lum vsq; bonam Ægypti partem redegit sub im
perium Babylonicum, & acie superatum Pha
raonem Nechaonem trucidauit. Postea etiam
regi Ioachimo tributum indixit, & simul secum
abduxit in Babylonem magnam hominum mul
titudinem, inter quos fuerunt multi adolescen
tes, nati ex præcipuis familiis gentis Iudaicæ, &
inter quos Daniel Propheta, Hanc calamitatem

futu-

futuram Ioachimo Regi prædixit Ieremias Propheta; verum exclusus aula, eadem vaticinia in librum retulit, vt in manus regis traderetur: quē librum sibi oblatum cultello rex concidit, & in ignem coniecit: deq; sua insania nihil remittens, Ieremiam & Baruchum statuit occidere. Vriam, innocentem virum, Ieremiæ discipulum, capite puniuit, & cadauer ipsius sine honore sepulturæ abiici iussit. Cum vero spem libertatis vanam conciperet, & pactis nō staret, rediit Nabuchodonosor in Iudæam, & thesauros templi regemque ipsum Ioachimum duabus catenis vinctum in Babylonem abduxit: interfectum ibidem proiici iussit inter cætera cadauera, & asini more sepeliri, iuxta Ieremiæ vaticinium, Regnum eius fuit annor. vndecim. Obiit anno mundi 3354. ætatis 36.

Successit Rex Iechonias, nepos Iosiæ, ex filio Ioachimo. Hic mense quarto regni sui, cum à Babylonico rege Nebucadnezare bello peteretur, suadente Propheta Ieremia, ex reuelatione diuina, tradidit se, & populum in Babylonici Monarchæ potestatem. Anno captiuitatis suæ 37. vinculis exemptus, & regie tractatus ab Evilmerodacho, Babyloniæ Rege; filium genuit Salathielem, in qua regia dignitas cessauit.

Pro Iechonia Nabuchodonosor, rex Babyloniæ, constituit Zedechiam, vltimum regem Iudæ, filium tertium Iosię, patruum Iechonię. Hic regnauit años vndecim; & impietate ac scelerib. pene oēs superauit. Quæsiuit occasionem defe-

ctionis à Nabuchodonosore Magno, Rege Babylonico, & occulta consilia cum rege Ægypti iniit. Ea re offensus Nabuchodonosor, collecta maximis copiis in Iudæam rediit, & vrbem Hierosolymam obsidione cinxit, annum integrum & menses septem. Suadebat tunc quoq; Ieremias Propheta vrbis deditionem; sed tanta fuit pertinacia regis Zedechiæ, vt etiam inuito Deo, vrbem defendere conaretur. Ad extremum oppidani pestilentia, fame, rerumq; omnium inopia coacti, partim se noctis silentio, itineribus occultis fugæ mandarunt, partim se suaq; omnia in Babyloniorum potestatem dediderunt, anno mundi 3365. At Rex Zedechias, cum sese proceribus atque amicis fugientibus adiunxisset, interceptus ab hostibus, atque ad Nabuchodonosorē deductus est. Apud eum iussus causam de vinculis dicere, damnatus, hanc sententiam tulit, vt omnes ipsius filii, simulq; regni proceres, in eius conspectu necarentur. Post ipse oculis effossis, cateniſq; constrictus, Babylonem abductus est, & in carcere ad mortem vsque retentus. Vrbs vero cum templo exusta est, & totum regnum ita excisum, vt nihil nisi plebecula infima fuerit reliqua. Atque hic Iudaici regni miserabilis ac luctuosus finis fuit: quod duravit a Salomonis obitu, annis 395.

Hanc captiuitatem Babylonicam multi Prophetæ in regno Iuda pronunciarunt: & populum ad pœnitentiam adducere, atque contritionem in cordibus excitare conati sunt. Inter hos præcipue conspicui fuerunt: Esaias, Ioel, Micheas,

cheas, Sophonias, Abdias siue Obadias, Habacuc, & Ieremias.

Esaias Propheta, regia stirpe prognatus, vixit fere octingentis annis ante natum Christum, & tamen tanta perspicuitate de ea vaticinatur, vt ex Patribus quidam eum magis Euangelistam, quam Prophetam dicendum iudicarint. Apud bonos reges Iuda in magna fuit existimatione, p̃cipue apud piissimum regem Ezechiam, cui fuit à consiliis in grauissimis, præsertim in religionis negotiis. Cum Sennacheribus, rex Assyriæ, deditionem vrbis Hierosolymæ superbissime postularet, in tanta trepidatione regem suum consolatus est, suisq; precibus salutem & liberationem, hostibus v. exitium impetrauit. Concionatus est plusquam 80. annos, in quibus proculdubio plurimas molestias & afflictiones est perpessus. Eodem tempore, quo ille docuit, miserè vastatum fuit regnũ Israelis per Assyrios; & factæ sunt horribiles incursiones Syriorum, Idumæorum, Palæstinorum etiam, in regnum Iuda. Tãdẽ ab impio rege Manasse serra per mediũ hoiem dissectus est: q̃ genus supplicii videt̃ tale fuisse, quale est apud nos in quatuor partes dissectio.

Ioel, filius Phatuel, quo tempore prophetauerit, ipse quidem nusquam expresse dicit; ex omnibus tamen circumstantiis colligi potest, q̃ tempore regis Ezechiæ, aut paulo ante ipsius tẽpora docuerat. Denunciat regno Iuda interitũ, & captiuitatẽ Babylonicam, & hortatur, vt pœnitentiam agant Iudæi, quo imminentia mala auertantur. Vaticinatur etiam dulcissime de re-

gno Christi, & monet omnes gentes, vt Euangelium recipiant, nisi male perire velint.

Michæas, oriundus è ciuitate Maresa, prophetauit temporibus trium regum in Iuda, regnante videlicet Iothamo, postea succedente in Imperio Achaz, & huic rursus Ezechia. Et quia sub Achaz regnum Iuda (quemadmodum etiam sub prioribus aliquot Regibus) multiplici idololatria, & aliis sceleribus, contaminatum erat: Regnum vero Israelis perpetuo idololatrica sacra exercebat, & horrenda flagitia designabat: Propheta magno zelo vtriusq; regni vastationem & euersionem denunciat. Cõcionatur quoq; suauissime de Christo Saluatore, & regno eius, & quidem locum natiuitatis Christi, Bethlehem expresse designat: vt pii in miseriis suis solatium haberent, & in Christo Saluatore venturo acquiescerent.

Sophonias, filius Chusi, haud ignobili stirpe genitus, prophetauit temporibus Iosiæ, piissimi regis in Iuda, & fuit contemporaneus Ieremiæ. Vaticinatur (quemadmodum & præcedentes) de regni Iuda euersione; tametsi Chaldæos non expresse nominat, qui illius decreti diuini executores futuri erant. Etsi enim Rex Iosias valde pius erat, religionemq; & mores Israelitarũ magno zelo reformauerat; tamẽ magna populi pars impietatem & falsam religionem in corde fouebat. Et videbat Propheta, ex reuelatione Spir. S. quod optimi regis Iosiæ successores, impii, & polluti non vno genere idololatriæ, futuri essẽt, religionemq; rursus corrumperent: itaq; fieri ar-

liter

liter non posse, quam vt Respublica Iudaica corrueret. Prædicat autem etiam aliarum gentium vastationem, quas rex Babylonicus, commune flagellum Dei, oppressurus erat. Tandem etiam de regno Christi, & dulcissima Euangelii prædicatione, suauissime vaticinatur: affirmans fore, vt Ecclesia Euangelii gratissima voce recreetur, & consolationem veram solidamque accipiat.

Abdias, siue Obadias, & si non expressam facit mentionẽ, quo tempore vixerit, aut ex qua tribu ortus sit: tñ ex ipsius Prophetia colligitur, eum circa initiũ captiuitatis Babylonicæ vixisse, & Iudæis nuper in Babylonẽ abductis, concionatũ esse. Vehemẽter a. inuehitur in Idumęos perpetuos Iudæorũ hostes. Notum est, ꝙ Esau, cognomento Edom, exosum habuerit, & persequutus sit fratrẽ suum Iacobũ. Propagatum est illud odium ẽt in totã posteritatẽ, ita vt Idumęi, ab Esau descendentes, Iudæorũ rebus secundis semper inuiderent; aduersis vero virulenter insultarent. Quin ẽt Idumæi adiuuabãt hostes Iudęorũ, ꝙ etiam factũ esse circa captiuitatẽ Babylonicã, haud obscure in Abdiæ Prophetia conspicitur. Cũ a. hic impius populus videretur Iudæis impune illudere, excitauit Dominus hunc Prophetã, vt Idumæis interitũ vaticinaretur, vt inde consolationẽ populus Dei caperet: q̃ si audiret, Dominũ iniurias ipsorũ vlturũ. Sed & Iudæos cõsolatur; ꝙ aliquãdo in patriã redituri essent. De regno Christi docet, futurũ, vt in illud nõ modo Iudæi, verum ẽt gentes colligerentur.

Habacuc sub quo rege prophetarit incertũ est.

Verisimile tamen, eum circa Ieremiæ tempora, vel paulo ante, docuisse. Arguit n. peccata populi sui, idq; breuiter; Deinde recensет, quomodo Chaldæi venturi sint, & regnum Iuda euersuri. Interim multus est in consolando populo suo, & orat Dominum, vt ærumnas istas mitiget. Ostendit enim, Deum Babyloniorum tyrannidem vlturum, & missurum mundi saluatorem qui suos fide sit iustificaturus.

Ieremias natus fuit genere sacerdotali, oriũdus ex oppido Anathoth, quæ ciuitas data fuit sacerdotibus inhabitanda. Prophetare incœpit sub pio rege Iosia. Inundauerat eius temporibus in Ecclesiam & Remp. populi Dei multiplex & horribilis idololatria, & præterea morum ingẽs corruptio, quæ idololatriam, vt vmbram corp⁹, consequi solet. Tametsi n. Dominus aliquos excitauit pios reges, qui religionẽ repurgabant, & reip. statum corrigebant; tñ populus clam fouebat priorem impietatẽ. Et quamprimũ pio regi alius succedebat, mox populus ad ingeniũ redibat, seq; omnis generis impiis cultibus, & flagitiis cõtaminabat. Quare Propheta Ieremias diuinitus vocatus est, ad prædicandã pœnitẽtiam populo Iudaico: ꝙ & acerrime fecit, ac minatus est Iudæis Babylonicã captiuitatẽ. Interim tamẽ etiam aspergit dulcissimas conciones & Prophetias de Christo: & de reditu è captiuitate Babylonica, post 70. annor. exiliũ, vaticinatur, ne ẽt pœnitentes, in tantis ꝛrũnis impendentib⁹, animũ desponderent. Ingentes a. vidit miserias. Dũ enim, ex reuelatione Sp. S. suadet Iudæis, vt sese regi Babylonico tradant, vrbem n. Hierusalem,

nisi deditione præueniant, vi captum iri, in carcerem coniectus, & sæpe misere afflictus est, à Pseudoprophetis, Sacerdotibus, populo, & aulicis, qui eum proditorem patriæ esse calumniabantur. Tandē capta vrbe, Iudæi, qui ibi à Babyloniis relinquebantur, contra Dei verbū descendebant in Ægyptū, & Ieremiam vi secum rapuerunt, ac propter perpetuas reprehensiones in vrbe Tachpanes lapidibus obruerunt.

Deinceps ad Israelitarum regum & seditiosarum tribuum historiam reuertendum est. Post distractionem regni, vnum Iudæ dictum fuit, & Roboamo, filio Salomonis cessit: alterum Israelis, & Ieroboamo, satrapæ Salomonis datum est: illud duas tribus habuit, Iuda & Beniamin: hoc reliquas decem, quarum primus Rex à Propheta Ahia designatus est Ieroboamus. Ea fama peruulgata, cum in vitæ periculo versaretur, fugit ad Sesacum, Regem Ægypti: & post Salomonis mortem reuersus in patriam, rex Israelis publicis comitis proclamatus est. Vt v. regnū illud retineret, religionis formam mutauit, & vitulos aureos populo adorandos proposuit, dies festos sacerdotesq; suo arbitrio instituit: ac tanta per eius ditionem morum barbaries & immanitas grassata est, vt Deus tandem indignatus, acerrimum de ipso supplicium sumserit. Nam cū innumeras prope copias aduersus Abiam, regē Iudę, Roboami filium, eduxisset, memorabili prælio delectorū Israelitarum quinquies centena millia desiderauit, neq; vnquam postea Ieroboam⁹ pristinū robur recuparepotuit. Regnauit an. 22.

Percussus à Deo mortuus est an. mũdi 2292. quo morbi genere interierit, nõ exprimitur in sacris literis. Ex libro regum constat, domum eius, q̃ idololatria stabilire voluit, funditus à Baasa fuisse deletã; iuxta Ahiæ Silonitæ vatis p̃dictionẽ.

In Ieroboami locum Rex Israelis creatus est Nadabus ipsius filius: qui cum paternam illã vitulorum aureorum religionem sequeretur, annum modo vnum, ac paucos insuper menses regnauit. Bellum enim cum Palæstinis gerens, à Baasa, tribuno militum, suis in castris interfect⁹ est, anno mundi 2993. neq; multis diebus intermissis, vniuersa Ieroboami stirps, coniuratorum consilio eradicata est.

Interfecti Nadabi regnum Baasa percussor continuo occupauit, & superiorum regum vitulinas superstitiones secutus perpetuum bellum gessit cum Assa, rege Iudaico, munitaq; vrbe Rama grauiter edixit, ne quis è suo regno in Iudæã exiret. Cum propriæ fideret potentiæ, à Benhadada Syriæ Rege victus est. Regnauit annos 24. Moriens anno mundi 3016. Ellam filium successorem reliquit.

Ella, Baasæ filius, fatuus & temulentus, Iehũ Prophetam propter libertatem interfecit. Ipse cum volutaretur in delitiis, & vino indulgeret quotidie, à Zimrio, magistro equitum, inter vina oppressus est; an. mundi 3017. neq; quisquam de omni stirpe Baasæ relictus superstes.

Zimrius, audacia & astutia famosus, rege necato, vrbem Tirzam, sedem regiam, occupauit, & diadema, populo insciente, rapuit. Obsidebãt tunc Israelitæ Gebethonem: qui accepto hoc re-

gis occisi nuncio, ducem militiæ Amrium creauerunt, & ad Tirzam recuperandam exercitum vniuersum adducunt. Zimrius conscientia facinoris, & periculi præsentia deterritus, ne viuus in hostium potestatem veniret, arcem inflammari iussit, & se cum furoris sociis cremauit: die tyrannidis occupatæ septimo.

Post Tirzam recuperatam, quæ regum Israeliticorum sedes vsq; ad eum diem fuerat, diuiso in duas factiones populo, à nonnullis eligitur Thibnius, sed Amrii fautores prœualuerunt, qui Thibnio, rege alterius factionis, in ipsa contentione mortuo, communi consensu rex salutatus est: nec destitit cumulare maiorum improborũ delicta grauissima. Propter loci opportunitatẽ, Samariam condidit, quæ deinceps horum regũ sedes ac domicilium fuit. Regnauit annos 16. & primus sepultus est in vrbe Samaria à se condita, Anno mundi 3028. Successit Achabus, Amrii filius, regum omnium pessimus, indulgens vxori Iezabeli maleficæ, & Ecclesiasticis iuxta ac politicis negotiis sese impudenter ingerẽti. Auctor fuit fœdissimarum superstitionum: fœdera cum exteris iniit: Regem Iudæ Iosaphatum, virum bonum & simplicem seduxit: Nabotho primum vineam, deinde vitam eripuit: Prophetam Eliam acerbe persecutus est: Micheam persequ- tus fuit, aliũ ignoti nominis à se abegit. Cũ Benhadada, Syriæ rege, sui sæculi potentissimo, Samariam obsidente, bis feliciter pugnauit: tertio congressu sagitta, lethaliter vulnerat⁹, sanguinẽ suũ de curru manantẽ canib. lingendũ pbuit, añ o

mundi 3047 sceptrum tenuit annos 22. qui ne vno quidem mense dignus fuit.

Achabi filius Ahasias, siuē Ochozias, iniqui patris sui exēpla secutus est, vt mali corui malū ouum dici poterit. Initio regni sui non contemnendā imperii sui partē amisit. Desciuerunt n. ab eo Moabitæ, quos olim Dauid regno Israelis sub iecerat. Iosaphatus ēt, rex Iudæ, ictū cum eo fœdus rescidit. Ipse deambulādo in superiori parte domus, in cuius pauimento foramina erāt opere cancellato, per q̄ lumen transmittebatur, delapsus est in cænaculū inferius; quo valido corporis concussu grauiter saucius, ac solicitus de salute, legatos ire iussit ad Beelzebub, Deū Palæstinorū; quib⁹ Elias Propheta angeli admonitu occurrens, mutare ipsos iter iubet, & regē moriturū dicit, ꝓpter hāc impietatē. Eo sermone audito, rex Ahasias tribunū quendā cū centuria dimisit, qui captū Eliā adducerent: sed & tribunū & milites fulgur de cœlo cōbussit: misit rex alterum, qui cū totidē viris eodē miraculo interiit: misit tertium, qui se excusans, vitam impetrauit obseruantia & precibus. Elias ab angelo impulsus Regem adiit, & obiurgatum, non fore superstitem dixit. Anno igitur mundi 3048. regni sui secundo, Ahasias per palatii cancellos collapsus, misero fato succubnit, nullo hærede post se relicto. Ioramus auū Amriū, patrem Achabū, fratrē Ahasiam, Reges habuit: ipse in sua stirpe postremus. Cum Rege Iudæ & Idumæorum societatem iunxit. Pugnans contra Moabitas, siti laborauit. Obsessus Samariæ, à Benhadada, Rege Syriæ, fame pressus est, quam miseræ matres,

inedia coactæ, suorum infantulorum corporibus tolerarunt. Erat tum in Vrbe Propheta Elisæus, qui liberationem & copiam frumenti in posterum diem promisit: quod futurum præfectus regius negans, vidit quidem, sed multitudinis concursu oppressus tantis bonis frui non potuit. At Rex Ioramus cum & miraculorum, & beneficii diuini abiecisset memoriam, in prælio, quod cum Hazaele, Syrorum Rege, commisit, sagitta percussus, & paullo post à Rege Iehu diuinitus electo in agro prostratus, in vineam Nabothi bestiis lacerandus abiectus est, Anno Mundi 3059. Iesabel itidem mater eius, quæ idololatricum cultum Baal pertinacissime fouerat, iussu Regis Iehu, de arce per fenestram præcipitata, vngulis equorum conculcata, & à canibus lacerata fuit, vsque ad caluariæ, pedum & manuum viles reliquias. Neque tamen hac acerbitate Iehu contentus, de regio sanguine viros 112. iugulari præcepit: filios videlicet Achabi Regis 79. & fratres 422. Ocholiæ, Regis Iudæ; quibus addidit Achabi consiliariorum magnum numerum.

Ita Iehu, vir strenuus, diuinitus vocatus ad Regnum Israelis, vindictam exercuit in domo Achabi. Vsus consilio Elisæi Prophetæ, & Ionadabi Rechabitæ, sacerdotes Baalis ad vnum omnes interfecit, simulque Baalis templum exscindi, atque in ipsius area latrinam publicam institui iussit: quanquam ne à superiorum quidem Regum vitulinaria superstitione & Ieroboamicis sacris abstinuit. Tanta Iudaicæ na-

tionis in istiusmodi sordibus venerandis fuit insania. Qua de caussa Deus Syrorum armain Iehu incitauit, eamque ipsius leuitatem & perfidiam graui bello vltus est: quo ille confectus, obiit, Anno Mundi 3086. Regnum Samariæ tenuit annos 28. Posteritas eius durauit ad quartam vsque sobolem.

Ioachas, filius Iehu, sequutus est idololatricum cultum Ieroboami: Regum ante se omnium infeliciſſimus. Armis enim Syriacis, Hazaelis, & Benhadadæ, ita attritus est, vt paucas ad corporis custodiam turmas equitum haberet, & ex omni flore iuuentutis, ac populo potentissimo, vltra decem peditum millia non potuerit armare amplius. His miseriis eo redactus est, vt in seruitute acerba auxilium à Deo flagitaret, ne cum reliquiis exiguis funditꝰ extirparetur. Eius igitur preces Deus exaudiens, fortem ipsi dedit filium, vltorem Syriorum. Vixit in Regno Samariæ annos 17. Mortuus Anno Mundi 3103.

Ioas, nepos Iehu, viuo adhuc Patre Ioachas, Rex Israel designatus, aui sui vsus est successibus. Regem Iudæ Amasiam, temere se prouocantem, cepit, & nobilitatem præcipuam vinctam duxit. Hierosolymam, Vrbem sacram, spoliauit, muri partem demolitus est, nobiles templi thesauros asportauit. Elisæum ægrotantem cum inuiseret, certis signis institutus est, quas esset habiturus victorias. Latrones Moabitarum repressit. Hazaelem, Regem Syriæ, antehac inuictum, superauit. Benhadadam

dam II. Hazaelis filium, præliis tribus fregit: oppida & Vrbes vi ademptas, armis recuperauit: ideo Seruator populi cognominatus. Regnauit cum dignitate, & finitimorum terrore, annos 16. mortuus & sepultus Samariæ, Anno Mundi 3119.

Ieroboamus II. Ioæ filius, animo & felicitate Patre nihil inferior, regiam Syriorum Vrbem Damascum cepit, eiectisque è præsidiis hostibus, veteris Israelis fines ac terminos restituit, multisque modis crudelitatem & superbiam Syriorum vltus; Deum tamen, sicut & Pater Ioas, ex animo sequutus non est; sed populum in idolorum cultu retinuit. Regnum Samariæ gubernauit prospere annos 41. solus, cum Patre tres. Obiit Anno Mundi 3159.

Zacharias, Ieroboami filius, abnepos Iehu, nihil quidquam memoria dignum gessit: nisi quod Ieroboami primi Idololatræ vestigia sequutus sexto mense à seditioso quodam Sallumo, coram multitudine obtruncatus est, & in eo maiorum suorum dignitas, & regni Israelis potentia concidit.

Sallumus, filius Iabes, crudelis sicarius & parricida, regnum cæde partum, cæde amisit. Nam tyrannis eius vno tantum mense durauit. Manahemus quippe, audita Regis Zachariæ oppressione, & tyranni Sallumi petulantia, Samariam armatus inuasit, & omnem factionem aduersariam extinxit.

Manahemus, Gaddi filius, patria Thersanus, Sallumum tyrannum occidit, & Regnum Samariæ.

mariæ sibi vindicauit. Thapsenses, qui portas ipsi clauserant, internecione deleuit: quorum etiam Vxores prægnantes, inaudita prius inter illos Reges feritate, dissecuit. Populum tributis & exactione grauauit, vt à Rege Assyriorum Phulbelocho, qui regnum Israelis primus infestarat, pacem redimeret. Cum decem annis solidis præfuisset regno auare, & immaniter, ex hac vita decessit, Anno Mundi 3193.

Pecaia, Manahemi filius, tristi ingenio, & moribus efferatis, à Patre non degenerans, annis tantum duobus sceptrum petulanter gessit, interfectus in conclaui suo à Peca.

Peca, filius Romeliæ, Regis sui parricida, cum audacia coniunctos successus habuit, & Regnum Samariæ occupauit. Ieroboami superstitionem imitatus est. Iudæam sub Rege Iothamo excursionibus vexauit. Inde assumpto Rezin, Rege Syriæ, Achazum, successorem Iothami, armis aggressus est, & Hierosolymam obsidione cinxit: sed frustra. Interim tamen ferro & igne totam Iudæam vastauit, & vno prælio centum ac viginti Iudæorum millia deleuit: mulierum & puerorum ducenta millia in tristissimam seruitutem Samariam abduxit. Iudæorum clade intellecta, Obed Propheta exercitui Pecæ triumphantis obuiam processit, suasitque, vt matronas imbelles, & ætatis teneræ multitudinem incolumem dimitteret, ne iram Dei cumularet: cuius minis territus Rex Peca, vinctos Iudæos liberauit, nudos de spoliis vestiuit, ægros cibo vnguentisque refecit,

eun-

euntibus comitatum & viaticum addidit, lassos iumentis deportauit, & singulis ad suos redeundi potestatem fecit. Achas, Rex Iudæ, in auxilium sui aduocarat Regem Assyriorum Tiglatphulassarem, qui totam Galilæam in potestatem redegit, & tribus Zabulon, ac Nephtalim in Assyriam transtulit. Quare Peca in odium suorum adductus, ab Hosea per insidias comprehensus & trucidatus est, Anno Mundi 3216. Regnauit annos 20.

Hoseas, vltimus Rex Israelis, regnum violenter comparatum annis nouem obtinuit, & postea violenter amisit. Regi Assyriorum Salmanassari factus tributarius, cum Rege Ægyptio postea conspirauit, eiusque auxilio de rebellione postea cogitauit, vt à tributo imposito se liberaret. Proditis illis consiliis, à Salmanassare Assyrio captus est, & in carcerem coniectus. Samaria triennii obsidione fatigata, & expugnata; decemque tribus in Assyriam & Mediam miserabili & perpetua seruitute dispersæ, Anno Mundi 3232. Hic Samaritani Regni florentissimi tragicus exitus fuit: quod durauit à morte Solomonis annis 262. nec reditus ab hoc exilio Israelitis vnquam concessus est; sed regio tota nouis incolis ex Assyria permutatione quadam missis occupata fuit, qui Samaritani sunt appellati, & religionis confusionem horrendam introduxerunt, miscentes Iudaicæ religioni idola ethnica.

Tametsi vero multi Prophetæ, in hoc Israelitico Regno, falsum Dei cultum grauiter re-

pre-

prehenderunt, & morum vitia verbo Dei acriter taxarunt; nihilominus Reges & subditi, fideles admonitiones securè ridebant: quidam etiam Prophetas persequebantur. Quare Dominus tantam contumaciam diutius ferre non poterat, sed, post multas & graues pœnas, vniuersali exitio Regnum illud Israeliticum inuoluit, populumque vna cum Magistratib. captiuum in Assyriam à Salmanassare duci curauit. Excellentiores Prophetæ in Regno Israelis hi fuerunt.

Elias Thesbites, currus fuit & equitatus Israelis, h. e. pietate, sapientia, doctrina, zelo ardenti, & miraculis plus profuit Israelitis, quam Rex istius temporis Achabus, & omnes eius exercitus. Precatione sua cœlum clausit, ne plueret, & post annos tres cum dimidio iterum aperuit: ab impio Rege Achabo, eiusque Vxore Iezabele, cæterisque Baalitis in exilium eiectus, à coruis pastus, & per angelos cibo & aqua refectus est. Idem tempore famis, cum vidua Sareptana degens, ex vno pugillo farinæ, & olei sextario, se ac totam viduæ familiam sustentauit, eiusdemque filium à morte resuscitauit: quadraginta dierum spatio ieiunium sustinuit: Baaliticos sacerdotes octingentos & quinquaginta occidit: ignem cælitus deuocauit, quo victima madens aqua consumpta est: interitum Regi Achabo & Vxori Iezabeli, Sidoniorum Regis filiæ, prædixit: centum milites, ab Ahasia impio Rege ad se comprehendendum missos, flammis cœlestibus perdidit: Eli-

sæo

sæo successori curam Ecclesiæ commendauit: per Iordanem pallio diuisis aquis eundem traduxit, & tandem curru igneo, ignitisque equis, per turbinem, viuus in cœlum vectus est: Anno Mundi 3050.

Elisæus postea ab aratro vocatus ad munus Propheticum ab Elia, Ecclesiam Dei gubernauit annis multis; clarus & ipse miraculis. Nam per Eliæ pallium aquas Iordanis diuisit; venenatas aquas Hierichuntis in salubres conuertit, iniecto sale: pueros maledicos 42. per vrsos ex sylua erumpentes interfici curauit; viduam piam & egenam olei copia ab ære alieno liberauit: Sunamiten hospitam suam in fame septem annorum iuuit, filiumque precibus ex morte ad vitam reuocauit: Naemanum Syriæ principem, in aquis Iordanis baptizatum, à lepra purgauit: Benhadadæ, Regis Syriæ, consilia eruenta detexit, eiusque sicarios missos delusit; tandemque molesto ac laborioso 70. annorum curriculo confecto, vitam cum morte commutauit, Anno Mundi 3104. adeo post funera etiam cohonestatus à Deo, vt ossium eius contactu quidam mortuus homo reuixerit.

Post Eliam & Elisæum, duos Prophetarum eius temporis antesignanos, quos Deus præcipue brutis idolorum cultibus taxandis excitauerat, ad Israelitas ablegatus est Hoseas, immediate à Deo excitatus. Is primum in crassam idololatriam, reliquaque Principum & populi scelera crassis typorum & verborum figuris seueriſſime inuehitur. Deinde cum expleta

iam

iam esset scelerum mensura, ob deploratam pertinaciam instans Regno Israelitico excidium præcise denunciat. Interim tamen, quia aliqui in Regno Israelis erant, qui genua sua Baalitici cultibus non curuabant, consolationis causa promittit, impia multitudine pereunte, regnoque euerso, reliquias tamen piorum seruandas esse in Christo, de cuius æterna diuinitate, officio, morte, victoria, beneficiis, & Regno, præclare vaticinatur. De morte eius in historia sacra nihil proditum habemus. Prophetauit sub quatuor Regibus Iuda, Ozia, Iotham, Achaz, Hiskia, siue Ezechia, annis omnino minimum 65. regnantibus in Israelitico Regno, Ieroboamo II. sub quo totis annis 41. regnum illud successibus & potentia maxime floruit. Docuit etiam sub cæteris Regibus, vel potius latronibus sequentibus, Zacharia, Sallum, Manahemo, Pecaia, Peca, & Hosea, vsque ad euersionem Regni Israelitici, quam prædixerat. Contemporaneos habuit Iesaiam, Ionam, Micheam, & Amos.

Amos Thecuites, Propheta factus è bubulco, docuit temporibus Esaiæ & Hoseæ; cum in regno Iuda imperaret Ozias, qui alias Asarias vocatur: & in Regno Israel rerum gubernacula Ieroboam, filius Ioas, teneret. Etsi autem gentium vicinarum, & Regni Iuda imminentes calamitates denunciat: tamen præcipuè Israelitici Regni ruinam & euersionem prædicit. Quod vaticinium impleuit Salmanassar, Rex Assyriæ, qui in suam potestatem Regnum

Israe-

Israelis redegit, & populum in Assyriam captiuum abduxit. Sed & de Regno Christi ad gentes transferendo concionatur.

Ionas Gathites, patre Amathai progenitus, vir fuit, suo seculo admodum clarus. Vaticinatus est de victoria, quam Ieroboamus II. filius Ioas, obtenturus, & per eam Regnum Israelis iterum restauraturus erat. Missus à Domino, vt Niniuitas hortaretur ad pœnitentiam, & defugiens hoc munus, in portu Ioppe nauem conscendit. Orta autem grauissima tempestate, & facta sortitione, in mare abiectus est, tanquam hostia piacularis: vbi hiatu balænæ exceptus, in ventre eius trium dierum spatio, per milliaria ducenta quinquaginta amplius vectus, & in portu demum maris Euxini eiectus est. Denuo igitur à Domino iussus Niniuitis concionari, vocationi diuinæ paruit, & prædixit, Vrbem illam intra 40. dies propter horrenda scelera deleram iri. Cum vero Niniuitæ seriam pœnitentiam egissent, ab imminenti interitu liberati sunt. Fuit hic Ionas typus Christi, triduo in sepulchro quiescentis.

Ionam sequutus est Propheta Nahum, qui relapsis ad vomitum Niniuitis, pœnas eas denunciauit, quibus post ita perierunt, vt nunquam cum Vrbe sua instaurari potuerint. Regnum vero Assyriacum eo potentiæ euaserat, vt iam aliis Regnis omnibus formidabile esset; & in propinquo erat tempus, vt Salmanassar, Rex Assyriorum, abducturus esset ciues regni Israelitici in Assyriam; & alius Assyriacus Rex

Sen-

Sennacherib, Salmanassaris successor, afflicturus regnum Iuda, sub piissimo Rege Ezechia. Quare, ne populus DEI offenderetur, quasi Deus, abiecto populo suo, impios Assyrios diligendos, & vnicè curandos suscepisse videretur, Propheta Nahum vaticinatus est, Regnum Assyriacum ruiturum. Prædixit etiam, Euangelium Christi aliquando in terra Iuda prædicatum iri.

Sed nunc ad captiuam Iudæorum nationem, quam paullo superius in Babylonia reliquimus, reuertendum. Eius autem deportationis quidam initium in eam diem conferunt, qua Rex Iechonias à Babyloniis captus, atque abductus est, sub finem anni octaui Nebucadnezaris. Quantas autem Iudæorum natio in illa seruitute acerbitates perpessa sit, vel hinc licet existimare, quod per gentes profanas dissipata, passim tota Babylonia, Persida, & Media, vagari cogebantur, veterumque hostium Ammonitarum, Idumæorum, Moabitarum, ac Palæstinorum ludibria & contumelias audire, qui crudelissime illorum miseriis insultabant. Sed mitigauit tamen Deus istas calamitates, & præsentiam suam in ipso etiam exilio, abunde declarauit. Ezechielem enim & Danielem Prophetas misit, vt solatio, & ornamento magno essent exulibus Iudæis. Seruauit tres viros Sidrach, Misach, & Abdenago, in flammis, cum Colossum Regis adorare omnes iuberentur: aliasque Ecclesiæ reliquias mirabiliter custodiuit. Tum, quod vel maxime dignum est admi-

ratione,

ratione, quatuor Monarchas in Regno Babylonico, & Persico, ad veram Dei agnitionem & inuocationem conuertit. Cum etiam periculum impenderet maximum, propter calumnias Hamani, qui edictum regium ab Assuero impetrauerat, quod vniuersum Iudæorum gentem delere iubebat: sic Deus calumnias illas per reginam Estheram Iudęam detexit, & fraudem omnem propulsauit, vt soli suo Authori Hamani exitio esset. Nunc de Prophetis, quos hinc captiuæ genti Deus consolatores dedit, dicendum aliquid videtur.

Ezechielem Prophetam, è sacerdotum Iudaicorum numero, Dominus Deus Iudæis, qui maturè in Babylonicum exilium, cum Rege Iechonia, profecti fuerant, graui de caussa misit. Cum enim Babylonicus Imperator alium Regem Iechoniæ substituisset Hierosolymis, nempe Zedechiam, & is postea rebellis fieret Babylonico, eiusque impetum sustinere, & Regni libertatem tueri posse videretur: vehementer pœnitere cœpit Iudæos, qui iam erant in Babylonia, quod Ieremiæ Prophetæ auscultassent, seque in potestatem Monarchæ Babylonici tradidissent. Hanc impatientiam fouebant & stimulabant Pseudoprophetæ, tum Hierosolymis, tum in Babylonia, qui iactabant, Iudæos, Hierosolymis adhuc dum degentes, inuictos fore aduersus Babylonios; & asserebant, intra pauciſſimos annos omnino ruiturum Babylonicum Regnum. Itaque Iudæi, qui cum Iechonia sese in seruitutem dederant,

rant, iudicabantur à cæteris Iudæi timidi & ignaui, vt qui iugum seruitutis recipere, quam libertatem fortiter tueri, maluissent: immo habebantur pro apostatis, quasi Deo Israelis confidere noluissent, & à sancto templo Hierosolymitano, adeoque à legitimo cultu diuino abstrahi sese, stultè & impiè passi fuissent. Neque dubium est, quin tum captiui illi Iudæi, acerbe execrati sint Prophetam Ieremiam, quod id consilii dedisset: se vero ipsos etiam, qui Ieremiæ auscultassent. Extat Epistola, quam Ieremias ad captiuos illos, in Babylone degentes, scripsit; in qua eos consolatur, & affirmat, male cessuram illis, qui in Iudęa remanserant, temporariam libertatem. Sed verisimile est, ea epistola paucos fuisse permotos. Itaque Dominus inter captiuos illos, excitauit Prophetam Ezechielem, qui ex spiritu Dei grauiter de excidio Vrbis Hierosolymitanæ, & de Regis Zedechiæ, ac populi ipsius captiuitate, deque ingentibus calamitatibus, quæ captiuitatem præcessuræ erant, vaticinaretur; vt ii, qui iam in Babylonia erant, intelligerent, se rebus suis recte consuluisse, quod Prophetę Ieremiæ paruissent. Promittit autem Ezechiel, fore, vt Iudæi aliquando in terram Chanaan redirent, & è tristi Babylonica seruitute liberati, Templum & Vrbem restaurarent.

Daniel Propheta, è nobilissima stirpe Regum Iuda oriundus, abductus fuit in Babylonem anno tertio Imperii Ioiakim, Regis Iuda. Ac videtur tum fuisse adolescens septendecim

aut

aut octodecim annorum, eratque viuido corpore, forma perliberali, atque ingenio excellenti, doctrinarum capacissimo. Traditus autem est vna cum aliis coętaneis adolescentibus à Rege Babylonico viris in Chaldæa eximia eruditione præditis, vt studium suum in Chaldæorum disciplinis triennio absolueret, postea vero Regi esset quotidie ad manum, eique ministraret. Qua pietate & sapientia Daniel ornatus fuerit, non modo ex ipsius scriptis, sed etiam ex Ezechiele liquet. Inter cæteras vero sapientiæ partes donatus fuit intelligentia admiranda, in interpretandis dextre somniis diuinitus immissis. Itaque cum Chaldæi, etiam doctissimi viri, Nabuchodonosori, Babylonico Regi suo, somnium, quod memoria ipsius exciderat, nec referre, nec explicare possent, ideoque morti iam destinati essent: Daniel Spiritus sancti illuminatione, somnium inuenit, & interpretatus est; ac se, socios que suos, Chaldæorumque doctores, conseruauit. Tunc à Rege Nabuchodonosore ad amplissimas dignitates euectus, & opibus auctus est. Existimant multi, eum non longe post gratia Regis aliquo modo iterum excidisse. Nulla enim ipsius fit mentio in erectione, & adoratione idoli illius aurei. Ac vero simile est, Danielem id summo conatu dissuasisse, ideoque paruam iniisse gratiam, tum apud Regem, tum apud aulicos: & tamen ex priore interpretati somnii beneficio, tantum adhuc videtur authoritatis & dignitatis retinuisse, vt ipse non ad idoli illius adora-

tionem adigeretur, sed dissimulanter præteriretur. Certe cum Rex alterum somnium de arbore altissima habuisset, quæsiti sunt Chaldæi interpretes, neglecto Daniele. Postea vero, cum Chaldæi in ea re nihil præstare possent, demum ad Danielem ventum est. Ac cum ipsius interpretatio verissima quidem esset, non tamen iucunda, sed admodum tristis: Daniel rursus paullo post, quasi priuatus, fortasse in aliquo prædio suo, delituisse videtur. Tandem cum Nabuchodonosor mortuus esset, ipsiusque filius Euilmerodachus: & vero Nepos eius Rex Balthasar, interimpium & impurum suum conuiuium, vidisset subito manum aliquam ad parietem extantem, & verba quædam, quæ nemo legere aut intelligere poterat, inscribentem: cum omnium Chaldæorum sapientia defecisset, quæsitus est, & quasi ex latebris productus, Daniel: qui cum illius scripturæ sententiam explicasset, iussit Rex Balthasar eum in magno honore haberi, & vt tertium à Rege venerari. Sed tum statim maxima incidit Reipub. mutatio. Ea enim nocte Vrbs Babylon capta est, & Rex Balthasar trucidatus: translataque Monarchia Babylonica ad Medos & Persas. Ibi à Dario Medo Rege, constitutus est Daniel in Babylonia Triumuir, & potestatem habuit in centum satrapas, fuitque propter admirandam sapientiam, & integritatem eximiam summo apud Regem loco, ita vt Rex Darius eum toti Babylonico Regno præficere cogitaret. Hanc ipsius felicitatem inuidia aulica

lica ferre non poterat. Ita Regi Dario Medo aulici callide persuadent, vt promulgato mandato seueriſſime præcipiat, ne quiſquam totis 30. diebus aliquid vel ab homine, vel à Deo peteret, niſi à ſolo Rege; qui vero hoc mandatum negligeret, eum Leonibus obiiciendum decerneret. Sciebant enim homines aſtutiſſimi, Danielem interea preces ſuas ad Dominum, neque neglecturum, neque diſſimulaturum. Cum igitur Daniel tam impio mandato nequaquam pareret, ad leones famelicos eſt detruſus. Vehementer quidem ob id Darius Rex fuit perturbatus, quippe qui Danielem ſuſpiciebat & amabat: ſed tamen vicit ad tempus aulicorum importunitas. Cum vero Daniel diuinitus conſeruaretur, neque à Leonibus læderetur, Rex iratus aulicis illis, qui Danieli hoc periculum creauerant, (liberato prius Daniele,) eos cum coniugibus & liberis, ad leones deturbari iuſſit. qui & illico miſere diſcerpti perierunt. Poſtea, cum tota Monarchia ad Cyrum Regem, Perſam, delata eſſet, etiam ſub huius Imperio Daniel in maxima fuit authoritate & dignitate. Attigit ætate ſua annum tertium Imperii Cyri, Regis Perſarum. Elapſi ſunt autem à tertio anno Regis Ioiakim, (quo Daniel in exilium Babylonicum abductus eſt) vſque ad annum tertium Cyri, anni 82. quibus ſi addideris 18. annos, quos videtur Daniel habuiſſe, cum in exilium iret, centum anni ætatis eius colligentur; in quibus pro-

culdubio sexcentas vidit miserias. Tandem ex hac ærumnosa vita ereptus, in meliorem vitam est translatus, & beatam resurrectionem cum aliis electis exspectat.

Anno Mundi 3435. finitis 70. annis Babylonicæ captiuitatis, Cyrus Persarum Rex, qui per Danielis doctrinam ex ethnico factus fuit verus Dei cultor; edictum toto suo imperio proposuit, vt qui è Iudæa gente essent, primo quoque tempore finibus suis excederent, atque in patriam reuerterentur, templumque DEO suo Iehouæ, cœli terrarumque Domino, ædificarent: simul, vt omnes eorum populares, hanc illorum ædificationem fabris, operis, pecunia, iumentis, reliquisque rebus omnibus adiuuarent. Ad eam rem vasa Hierosolymitani templi, quæ Nebucadnezar abstulerat, heroica munificentia restituit. Iudæi igitur lætis animis, Duce Zorobabele, reuersi sunt in patriam, numero 42360. exceptis seruis & ancillis, suaque oppida quæque tribus recuperauit. Multi tamen nolentes deserere facultates suas, in Babylone remanserunt.

Sequitur status seruilis post captiuitatem, Iudæis iam in patriam reuersis. Abolita erat in captiuitate Babylonica dignitas regia in populo Dei. Quocirca cum iam nouum templum, & noua politia conderetur: placuit DEO etiam imperii formam nouam in populo suo instituere. Ea erat potestas Pontificum, & Ducum, quæ durauit annis 534. vsque ad Chri-

stum,

stum, Pontificem & Principem æternum. Pontificum series hæc est.

Iosua, filius Iosodachi, nepos Paraiæ Zorobabeli, Duci cauto & magnanimo, pro suis opibus & authoritate, nullo loco periculoue defuit. Mense post exilium Babylonicum septimo, festum tabernaculorum solenne instituit, & collecta tributim pecunia templum molitur, in quo ædificando anni 46. sunt consumpti. Opere templi absoluto, pascha celebratur, anno sexto Darii Regis mira frequentia, sed non perfecta hilaritate. Nam ii, qui pristinum loci splendorem, & magnificentiam viderant, non sine gemitu & lachrymis hoc opus nouum, illi minimè æquandum, adspectabant. Sedit Iosua ille, qui cum Zorobabele populum Iuda ex Babylone reduxit, annis 29.

Ioachimus, filius Iosuæ, secundus Pontifex post solutionem captiuitatis, sedit annis 48.

Eliasibus, summus sacerdos, Ioachimi filius, Iosuæ nepos, cum Tobia, homine gentili, viro pecunioso, propinquitatem contraxit, eique in vestibulo templi locum assignauit, in quo thesauros suos conderet & asseruaret. Nehemias id ægre ferens, primum monuit, vt sedem templi sacram pro suo officio purgaret, nec ex ea tabernam efficeret nummulariam: deinde cum monitis nihil impetraret, Tobiæ gazam eiecit, Eliasibum verbis durissimis increpauit, & locum profanatum ipse purgauit.

Sedit Eliasibus annos 21. magis pecuniæ cumulandæ, quam propagandæ religioni, deditus.

Ioiada, seu Iudas, sedit annis 23.

Ionathan, alias Iohannes, Ioiadæ filius, fratrem Iosuam, in templo interfecit. Sedit annis 24. Ob hanc fratris necem, Iudæi partim tributarii facti sunt à Dario Ocho, Rege Persarum: partim in extremam Hyrcaniæ oram translati.

Iaddus, summus sacerdos, Iohanni Patri suo, fratris interfectori, longe dissimilis; Alexandrum Magnum Hierosolymam animo infesto venientem, humilitate & officiis placauit: quem cum sibi obuiam videret euntem Alexander, de equo desiliens, supplex ei honorem habuit, Vrbemque & templum non violauit, & exercitum victorem sine maleficio per Regnum Iudaicum deducens, templo quædam donaria reliquit, Anno Mundi 3640. Huius Iaddi frater Manasses, impius sacerdos, nouum templum in monte Samariæ erexit, vt Hierosolymitanum desereretur.

Onias, summus sacerdos, Iaddi filius, cognomento Priscus, à Ptolomæo Lago variis iniuriis agitatus est, cui ob potentiam resistere non potuit. Sedit in Pontificatu annis 27.

Simon, summus sacerdos, Oniæ filius, cognomento Iustus, templum nouis ędificiis ampliauit, Vrbem validiorem reddidit, ciues auctoritate rexit, munere suo functus splendidis-

sime

sime annis 28. Huius magnificum encomium exstat apud Syracidem. Hostes habuit Samaritanos & Palæstinos, & quosdam factiosos è suis popularibus: ab Antiocho tamen, Rege Syriæ, in honore habitus fuit.

Eleazar, Oniæ alter filius, Simonis Iusti frater, summus sacerdos, sedit annos 20. Ab Antiocho Entheo, Rege Syriæ, multa accepit incommoda: sed à Ptolemæo Philadelpho eximie colebatur, qui supra centena Iudæorum millia suis redimens impensis, libertate donauit. Rogatus ab eodem Eleazar, vt doctos sibi interpretes mitteret, qui libros sacros in linguam Græcam transferrent: Regi, tam præclare merito, gratificatus est, eique viros 72. è tribubus duodecim electos misit, quos Rex Ptolemæus Philadelphus magnifice excepit, & dimisit liberalissime: quorum nomine adhuc in manibus est librorum Vet. Testamenti præcipuorum translatio.

Onias II. Simonis Iusti filius, Oniæ I Nepos, cognomento Pius; tanta gratia propter pietatem fuit, vt apud suos esset venerabilis: tanta dignitate propter humanitatem, vt exteri quoque eum colerent. Regis Seleuci fauorem & patrocinium petiit necessitate, vt inuidiæ & calumniis quasi viam intercluderet in ea aula, in qua sola regnaret pecunia. Heliodoro quæstori Syro, spoliaturo templum, restitit: Iasonem, fratrem suum, iniqua molientem, obiurgauit: Simonem proditorem, templi thesaurarium; & Menelaum furem, reprehendit:

Propter eam libertatem ad necem expetitus, ad asylum confugit: à quo, Simonis & Menelai instinctu, euocatur, & ab Andronico, contra fidem datam, misere interficitur; Vir suorum temporum solus incorruptus, solus fidus, & templo & patriæ.

Iason, Simonis alter filius, Oniæ frater, cum virtute non posset emergere, 590. talentis, sacerdotium summum ab Antiocho Epiphane, emit, aduenientemque furiam illam magnifice in Vrbem Hierosolymam recepit. Ludos item & mores Ethnicos, primus in Vrbem importauit. Tandem pulsus à fratre, exul Lacedæmone mortuus est, homo teterrimus.

Iasone excusso, sacerdotium summum consecutus est precio multo maiore, Menelaus, siue Onias. Is Antiochum Epiphanem in Vrbem accersiuit, qui abolita religione Iudaica, ingentem hominum multitudinem trucidauit, & promiscue in omnem ætatem ac sexum sæuiit, vt tridui spatio circiter 80000. homines in Vrbe ceciderint, & aliquot millia abducta sint. Sed hic ipse Menelaus tandem, velut fax totius belli, ab Antiocho Eupatore, Epiphanis filio, interfectus est.

Menelai successor Alcimus, nefarius transfuga & proditor, sacerdotium emit, & populum suum perdidit: manus suas rapina furtis, & cæde polluit. Anno sacerdotii sui quarto percussus manu Dei, & cruciatus sentiens incredibiles, animam perfidam exhalauit.

Mortuo

Mortuo Alcimo, septennium abiit, quo nullus fuit Pontifex. Itaque ad Asmonæam familiam Pontificat' tandem per Syriæ Reges translatus est: quæ non contenta Pontificia dignitate etiam regiam potestatem inuasit. Post Asmonæos, siue Màchabæos iterum successerunt Pontifices, qui pro libidine Herodis & Romanorum præsidum creati sunt, donec tandem Hierosolyma cum tota politia & sacerdotio deleta fuerunt, à Tito, Vespasiani filio, exacto anno nati Christi 70.

Duces, post reditum populi Iudaici è captiuitate Babylonica, fuerunt primo Iudæi, inde Idûmæi.

Iudæi fuerunt vel ex regia Nathanis posteritate, vel ex sacerdotali stirpe oriundi.

Primus Dux fuit Zorobabel, Salathielis filius, Regis Iechoniæ Nepos, qui natus Babylone, & dimissus à Cyro, Rege Persarum, templi à fundamentis instaurandi accepit potestatem, estque opus difficilimum aggressus, non minore sapientia, quam animositate; sua quoque munera, quæ à Cyro Rege munifico acceperat, structuræ liberaliter impendit: & summum sacerdotem Iosuam gnauiter adiuuit. Ad loci huius sacri erectionem, cum gentes vicinæ se admitti flagitarent, eas in societatem noluit admittere. Ea de caussa accusantes ipsum in aula Persica, mandatum Cyri iussibus contrarium, ab impio & scelerato Cambyse impetrarunt, qui ædificationem templi Hierosolymitani, quoad vixit, impediuit. Et quidem Iu-

dæi ipsi cessabant, non vsque adeo multum de templi restauratione solliciti: interea vero suas res agebant, & priuatas domos suas, non modo ad necessitatem, verum etiam ad elegantiam, extruebant. Quare Dominus Prophetam Haggæum misit, qui Duci Zorobabeli, & sacerdoti Iosuæ, animos adderet; populum vero grauiter obiurgaret, quod sua priuata negotia potius, quam DEI cultum promoueret. Prophetauit Haggæus anno secundo Imperii Darii, filii Hystaspis. Huic deinde post menses duos adiunctus est, quasi collega, Propheta Zacharias, qui populum Iudaicum diligenter adhortatus est, vt in ædificio templi strenuè pergeret. Et sane, verbum Dei non prædicatum est sine fructu. Excitati enim sunt Israelitæ concionibus horum Prophetarum, vt strenuè rem aggrederentur, & templum Domini, sub Cyro inchoatum, paucorum admodum annorum spatio absoluerent.

Darius quoque, Hystaspis filius, edictum Cyri de instauratione templi sumptibus regiis renouauit.

Concessu postmodum Artaxerxis Longimani, Persarum Regis, Hierosolymam venit ex Babylone Esdras, scriba excellens, cum Sacerdotibus, Leuitis, & magna multitudine Iudæorum, afferens regium priuilegium de instaurando cultu Dei, & politia in Vrbe Hierosolyma. Is scripta Prophetica collegit, doctrinæ veræ studia instituit, & mores populi emendauit.

Ter-

Tertius & postremus est Nehemias, Artaxerxis Longimani pincerna, qui à Rege illo dimissus, dispersum per gentiles prouincias populum, in patriam sedem reduxit: mœnia Vrbis Hierosolymorum collapsa restaurauit, portas reædificauit, certam ac salutarem Reip. formam constituit: & intra 13. annos muros & vicos Vrbis absoluit, etiamsi à vicinis arma minitantibus, multipliciter impediretur. Debetur igitur templi inchoatio Zorobabeli, legum instauratio Esdræ, vrbis perfectio Nehemiæ.

Post Zorobabelem, numerantur hi Duces, qui ex regia Dauidis stirpe orti sunt.

1. Rhesa Mesullam.
2. Iohanna Benresa.
3. Iudas Hyrcanus.
4. Iosephus primus.
5. Abner Semei.
6. Eli Matthatias.
7. Assar Mahatus.
8. Arraxat Nagid.
9. Hagai Hellus.
10. Maslot Naumus.
11. Amosus Siraclus.
12. Matthatias Siloa.
13. Iosephus Arses.
14. Et vltimus de domo Dauidis, fuit Ianna Hyrcanus, à quo ad Asmonæos, qui sunt Maccabæi, translatus est principatus. Sub his supradictis quibusdam Ducibus Iudæi, ab Alexandri Magni successoribus, maximis calamitatibus fuerunt affecti. Proinde & ipsi tandem

ad arma conuersi sunt; ac primum quidem Antiocho Epiphani sese opposuerunt, anno Mundi 3798. propterea quod is per auaros & ambitiosos Pontifices, maxime Iasonem & Menelaum, ingressus Vrbem Hierosolymam, eam spoliauit, templum diripuit, vasa sancta vna cum talentis mille octingentis abstulit: hominum circiter 80000. tridui spatio trucidauit; Idolum Iouis Olympii in templo collocauit, & adorari iussit; captiuos multos in Syriam abduxit, & nullum non sæuitiæ ac vastationis genus in miseram gentem exercuit. Vnde Matthatias, quamuis sacerdos & priuatus, iusta aduersus Antiochum Epiphanem arma induit, furorem eius primus repressit, patriam legem defendit; & morti propinquus, filios suos quinque ad defensionem patriæ adhortatus est. Vixit integro sæculo, sepultus Modinæ, vbi maiores eius domicilium habuerunt.

Hinc exordium capit celeberrimus Maccabæorum, siue Asmonæorum Principatus, qui, vsque ad Herodem Regem, Hierosolymis primum nomine Principis, deinde Regis, rerum potiti sunt, ac cum Regno etiam Pontificiam dignitatem coniunxerunt.

Principatui Maccabæorum initium dedit Iudas, Maccabæus cognominatus, Matthatiæ Sacerdotis filius, qui robore leoni, armis giganti impetu flammæ grassanti fuit comparatus. Iuscepta legis diuinæ, & populi afflicti defensione, semper ad orandum prius, quam ad præliandum, accessit. Cum Regibus Syriæ Antiocho,

cho, & Demetrio, eorumque legatis, Apollonio, Serone, Ptolomæo, Nicanore, Gorgia & Lysia, prælia secunda fecit. Contra Idumæos, Ammonitas, Galaaditas, Galilæos, Arabes, Palæstinos, grauia bella gessit: multosque hostes sæpe deleuit, ne vno quidem milite suo aut amisso, aut vulnerato: insigni miraculo. Templum Hierosolymitanum purgauit, statuam inde Iouis eiecit, aliasque abominationes sustulit. Cum vero Nicanor, Demetrii in bello legatus, extenso contra templum brachio iurasset, se illud funditus deleturum: iussit ei Iudas Maccabæus in acie interfecto linguam, caput & brachia præcidi, & ea ante templum suspendi. Nicanori Demetrius substituit Bacchidem, & Alcimum, summum sacerdotem: cum quibus fortissime dimicans Iudas Maccabæus, in prælio à suo milite desertus, occubuit, Anno Mundi 3813.

Fratri Iudæ Maccabæo successit Ionathas cognomento Apphus, qui valde diminutis Iudæorum viribus, populi reliquias collegit. Iambrios, qui Iohannem fratrem eius oppresserant, stratagemate vltus est: insidiatores à Bacchide immissos occidit. Cum Bacchide postea pacem composuit: cum Romanis fœdus renouauit: Spartanos in amicitiam recepit. Donatus summo sacerdotio ab Alexandro, nouo Syriæ Rege, vestem Pontificalem induit; dissidentibus Regibus Syriæ, Alexandro & Demetrio, politiam Iudæorum aliquo modo restituit: Duces Demetrii aliquoties vicit, oppida quædam cœpit, vr-

bes in Iudæa muniuit: à Tryphone vero per insidias captus, cum duobus filiis occisus est, Anno Mundi 3830. Primus Maccabæorum Pontificatum tenuit annis 10. Iudæos gubernauit annis 18.

Simon, cognomine Thassius, Iudæorum Dux & Pontifex, sublato per dolum fratre Ionathan, strenuam suo populo operam nauauit, initaque cum Demetrio, Syriæ Rege, pace, arcem Hierosolymæ fame expugnatam deditione cepit, iura vrbi & templo reddidit, Iohannem filium Ducem fecit, vrbes in finibus Iudææ muniuit, & optatam multorum annorum pacem reduxit: cum Spartanis & Romanis fœdera renouauit: Inuictus armis, ad conuiuium inuitatus, specie amicitiæ, ab Hierichuntis præfecto, Ptolomæo genero suo, cum vxore, & filiis duobus, Iuda & Mathathia, inter epularum & poculorum lætitiam, nefarie obtruncatus est, anno mundi 3838.

Iohannes Hircanus, Iudæorum Dux & Pontifex, Simonis filius, Matthatiæ nepos, populo præfuit annos 31. cum Cendebæo, Duce Antiochi Sedetis, feliciter pugnauit: aperto Dauidis sepulchro pecuniam reperit, cuius pensione placatum Antiochum, Hierosolymas obsidentem, dimisit: Cum Romanis fœdus renouauit: templum in monte Garizim à Sanneballat, olim tempore Alexandri Magni extructum, destruxit: Idumæos ad circumcisionis ritum accipiendum coegit, regnumque multis occupatis

patis Vrbibus amplificauit: Samariam solo æquauit, eo quod à Iudæis defecerat. Mortuus est anno mundi 3869.

Sub hoc Iohanne Hyrcano, exortæ sunt tres Sectæ, Pharisæorum, Sadducæorum, & Essæorum, quæ puriori doctrinæ magnam caliginem ac tenebras offuderunt.

Aristobulus, Iohannis Hyrcani filius primogenitus, post captiuitatem Babylonicam primus sibi diadema imposuit, & principatum in regiam dignitatem commutauit: matrem, & postea fratrem Antigonum insontes interfecit: post occisum fratrem morbo intestinorum correptus, sanguinem copiosum vomuit, & paulo post ex ægritudine animi decessit: anno mundi 3870.

Successit Alexander Iamneus, frater Aristobuli, secundus Iudæorum Rex, post reditum ex captiuitate Babylonica. Hic Ptolemaidem obsedit. Obsessi desperato auxilio Syriaco, rebus intestino bello afflictis, Ptolomæum Lathurum, Regem Ægypti, in Cypro exulantem accersunt: qui cum exercitu 30000. in Iudæam venit, & obsidionem Ptolomaidis soluit.

Alexander, Iudæorum Rex, Ptolomæo Lathuro cum exercitu occurrens, fugatus est, occisis triginta millibus Iudæorum. Ea victoria Ptolomæus Lathurus crudeliter vsus, quicquid puerorum & mulierum in pagis reperit, mactati, concidi in frusta, & in cibum militibus suis apponi

apponi iussit, vt terribilior Iudæis esset. Successibus in Iudæa lætus, Ægyptum recuperare tentauit, verum Cleopatra ipsi restitit, Iudæaque eiecit, cum Cleopatra vero Alexander Iamneus fœdus fecit: & fugato Ptolomæo Lathuro, Gadaram, Amathuntem, Raphiam, aliasque vrbes Idumæorum, Syrorum, & Phœnicum, expugnauit: Gazam, trucidatis crudeliter omnibus ciuibus, solo æquauit: in Iudæa domesticam seditionem expertus est, à populo conuitiis agitatus, tanquam regno indignus, qui captiua esset matre natus: qua iniuria commotus ad sex millia hominum occidit: In nobilitatem sibi repugnantem, exemplis horrēdis animaduertit, quorum vxores & liberos, in parentum conspectu, laniauit, ipsos parentes tali spectaculo semianimes; in cruces egit: Antipatrum, Herodis patrem, perspecta eius industria, primus euexit, in totius Iudææ perniciem: cum Arabum rege cōgressus, & insidiis exceptus, amisso exercitu vix euasit: ex intemperantia febri quartana quadriennium laborauit: mortuus in castris, in quibus semper vixerat, anno mundi 3898. Regni 27. ætatis 49. Victorias obtinuit cruentas, & suo ipse populo magis nocuit, quam hostibus.

Post Alexandri Iamnei excessum, vxor eius, Alexandra Regina, Iudæis præfuit fere nouennium; Pharisæos euexit, eorumque potentiam ita auxit, vt illa Reginæ titulum, sed regnum re ipsa Pharisæi possiderent: filium Hyrcanum II. indolis ignauæ, & remissi ingenii iuuenem, loco patris defuncti, summum Sacerdotem constituit:

stituit: Tigranem, Parthorum Regem, ne bellum è Syria transferret in Iudæam, cum ferro non posset, auro auertit: Obiit Anno Mundi 3906.

Post matris Alexandræ mortem, Hyrcano II. confirmatur à populo Romano Pontificatus; verum is post tres menses à fratre Aristobulo II. victus, & regnum & summum sacerdotium relinquere coactus fuit. Aristobulus, Rex & Pontifex Iudæorum, præfuit annis tribus. Hyrcanus vero, cohortante Antipatro, patre Herodis, fugit ad Aretam, Arabum Regem, qui Hyrcanum in regnum restituere conatus, Aristobulum acie vicit, eumque Hierosolyma capta, in templo concluſum obsedit. Aristobulus Pompeium vite aurea, aliisque muneribus inuitatum accersiuit in Iudæam. Ita fratrum dissidia primum Romanos in Iudæam attraxerunt, anno mundi 3908. Pompeius Aristobulo Regi subsidio misit, Scaurum, Syriæ præsidem, qui obsidionem soluit Aretas, Arabum Rex, victus à Pompeio, ex Iudæa discessit. Pompeius vero capta Hierosolyma, & templo expugnato, Hyrcano summum sacerdotium absque regno restituit: Aristobulum, quia renuebat eam rem, Romam vinctum misit; cum duobus filiis, Alexandro & Antigono: atque horum dissidiorum occasione Iudæam Romanis tributariam fecit.

Alexander, Aristobuli II. filius, cum à Pompeio cum parente Romam duceretur, deceptis custodibus, effugit, & collecto exercitu patruũ Hyrcanum Hierosolymis expulit, munitiones diru-

dirutas instaurauit, & præsidiis firmauit. Haud multo post, Gabinius in Syriam venit, inde in Iudæam, vbi prælio vicit Alexandrum, Regem Iudæorum, Aristobuli filium, peremptis 3000. Iudæorum, & totidem captis. Aristobulus etiam cum Antigono filium Roma profugit, & nouum in Iudæa bellum concitauit. Verum a Gabinio superatus, & iterum captus, Romam cum filio vinctus missus est.

Alexander vero cum patre precibus matris liberatur, & in Iudæam remittitur: Dumque Gabinius in Ægypto est, iterum exercitum triginta millium colligit, & Iudæam subigere conatur: Romanos in præsidiis trucidat: sed cum Gabinio ex Ægypto reuerso congressus, prælio vincitur, & ægre euadens, delitescit vsque ad bellum ciuile Cæsaris & Pompeii: quo tempore, Aristobulus II dimissus à Iulio Cæsare in Palæstinam, vt Pompeianis negotium aliquod faceſſeret; sed in itinere à Pompeianis veneno necatus est. Filius Alexander, cum milites conquireret, captus, & ad Scipionem Antiochiam deductus, ibi accusantibus Romanis, mandante Pompeio, securi percussus est, paucis mensibus post interfectum patrem Aristobulum, anno mundi 3923.

Antipater Idumæus, Antipæ filius, Herodis Magni pater, qui prius Pompeii partes iuuerat, Iulium Cæsarem in bello Alexandrino adiuuit, adductis tribus millibus Iudæorum, Syrisque compluribus, & Arabum primatibus, iussu Hircani, summi Pontificis. Qua de causa à Iulio

Cæsare

Cæsare primus totius Iudææ procurator, & tutor constitutus est, eique concessa instauratio murorum Vrbis Hierusalem, quos Pompeius ante 17. annos destruxerat, & Hyrcano sacerdotium confirmatum, & Iudæis suis legibus viuere permissum, anno mundi 3925. Antipater postmodum, procurator Iudææ, à Malicho quodam veneno necatus est, quem Herodes filius rursus per insidias trucidauit; & Antigonum, Aristobuli filium, Alexandri fratrem prælio victum, Iudæa eiecit, anno mundi 3929. Qua de causa Antigonus exul Parthos in Iudæam introduxit: quorum Rex Pacorus, victo Decidio Saxa, M. Antonii legato, vniuersam eam prouinciam & Palæstinam occupauit: Antonio ipso amore Cleopatræ in Ægypto implicato. Hierosolyma occupata à Parthis: Hyrcano Pontifici præcisæ sunt aures & nares; & regnum Iudææ Antigono restitutum: qui post triennium, expugnata ab Herode Hierosolyma, mandante Antonio, Antiochiæ securi percussus est, anno mundi 3935.

Atque ita Principatus & Regnum Asmonæorum, siue Maccabæorum desiit. Hyrcanus Pontifex, qui ad Parthos abductus fuerat, honeste iam habebatur, & Babylone in honore erat. Audiens vero, neptem suam Herodi nuptam, in Iudæam rediit. vbi aliquot annis in dignitate vixit. ARISTOBVLVS vero, ALEXANDRI, qui à Pompeio Antiochiæ securi percussus fuerat, filius, & MARIAMNES, coniu-

coniugis Herodis, frater, ab Herode accepit Pontificatum: sed cum populo acceptissimus esset, in odium Herodis incurrit, & ab ipso ad conuiuium, & lusus etiam Hierichuntem euocatus, vt animi causa in piscinis nataret, à regiis amicis, qui subornati fuerant, in aqua suffocat' est, anno mundi 3937. Iudæi ægre ferentes, peregrinos Principes sibi dominari, multas seditiones excitarunt, quas Herodes Magnus compressit, & Hyrcanum senem octogenarium, ad Arabes transfugere conantem, interfecit, anno mundi 3942. Atque hic est tragicus exitus familiæ Maccabæorum, quæ dissidiis domesticis, & ambitione se ipsam totam pessumdedit.

Deinceps à peregrinis Regibus Idumæis Iudæa fuit gubernata: vsque ad gentis excidium.

Herodes, cognomento Magnus, Antipatri Ascalonitæ filius, Antipæ Idumæi Nepos, Romam profugiens, expositio miserabili statu Iudææ, Rex Iudæorum Romæ creatus & coronatus est, anno mundi 3932. Inde recuperata Galilæa, & expugnatis Hierosolymis, sceptrum à Iuda abstulit. Regium titulum consecutus est ab Antonio & Augusto, ob nauatam in bello contra Pompeium fidem & operam; ea tamen conditione, vt Augustum Imperatorem agnosceret superiorem Dominum, nec sine eo quicquam statueret de summa rerum. Regnauit Herodes in Iudæa annis 40. Grassantem in Iudæa famem, sua munificentia & ope subleuauit. Ruinosas templi Hierosolymitani partes renouare aggressus est, & additis porticibus, similibusque

ædi-

ædificiis, templum exornauit & solennitate maxima dedicauit. Sacerdotium Iudæis reliquit, sed de sua id voluntate, cui voluit, aut dedit, aut pretio vendidit. Iudæorum aliquot millia occidit. Mariamnem coniugem supplicio affecit, & aliquot ex filiis suis interemit. Audita Christi natiuitate, inaudito crudelitatis exemplo trucidari iussit infantes Bethlehemiticos, & vnum infantem Christum quærens, in multos rabiosissime sæuiit: quæ immanitas locum fecit adagio Augusti Cæsaris, qui dicere solebat: *Se malle porcum Herodis esse, quam filium.* Horrendo isti infanticidio Bethlehemitico non diu superfuit Herodes, agitantibus & inquietantibus illum vltricibus furiis, & diuina Nemesi ad supplicia iustissima tyrannum rapiente. Post multa igitur tetra facinora, in morbum grauem incidit; cumque nec thermæ, nec pharmaca illi prodessent, & tandem vermibus pudibunda erodentibus, propter fœtorem omnibus intolerabilis esset, sibi ipsi manus illaturus, ab amicis prohibitus fuit; denique diris cruciatibus oppressus, infelicem animam Hierichunti efflauit, anno mundi 3972. Ex diuersis decem vxoribus octo filios progenuit.

I. Antipatrum, qui laqueo strangulatus est, eo quod patri venenum parasset.

II. Alexandrum, qui interfectus à Patre, duos reliquit filios, Alexandrum, & Tigranem, Reges Armeniæ maioris.

III. Herodem, qui erasus est ex testamento patris, quod mater Antipatri Ascalonitæ Idumæi

mæi veneficio consensisset.

IV. Phasaelum.

V. Herodem Antipam, qui à Christo vulpes appellatus, tetrarcha factus est ab Augusto Galilææ & Percæ: Iohannem Baptistam decollauit, & Christum à Pilato ad se missum, contumelioſe dimisit. Accusatus coram Cæsare, tum defectionis à Romano Imperio, tum aliorum criminum, tetrarchia sua priuatus est, & relegatus in perpetuum exilium, Lugduni Galliæ inedia misere periit, vna cum Herodiade adultera, quã fratri sui Philippo vulpinando eripuerat.

VI. Philippum, Tetrarcham Trachonitidos, qui iusto & moderatissimo Imperio suæ regioni præfuit, mortuus sine liberis anno 22. Tiberii. Ditio eius prouinciæ Syriæ accessit.

VII. Archelaum, qui dimidiam paterni Regni partem obtinuit, & Iudææ præfuit annos 9. Postea propter crudelitatem ab Augusto in exilium pulsus est, & Viennam Allobrogum relegat⁹, vbi misere interiit. Amoto Archelao, Iudęa in formulam prouinciæ redacta, Syriæ accessit, ita vt ab illo tempore nullus vnquam postea Iudææ neq; Rex, neq; Ethnarcha fuerit: cœpitq; in eam mitti, qui vocabatur procurator Cæsaris in Iudæa, vel etiam procurator Iudææ.

VIII. Aristobulum, qui à patre interfectus est. Huius Aristobuli filius Herodes Agrippa totius Iudææ Regno potitus est, imperante Caligula Imperatore, à quo etiam impetrauit omnes regiones, quas Philippus & Lysanias tenuerant.

Tandem

Tandem intestinorum dolore acerbissimo correptus, & inter maximos cruciatus à vermibus arrosus animam exhalauit. Fratrem habuit Herodem, Regem Chalcidis : sororem Herodiadem, quæ relicto marito Philippo, Herodi Antippæ seiunxit. Filium reliquit Agrippam iuniorem, qui post obitum patris, à Claudio Imp. Rex Chalcidis constitutus est, & præses templi, ac sacerdotum creandorum.

In hoc Agrippa iuniore, Herodis Magni pronepote, regium Idumæorum nomen desiit, & omnis potentia Palæstinæ Romanis cessit : Vespasiano & Tito imperãtibus, qui templum Dei, vrbem regiam, ipsam gentem Iudaicam funditus propemodum euerterunt.

Ecclesia Noui Testamenti est, quæ post Christi aduentum initio ex solis Iudæis, inde ex omnibus gentibus, pastorum tum extraordinariorum, tum ordinariorum ministerio collecta, ac gubernata fuit. Eius consideratur 1. initium. 2. progressus. Initium 1. sub Iohanne Baptista. 2. Sub Christo. 3. Sub Apostolis, vsq; ad Traianum Imperatorem.

Prodromus Christi in Euangelii propagatione fuit Iohannes Baptista, filius Zachariæ Sacerdotis, qui habitauit Hierosolymis. Is in ipso tubarum festo tanquam tuba præsentem Messiam renuncians, officii sui sancti munus auspicatus est, & Euangelium voce contenta ac plena docuit, ad CHRISTVM homines adduxit, & baptizauit: idque fac titauit in tota regione Iordanis. Habetur maximus omnium,

nium, qui ex mulieribus nati sunt, excepto vnico Messia. Decollatus est in arce Macherunte, fraude Herodiadis incestæ, anno Christi 31.

Iohannem Baptistam excipit Christus ipse, Messias verus, vnigenitus Dei filius, conceptus de Spiritu S. natus ex Maria virgine, in Bethlehem, milliari vno & dimidio ab vrbe Hierosolyma: victo iam pacatoque terrarum orbe, anno Imperii Augusti 42. mundi 3970. anno sequenti, die primo Ianuarii circumcisus est: quadragesimo die adductus in templum Hierosolymitanum: Paulo post Ioseph cum Maria & infante reuersus in patriam Nazaretham, & ab angelo admonitus, profugit Hermopolim in Ægyptũ: inde reuocatus ab angelo, regnante in Iudæa Archelao, Herodis filio, Nazaretham rediit. Postea Iesus anno ætatis suæ 12. venit in templum, audiuit Doctores, cum admiratione omnium respondit, & sapientiam suam diuinam declarauit. Agens ætatis annum 30. profectus est Bethabaram ad Iordanem, vbi à Iohanne præcursore suo baptizatus est. Mox à baptismo ductus est à Spiritu in desertum ad radices montis Sinai; hinc Hierosolymam supra pinnaculum templi amplius 400. cubitos altum. Inde in montem celsum Pisga trãslatus est, vel, quod verisimile magis videtur, in montem Sinai, vbi quondam lex promulgata erat. A monte Bethabaram rediit ad Iohannem, mox Canam iuit in Galilæa, vbi miraculorum suorum primitiis coniugium consecrauit, aqua in vinum versa in nuptiis. In itinere hoc Nathanaelem discipu-

lum

lum asciuit, & Capernaum paulo ante Pascha venit. Anno ætatis 31. templum ingressus Hierosolymis, caupones magno zelo eiecit, & cum Nicodemo collocutus est. Inde digressus passim in Iudæa concionatus est. Anno ætatis 32. iterum Hierosolymam venit, & hominem 38. annos morbo vexatum verbo sanauit. Inde ad mare Galilææ secessit; ascendit in montem, orauit, Apostolos delegit, & confirmauit. Hinc Capernaum iuit, & in Vrbe Nain viduæ filium ex morte resuscitauit. Ab Vrbe Capernaum Cæsaream Philippi venit, vbi Iairi filiam ex morte in vitam reuocauit, & concionibus miraculisque omnia illa loca impleuit.

Anno ætatis 33. metuens Iudæorum insidias in Galilæam reuersus est; inde in partes Tyri & Sidonis secessit: ab his egressus, filiam mulieris Chananææ à spiritu malo exagitatam liberauit, cœcos, claudos, & ægrotos multos sanauit, panibus septem, pauciscque piscibus 4000. homines saturauit, aliaque permulta fecit, quæ copiosius ab Euangelistis descripta sunt.

Anno ætatis 34. suscepit postremum suum iter in Iudæam ad quartum Pascha, quo ipse immolatus, siue victima pro nostris peccatis factus est. Præmisit autem discipulos suos 70. binos, ad parandam sibi viam. Ipse vero Bethabara egressus, Bethaniam venit ad Martham & Mariam. Inde digressus, omnem Iudæam transiuit tanquam postremum visitaturus illã, & quasi valedicturus: in quo quidem itine-

re conciones præclaras habuit, & miracula plurima edidit: Lazarum quoque resuscitauit, & discipulis suis aperte prædixit, se Hierosolymis moriturum esse. Cum sex dies ad Pascha supererent, vnxit Maria, resuscitati Lazari soror, pedes Christi, & sequenti statim die, qui erat palmarum, ipse Hierusalem iuit, in eoque itinere asinæ insidens vrbem cum lachrymis ingressus est, & in templo vendentes atque ementes expulit. Vesperi autem Bethaniam rediit, & sequente die vrbem iterum intrauit: vesperi similiter inde exiit; quod sequentibus etiam diebus fecit, vsque ad eum diem, qui passionem antecedebat. Eo die Hierosolymis vesperi agnum paschalem cum discipulis edit, & cœnam suã sanctam instituit. Peracta cœna ad montem oliuarum exiit, ibique in horto captus est. Hinc in vrbem vinctus abductus, & per cruciatus ingentes in monte Caluariæ, die Aprilis tertio, qui nobis est veneris dies, (prodente eum Iuda discipulo, tradentibus Anna & Caipha, cæterisque sacerdotibus, damnante Pontio Pilato, præfecto Iudææ:) crucifixus, mortuus, & sepultus est. Tertio vero die, qui nobis est Dominicus, ex morte resurrexit, & conspiciendum sese, contrectandumque Apostolis, & adiuncto illis cœtui præbuit: cumque dies totos 40. familiariter cum iis versatus esset, eduxit eos in montem oliuarum, & spectantibus omnibus, in cœlum ascendit.

Cum vero iam fundamenta Ecclesiæ in Iudæa siue Palęstina iecisset Iesus Christus, sacer-

dos

dos & pastor summus, post lætam resurrectionem, Apostolis, siue discipulis suis, quos diuinis præsidiis instruxerat, & paulo post Spiritus sancti donis visibiliter ornabat, mandatum dedit, vt non solum in Palæstinæ finibus Euangelium docerent, sed exeuntes in vniuersum mundum, vsque ad extremum terræ, Ecclesiam per Euangelii prædicationem, & legitimum Sacramentorum vsum, colligerent, & dilatarent. Erāt præter XII. Apostolos, alii LXX. discipuli, quos eodem docendi & miracula edendi dono armatos ad prædicandum Euangelium passim in Iudæa ablegauit. Hi ergo satis parati, Hierosolymis primum, velut principali sede Ecclesiæ, Iudæis & aliis peregrinis populis, qui eo confluxerant, aperte, libere, ingenue, constanterq; Christum crucifixum & resuscitatum, verum Messiā, Dei & Mariæ virginis Filium, prædicarunt; notitia admirabili quarumcunq; linguarum, quibus apud alios atq; populos, nationes atq; gentes, opus erat, adiuti.

Hierosolymis semper aliquot Apostoli, vsq; ad euersionem, remanserunt: reliqui inde digressi in Iudæa primum, postea in Samaria, tum in remotioribus regionibus, vsque ad extremum terræ, secundum mandatum Christi, Euangelium proseminarunt. Tempore non ita longo vniuersus terrarum orbis Euangelii præconio repletus est.

Simon Petrus, à piscatu ad Apostoli munus vocatus, natus est in oppido Bethsaida Patre Io-

hanne siue Iona. Post ascensionem Christi, accepto Spiritu sancto, primam concionem Hierosolymis habuit in Pentecoste de Christo crucifixo & resuscitato, omni asseueratione confirmans, eum esse verum Messiam. Iccirco mirabilis etiam vtilitatis fructū edidit, & ferme 3000. homines eo die ad Christum conuertit. Claudum ex vtero matris suæ sanauit, factique sui rationem luculentam ex verbo Dei reddidit; vnde iterum ferme 5000. homines ad fidē in Christum conuersi sunt. Quantam autem seueritatē ac grauitatem in docendi munere adhibuerit, vel ex eo cognosci potest, quod Ananiam & Sapphiram ob mendacium verbo, tanquam subito ac violento fulmine, occidit. In Samariam cum Iohanne profectus, conuersos à Philippo in fide confirmauit: inde plæraq; loca Palæstinæ peragrauit, ac Liddæ quidem paralyticum sanauit: Ioppæ vero Tabitham ex morte in vitam reuocauit. Cæsareæ Stratonis Cornelio concionatus est. Hinc Hierosolymam reuersus, pro vocatione gentium apud fratres Iudæos acriter propugnauit. Hierosolymis autem ab Herode captus, in custodiam traditus est. Inde per Angelum eductus alicubi latuit, donec percusso Herode ab angelo ad Apostolorum Concilium Hierosolymam venit. Hierosolymis Antiochiam concessit, vbi Iudæorum causa se subduxit, & separauit à conuictu gentium, cum quibus antea vixerat. Quod autem Euangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, docuerit, ex eius epistola prima manifestum est, quam Babylone

bylone scripsit. Eusebius, & alii tradunt, cũ Romæ sub Nerone cruci affixum esse, pedibus in cœlum erectis. Quod autem vulgo fertur, Petrũ 25. annos Episcopatum Ecclesiæ Romanæ tenuisse, id & cum historia sacra pugnat, & ex aliis historiis certis probari non potest.

Andreas, frater Simonis Petri, vocatus est ad Apostoli munus à captione piscium ad lacum Genesareth. Inde communi cum cæteris Apostolis conditione Evangelium docuit, secundum Eusebium, in Scythia, secũdum Nicephorum, in Cappadocia, Galatia, Bithynia, & in Põto Euxino; secundum Nazianzenum in Epiro: secundum Hieronymum, in Achaia. Sophronii narratio habet, eum Patris, ciuitate Achaiæ, in crucem esse actum ab Aegea, Edessenorum præfecto. Reliqua, quæ de illo in vulgatis narrationibus reperiuntur, vel fabulosa sunt, vel incerta penitus.

Iacobus, Zebedæi filius, cognomento Maior, cum fratre Iohanne in Apostolorum Collegium à Christo ex piscatione cooptatus est: decollatus Hierosolymis ab Herode Agrippa.

Iacobus, Alphæi filius, cognomento Minor, Ecclesiæ Hierosolymitanæ primus Episcopus fuit. Dicitur etiam Iustus, & Frater Domini, quod propinquitatis aliquo vinculo ei coniunctus, vel consobrinus fuerit, ex sorore Mariæ, matris Domini, natus. Rexit Ecclesiam Hierosolymis 30. annis: tandem à furiosis Iudæis de suggesto deiectus est, & fullonis fuste trucidatus, Anno CHRISTI 63. Hanc historiam

martyrii ipsius prolixe recensetex Egesippo Eusebius.

Iohannes, Evangelista & Apostolus ex piscatore factus, frater Iacobi Maioris, pro cæteris Apostolis fuit dilectus à Christo: ad cuius trãsfigurationem in monte spectandam adhibitus, Moysen & Eliam vidit cum Christo colloquentes: in cœna vltima recubuit in sinu Christi: in horto luctas eius spectauit; Commendatam sibi Mariam à Christo pendente in cruce curæ habuit: post ascensionem Christi mansit aliquantisper Hierosolymis, vbi cum Petro claudum sanauit ad portam templi speciosam: inde missus in Samariam manus imposuit credentibus Evangelio, vt donum Spiritus sancti acciperent; Cum autem alii Apostoli in alias orbis terræ partes abirent, Iohannes in Asiam, velut in prouinciam sorte datam, se contulit, & Ecclesiam ibi collegit. Ephesi commoratus Evangelium scripsit aduersis hæreticorum, Cerinthi præsertim, blasphemias. Domitiano imperante, in maris Ægei insulam Pathmum relegatus est, vbi Apocalypsin scripsit, quæ imaginem proponit certaminum, periculorum, & liberationum Ecclesiæ, inde ab Apostolorum tempore, vsque ad Christi vltimum aduentum. Post occisum Domitianum, imperante Nerua, Ephesum ab exilio rediit, & Ecclesias Asiæ horribili sæuitia atque tyrannide Domitiani labefactatas, atque conuulsas reparauit, recreauit, atque confirmauit. Cætera, quæ de eo narrantur

turab Abdia, & aliis, ficta magis, quam facta esse videntur. Vixit Iohannes omnium Apostolorum diutissime mortuus Ephesi anno Christi 100. solus ex omnibus Apostolis reliquus spectator fuit tristissimi excidii Hierosolymorum.

Philippus Apostolus ex oppido Bethsaida oriundus, post resurrectionem Christi scribitur 20. annos propagasse Evangelium in Scythia, ac tandem peragrata minori Asia, Hierapoli sepultus esse: Alii addunt, eum in cruce pendentem lapidibus obrutum esse, anno Christi 53. Duo autem hoc nomine in historia Evangelica commemorantur; vnus Apostolus, alter Diaconus. PHILIPPVS Diaconus prædicauit CHRISTVM in Samaria, Simonem Magum conuertit, vt & Æthiopem Eunuchum.

Bartholomæus Apostolus post resurrectionem Christi in India sparsit semina Evangelii; tandem insidiis Pontificum impiorum circumuentus, iussu Astyagis Regis in Vrbe Armeniæ Albana excoriatus esse scribitur.

Matthæus, alio nomine Leui dictus, filius Alphæi, natus in Vrbe Capernaum, cum publicanus seu exactor vectigalium esset, vocatus est à Christo ad ministerium Apostolicum: post resurrectionem Christi primum Hebræis Evangelium prædicauit, à quibus discedens, historiã vitæ & doctrinæ Christi, Hebræo, vel, vt alii volunt,

lunt, Græco sermone scripsit. Ex Iudæa per Asiam & Pontum in Æthiopiam venit, vbi 20. annos docuit, & Ecclesias rexit: tandem ab Hirtaco ad aram obtruncatus esse dicitur. Sed verisimilius est, eum Hierapoli in Parthia mortuum esse.

Marcus, Hierosolymitanus ciuis, discipulus Petri, scripsit Epitomen Evangelii Matthæi: postea Alexandriæ in Ægypto primus prædicatione Evangelii Ecclesiam Deo collegit. De morte eius nihil constat, nisi quod Hieronymus scribit, eum Alexandriæ interiisse, & sepultum esse, anno Neronis 8. qui fuit annus Christi 64.

Lucas Evangelista natus Antiochiæ, professione Medicus fuit, indiuiduus comes peregrinationum, & carceris Pauli: scripsit duos libros historiæ Evangelicæ: quorum priore historiam vitæ, doctrinam, & miracula seu res gestas Christi, vsque ad ipsius resurrectionem, & ascensionem in cœlos, complexus est. Posterior vero cui titulus Acta Apostolorum, ea, quæ ascensionem Christi secuta sunt, persequitur, & duorum præcipue, S. Petri & Pauli res gestas pertexit, vsque ad annum quartum Neronis, qui est à nato Christo 60.

Vixisse dicitur cœlebs ad 84. annum ætatis, & sepultus Constantinopoli: in quam vrbem ossa eius translata sunt ex Achaia.

Thomas Apostolus, cognomine Didymus, post resurrectionem Christi prædicauit Evangelium in Parthia: Hieronymus addit, eum Persis quoq; Medis, Carmanis, Bactris, & Indis Evange-

angelium annunciasse, & Calamina in Indiæ sepultum esse.

Iudas, dictus Lebbæus, cognomine Thaddæus, frater Iacobi minoris, & Simonis Apostolorum, post resurrectionem Christi scribitur primum in Mesopotamia & Ponto Evangelium docuisse; postea cum Simone fratre in Persiam profectum, ibiq; ab ethnicis sacerdotibus interfectum esse.

Simon Apostolus, cognomine Zelotes, & Cananites, frater vterinus Iacobi Minoris, & Iudæ Thaddæi, post resurrectionem Christi scribitur Evangelium in Ægypto, Libya, & Persia docuisse. Inde reuersus S. Iacobo in gubernatione Ecclesiæ Hierosolymitanæ successit, & anno ætatis suæ 130. cruci affixus est, sub Traiano Imp.

Iudas Ischariotes, primum discipulus Christi, deinde fur & proditor, laqueo infelicem sibi gulam fregit, & medius crepuit, ac vitalia viscera profudit.

In locum Iudæ proditoris surrogatus est Matthias, de quo præterea nihil certi quicquam literis proditum est. Quidam ferunt, eum 33. annos in Iudæa & Galilæa docuisse: atque in Macedonia lapidibus obrutum, vitam finiisse.

Paulus Apostolus, Iudæus, ex tribu Beniamin, natus est in Tarso, Vrbe Ciliciæ, & educatus Hierosolymis, sub præceptore Gamaliele: professione fuit Pharisæus, & magno zelo Ecclesiam Christi persequutus est: adiuuit etiam cædem Stephani protomartyris: postea factus ex

latrone pastor, ex lupo ouis, Ecclesiam Christi longe lateque in Asia & Europa propagauit: tandem Romæ ad tribunal Neronis attractus, capite truncatus est, anno Christi 68. Doctrinæ & reliquæ vitæ Pauli historia, ex ipsius PAVLI Epistolis, & Actis Apostolorum sumi potest.

IMPERATORES ROMANI AB Augusto ad Traianum.

SCeptro igitur à Iuda ablato, anno Imperii C. Octauii Augusti 42. natus est verus Augustus, magnus ille & honorabilis Princeps pacis, pater patriæ, Imperator exercituum summus, & salutis humanæ vnicus instaurator, Dominus & Seruator noster Iesus Christus. Sub Augusti successore Claudio Tiberio Nerone, seipsum victimam obtulit Deo Patri, pro redemptione totius generis humani. Hic Tiberius in Christi doctrinam nihil molitus est, motus Pilati narratione de mirabilibus Christi facinoribus scripta.

Caius Cæsar Caligula patronus fuit Herodis Agrippæ, cuius catenam ferream, qua vinctus fuerat, in auream eiusdem ponderis mutauit: & Herode Antipa cum Herodiade in exilium ablegatis, totius Iudææ Regnum tribuit: qui tamen superbia elatus, cum sibi vt Deo in theatro Cæsareæ passus esset acclamari, intestinorum dolore correptus subito, & à vermibus erosus, misere periit. Sub hoc Caligula Pontius

Pila-

Pilatus exui, Annas, Caiphas, & multi Scribę ac Pharisæi, hostes Christi, variis pœnis diuina vltione sublati sunt.

Tiberii Claudii Drusi successor, Domitius Nero, primus Christianorum persecutor, eos in cruciatus inauditos dedit, alios pellibus ferarū insutos in mutuam lanienam incitauit, alios in ignem coniecit, eoq; ardente noctu ludos tanquam ad facem nocturnam commisit: donec à suis in angustias extremas ad actus, fugitiuus, inter summos conscientiæ terrores, hausto veneno, & manibus sibi ipsi allatis interiit. Sequentes Imperatores, Sergius Galba, A. Vitellius, Otho Syluius, non ita diu imperio præfuere.

Cum vero Iudæi sub Agrippa defecissent à Romanis, bello semel atque iterum sub Imperatore Flauio Vespasiano petiti sunt: donec tandem Titus filius, iusto Dei iudicio ac permissu, ciuitatem Hierosolymam occupauit, incendit, deleuit; vindictam sanguinis effusi, & spreti seruatoris, horribilem, à Iudæis repetens, cuius excidii vix simile vllis in historiis exstat exemplum.

Deleta est autem sancta ciuitas, cum templo augustissimo, & infinitis millibus populi Iudaici, circiter annum Christi 72. vt esset perpetuum testimonium exhibiti Messiæ, & abolitæ politię Mosaicæ; atque exemplum iræ Dei aduersus omnem iniquitatem.

Titi Vespasiani frater, Flauius Domitianus, primus DEVM se appellari iussit: publica

edicta contra Christianos promulgauit, & persecutionem in eosdem acriter exercuit.

Nerua Cocceius, occiso Domitiano, Christianis pacem dedit, & in exilium eiectos in patriam reuocauit: inter quos etiam fuit Iohannes Evangelista, qui à Domitiano in Pathmon insulam relegatus fuerat.

EPISCOPI ROMANI.

LInus, natione Tuscus, primus est, quem scriptores pleriq; post Petrum ponunt. Functus est Episcopatu Romano annis 11. mensibus 3. diebus 12. Decollatus scribitur anno secundo Titi Vespasiani: anno Christi 82.

Lino in Episcopatu Romano successit Cletus, si Platinæ & Nauclero credimus: Irenæus, Eusebius, Hieronymus, & alii, nullam prorsus Cleti faciunt mentionem: sed Anacletum, natione Græcum, proximum post Linum ponunt: qui tyranni Domitiani iussu martyrio sit coronatus. Alii sub Traiano capite truncatum fuisse scribunt: & Lino successisse Clementem, natione Romanum; huic demum Anacletum. Tam certa est Pontificum Romanorum successio.

HÆRETICI.

TAmetsi vna cum Apostolorum vera doctrina etiam enata est pseudoapostolorũ falsa religio, zizania cũ tritico; tamẽ minus periculi

fuit

fuit ab Hæreticis, quoad superstites Ecclesiæ vixerunt Apostoli: ex quo etiam Virgo appellata est Ecclesia, vsque ad Apostolorum mortem. Simul ac vero illi sublati sunt, turba hæreticorum erupit, & miserabiliter Ecclesiam labefactauit, consensum lacerauit, & errore labeque fæda contaminatos innumerabiles homines seduxit.

Simon Magus, Samaritanus, omnium, quæ sub Euangelio postea secutæ sunt, hæreseon fons & parens fuit: Vnde illius hæresis matrix & radix omnium appellatur. Cæpit hæc Simonitarum hæresis sub initium imperii C. Caligulæ, circa annum à Christo passo sextum. Cum igitur iam Euangelium propagaretur, inimicus ille diabolus Zizania seminare vna cum bono semine in agro Domini statim studuit. Quotquot etiam fuerũt postea hæretici, suas feces ex hoc Simonianorum cæno hauserunt. Discessit autem Simon Magus ex Samaria Romam, vbi temporibus Claudii & Neronis adeo inclaruit, vt iussu Claudii statua ipsi & ara collocata sit, cum hac inscriptione: Simoni sancto DEO. Tandem præstigiæ ipsius detectæ sunt, & cum in cœlum se euolaturum esse iactitasset, ex sublimi decidit, & fracto crure miserrime periit.

Hymenæus, & Philetus tempore Pauli Apostoli, sub Nerone, Ecclesiam turbarunt, circa annum à passo Christo 34.

Menander, à quo Menandriani hæretici, fuit Simonis Magi conterraneus, & discipulus

primarius, homo ſpurciſſimus & impiiſſimus; cuius vitæ exitus quis fuerit, non eſt annotatum à ſcriptoribus. Vixit Romæ ſub Tito Imperatore, circa annum à Chriſto paſſo 49. Hæc hæreſis Simonianorum blaſphemias, vti ſerpens ſerpentem, & nati viperæ matrem ipſam abſumpſit, vt ſuo nomine innoteſceret; quæ tamen ipſa, vt ait Epiphanius, ſtatim eſſe deſiit. Nam à Saturniana & Baſilidiana hæreſi deleta eſt.

Ebion, à quo Ebionitæ; virus ſuum ſparſit ſub Domitiano Imp. cum adhuc in terris ageret D. Iohannes Euangeliſta. Huius ſectæ homines ſtatim ſe in varias partes & diuortia alii ab aliis ſecuerunt, vt à ſe ipſo tandem diſſidet mendacium.

Nicolaus, à quo Nicolaitæ, tam fœda dogmata diſſeminauit, circa initium Imperii Domitiani, vt pudor ſit dicere. Volunt hunc ipſum Nicolaum vnum fuiſſe ex ſeptem illis Diaconis, qui ab Apoſtolis conſenſu Eccleſiæ primi electi fuerant. Durauit pauco tempore hæc hæreſis ipſo Nicolaitarum nomine: poſtea tamen interpoluta à Gnoſticis & Valentinianis reuixit.

Cerinthus, à quo Cerinthiani, ſub Domitiano, temporibus Iohannis Euangeliſtæ hæreſim ſuam in Aſia præſertim minore, & Syria, euulgauit. Iohannes Euangeliſta, in balneum aliquando lauandi cauſſa ingreſſurus, poſtquam illic eſſe Cerinthum audiuit, abiit, locum execratus; & adiecit, ſe vereri, ne balneum ipſum

corru-

concideret, in quo tantus hostis veritatis lauisset. Nomen ipsum Cerinthianorum statim cõcidit, sed Carpocratiani & Samosateniani hanc ipsam blasphemiam nouis nominibus restituerunt, & sustentarunt.

IMPERATORES ROMANI A Traiano ad Constantinum Magnum.

VAriæ fuerunt periodi & ætates Ecclesiæ. Prima ætas integerrima omnium fuit ab Apostolis ad Traianum. Secunda ætas à Traiano ad Constantinum Magnum etiam tolerabilis fuit: licet Ecclesia occupata circa controuersias de persona Christi cum hæreticis, de officio eius non tam accuratè semper docuerit; & vt ad martyria & ieiunia, aliaque opera alacriores redderentur Christiani, in illorum laudes nimis nonnunquam effusa fuerit: interim seruabatur fundamentum; nec tunc Idololatriæ, Inuocationes sanctorum, nundinationes Missarum, portentosum dogma transsubstantiationis, & aliæ huiusmodi blasphemiæ irrepserant.

Vlpius Traianus, natione Hispanus, per suos cõsiliarios tertiam Christianis iussit inferri persecutionem, quæ durauit fere 40. annos.

Ælius Hadrianus à Christianorum persecutionibus cessauit, rescripto prohibens, ne vllus condemnaretur ob Christiani nominis professionem, nisi sceleris alicuius conuictus esset.

Hic-

Hierosolymam etiam instaurauit, & de suo nomine Æliam Capitolinam appellauit. Iudæos graui & diutino bello penè omnes oppressit.

M. Antoninus Pius initio Imperii sui Ecclesiam Christi persecutus fuit. Ad hunc scripsit Iustinus Martyr Philosophus Apologeticum pro religione Christiana: Tandem igitur Antoninus persecutionem inhibuit, iussitque, vt Christianorum accusatores supplicium subeant. Causam addit, quod suppliciis Christianismus deleri non possit, cum Christiani mortem vitæ præferant.

M. Aurelius Antoninus, Philosophus cognominatus, persecutionem ab Antonino sopitam, rursum excitauit. Christianos tamen milites etiam in suis cohortibus tulit. Cum igitur aliquando cum exercitu à Marcomannis incluſus esset montibus, sitique plusquam triduana vrgeretur, Christiani milites, qui in legione Melitensi erant, orant auxilium diuinum, impetrantque sibi pluuias, hostibus vero grandines & fulmina. Hanc legionem Imperator postea fulminatricem nominauit: Mandauit etiam in literis ad Senatum, ne crimini cuiquam posthac sit, esse Christianum.

L. Aurelius Commodus, cunctis incommodus fuit: initio tamen imperii persecutionem inhibuit, motus à Martia concubina, quę Christianis erat studiosissima, & in eos multa beneficia contulit. Itaque pax aliquo modo Ecclesiæ concessa multos allicuit ad amplectendam religionem Christianam.

L. Se-

L. Septimius Seuerus quintam in Christianos exercuit persecutionem. Causæ prætendebantur falsæ à calumniatoribus confictæ. Grassata est hæc persecutio præcipue in Africa.

M. Aurelius Antoninus Bassianus Caracalla, in Christianos, & alios nihil cogitauit boni, quia id non didicerat; quod ipse fatebatur.

Antoninus Heliogabalus, Solis sacerdos, templum prope ædes imperatorias constituit, in quo voluit, vt & soli sacrificaretur, & in eodem templo Iudæi, Samaritani, & Christiani suos cultus diuinos exercerent, in honorem Dei sui Heliogabali.

Alexander Seuerus Christianos fouit; qui cum locum quendam publicum occupassent, & popinarii dicerent, sibi eum deberi; rescripsit Imperator, melius esse, vt quomodocunq; illic Deus colatur, quam locus popinariis dedatur. Eiusdem mater Mammæa ex Origene doctrinam religionis Christianæ didicit.

Iulius Maximinus Thrax, odio Alexandri Seueri, sextam persecutionem Christianorum promulgauit, qua iussit inprimis Ecclesiarum antistites neci dare.

Philippus Arabs primus Imperatorum Romanorum Christianam religionem amplexus est, & Ethnicam idolomaniam abrogauit. Sed non diu reliquit Diabolus Ecclesiæ hoc ornamentum.

Decius, cum Imperium arripuisset, statim odio Philippi asperam & atrocem persecutionem in Christianos mouit. Causas recitat Cyprianus

prianus lib. IV. Epist. 4. Nicephorus ait; tam non esse facile, martyres omnes huius persecutionis recensere ,, quam arenam maris numerare.

Trebonianus Gallus, religionis Christianæ osor acerrimus fuit: & nihil cum filio Volusiano præclarum gessit.

Licinius Valerianus initio quidem Imperii Christianis fauebat, tametsi ipse Christianus non esset, ita vt tota eius aula Christianis esset referta. Postea vero à Satana per magos Ægyptiacos ita dementatus est, vt in Christianos sæuiret, eo quod intelligebat, magicas incantationes, & Satanicas præstigias, Christianorum præsentia impediri.

Valeriano à Sapore Rege Persarum capto; Gallienus Imperium solus tenuit, & persecutionem moram edictis publicis remouit. Pax igitur Ecclesiis omnibus vbique reddita est, vsque ad Aurelianum.

Aurelianus alienus à Christianis factus, persecutionem in eos mouere proposuit; sed non executus est, fulmine repentino territus.

Diocletianus & Maximianus Nicomediæ de delendis Christianis deliberarunt. Durauit hæc persecutio exquisitissima circiter decennium, & vno interdum mense 17. millia in diuersis locis interfecta sunt.

Constantius Chlorus, Pater Constantini Magni, etsi Christianismum aperte non profiteretur, idolorum tamen cultum respuit, & Christianos non modo non persecutus est, verum

rum etiam fouit, & consiliis suis adhibuit.

Maximinus Galerius Christianis inimicissimus fuit, eosque atrociter persecutus est in Oriente, igni, mari, bestiis, gladiis, crucibus, fame, stupro, adeo vt etiam ex solitudinibus ad supplicia retraherentur. Galerium tandem vltio diuina apprehendit, vt vlcere & vermibus in arcanis corporis partibus depasceretur. Mandauit igitur, vt Christianis libertas restitueretur, vt pro se Deo suo supplicarent. Non autem conualuit; quia nec flagitiorum, nec idololatriæ, nec crudelitatis eum vere pœnituit. Morbo itaque tam fœdo tandem absumptus est.

Maximinus alter hoc Galerii mandatum ægerrimè tulit: ore tamen suis præcepit, vt à Christianorum persecutione cessarent: Quum vero vix mense sua felicitate Christiani gauderent, blasphemo edicto edito, Christianis omnia orbis mala imputabat, & vt hostes Reip. puniri iubebat. Postea subito morbo oppressus, edictum pro Christianis publicabat, in quo tamen nec impietatem paganam reprehendit, neque Christianam religionem approbauit.

Maxentius, initio simulabat, se Christianum esse, & subditis mandabat, vt à Christianorum persecutione cessarent, quum ipse tamen interim à nullo mali genere in ipsos abstineret. Dum vero Italia furiis Maxentii arderet, interim Constantinus Magnus Christianis in Gallia pacem faciebat.

Post

Post Licinium à Constantino Magno Collega interfectum, nullæ deinceps à gentilib⁹ persecutiones manarunt, sed ab hæreticis Imperatoribus.

EPISCOPI ROMANI.

" EPiscopi Romani, vsq; ad Constantini Ma-
" gni tempora, fuerunt omnes pastores abs-
" que mitris, simplices, & in Euangelii messe ad
" martyrium vsque laborantes.

Clemens, omisso Cleto, numeratur ab Eusebio post Anacletum: Anno Traiani 3. in mare submersus dicitur. Sedisse A.9.M.6.D.4.

Euaristus, seu Eucharistus, qua occasione Romam venerit, aut episcopatum adeptus sit, incertum est. Martyrio coronatum esse, apud vetustiores non inuenitur: recentiorum alii sub Traiano, sub Hadriano alii martyrem faciunt.

Post Eucharistum Alexander I. Episcopus Romanus ponitur, & multa propter Christum passus esse dicitur.

Alexandro è medio sublato, successit Sixtus I. vel Xistus, patria Romanus. Alii annos 9. præfecturæ ipsi tribuunt, alii plusquam 10. Eundem Platina vitam martyrio finiuisse, asserit; Damasus vero & Eusebius martyrii nullam prorsus mentionem faciunt.

Post Sixtum Telesphorus Episcopatum Romanum consecutus est, natione Græcus. Cæsar Baronius hunc martyrem facit, Anno Domini

mini 154. Antonini Pii 15.

Post Telesphorum Higinus Athenienſis, ſedit aliis A. 4. M. 3. D. 4. aliis A. 3. M. 11. D. 28. De mortis genere non conſtat: aliis martyr, aliis confeſſor eſt, phraſi pontificia.

Higino ſucceſſit Pius I. Italus Aquileienſis, cui Platina annos 11. Euſebius 15. Damaſus 19. tribuit. Tam certæ ſunt hiſtoriæ Romanorum Pontificum.

Pio ſucceſſit Anicetus, Syrus, ad quem Polycarpus Romam venit, vt diſſidia, quæ de paſchate orta erant, componeret. Interfectus eſt Anicetus Romæ, cum ſediſſet annos 9. fere, ſub M. Antonino Philoſopho.

Poſt Anicetum ponitur Soter Fundanus ex Campania; cuius temporibus ſæuiſſimæ perſecutionis tempeſtas Eccleſias Chriſti in Aſia, Gallia, & alibi horribiliter quaſſauit per decennium. In eadem perſequutione ad martyrium raptus ſcribitur Soter, cum ſediſſet A. 4. aliis 10.

Soteri ſucceſſit Eleutherius, natione Græcus: ſub quo Eccleſia paſſim aliquandiu tranquillitate fruebatur, adeo vt Romæ multi ex nobilitate cum coniugibus & liberis baptizati ſint. Lucius etiam, Britannorum Rex, miſit ad Eleutherium epiſtolam, obſecrans, vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur: Et mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt; ſuſceptamque fidem Britanni vſque in tempora Diocletiani principis inuiolatam integramque quieta pace ſeruarunt. Eleutherium autem pro-

propter religionem Christianam capite truncatum fuisse, refert Balæus. Platina, & alii, nullam martyrii mentionem faciunt.

Eleutherio succeſſit Victor I. natione Afer, qui primus auctoritatem in alios Epiſcopos, etiam vltramarinos, & in externas Eccleſias ſibi arrogauit. Aſiaticos enim, qui Paſcha decima quarta luna celebrabant, ab Eccleſia reſcidit & excommunicauit, contradicentibus aliis Epiſcopis, inprimis Irenæo, Epiſcopo Lugdunenſi. Vixit ſub Seuero Imp. & ſupplicio affectus eſt à præfecto Vrbis, ob religionem, Ann. Chriſti 201. cum ſediſſet annis nouem, menſe vno, diebus 28.

Victori ſucceſſit Zepherinus, Romanus; quem plerique ſimpliciter mortuum, quidam martyrem faciunt, circa annum Domini 219. cum ſediſſet annis 18. totidem dies.

Zepherino ſucceſſit Calliſtus I. Romanus, qui iuſſu Alexandri Seueri Imperatoris ſupplicio affectus eſt Romæ, Anno Chriſti 224. cum ſediſſet A. 5. M. 1. D. 12. Euſebius tamen ante imperium Alexandri deceſſiſſe affirmat, & martyrii nullam mentionem facit.

Calliſto ſucceſſit Vrbanus I. Romanus, qui martyrio affectus eſt, Anno Domini 231. cum ſediſſet A. 6. M. 7. D. 4.

Vrbano ſucceſſit Pontianus, qui ab Alexandro Imperatore in Sardiniam inſulam eiectus in exilium, iuſſu Maximini trucidatus eſt: Anno Domini 235. Quidam naturaliter deceſſiſſe in exilio affirmant.

Pon-

Pontiano succeſſit Antherus, natione Græcus, qui cum iuſſiſſet martyrum hiſtorias diligenter annotari, ipſe ad martyrium raptus eſt, Anno Domini 236. ſub Maximino Imp.

Anthero ſucceſſit Fabianus, Romanus, qui ſub imperio Decii ob religionem Chriſtianam capite truncatus ſcribitur, Anno Domini 251.

Poſt diuturnam ſedis Romanæ vacationem, Fabiano ſucceſſit Cornelius, ad quem aliquot Cypriani exſtant Epiſtolæ. Eiectus eſt in exilium à Voluſiano Imp. inde reductus Romam, capite cum multis aliis plexus, Anno Domini 253.

Cornelium in Epiſcopatu ſecutus eſt Lucius, natione Romanus, qui martyrium capitis obtruncatione compleuit, Anno Domini 255. ſub Valeriano Imp.

Lucio ſucceſſit Stephanus, Romanus: qui ſe Cypriano, & Concilio Africano oppoſuit in controuerſia de hæreticis rebaptizandis. Scripſit aliquot ad eum Epiſtolas Cyprianus, quæ inter opera eius extant. Coronatus eſt martyrio iuſſu Valeriani, cum infinitis aliis, Anno Domini 258.

Stephano ſucceſſit Sixtus II. natione Græcus, patria Athenienſis: qui in exſtirpandis hæreſibus Sabellianorum, Cerinthianorum, & Nepotianorum, ſtrenue laborauit: tandem ab iiſdem apud Valerianum Imperat. accuſatus ad capitis ſupplicium raptus eſt, Anno Domini 259.

Dionyſius, originis obſcuræ, ex monacho

Pon-

„ Pontifex creatus, fuit hæresium expugnator
„ insignis, & naturali morbo defeciſſe creditur, Anno Domini 266. Erat eo tempore Eccleſiæ tranquillitas. Nam Gallienus Chriſtianis pacem edictis publicis dabat.

Dionyſio in Epiſcopatu Romano ſucceſſor datus eſt Felix; qui Eccleſiaſticam gubernationem ſuſtinuit tempore Claudii & Aureliani; martyrio affectus Anno Domini 273.

Felici ſucceſſit Eutychianus, Thuſcus, qui plures martyres ſuis manibus ſepeliſſe dicitur, tandem & ipſe martyr. Quot annos præfuerit Eccleſiæ Romanæ, incertum eſt.

Poſt Eutychianum Epiſcopatum ſuſcepit Caius, Dalmata, Diocletiani ex fratre Nepos, qui dicitur fugiſſe perſecutionem, & in cryptis, locis ſubterraneis habitaſſe; tandem vero in lucem protractus, vitam finiuiſſe, Anno Domini 296.

Caii ſucceſſor Marcellinus, Romanus, in perſequutione Diocletiana pollicitationibus, blanditiis, & minis Diocletiani compulſus, idolis ſacrificauit: ſed poſtea ad Eccleſiam rediit, & conſtanti animo pro fide Chriſti martyrium ſubiit, Anno Domini 304. Iacuit inſepultus in via publica dies 36.

Marcellini ſucceſſor Marcellus I. quum religionem Chriſtianam magno zelo propagaret, Maxentius eum comprehenſum in ſtabulum equorum damnauit, vnde poſt menſes 8. à clericis noctu liberatus, at paullo poſt retract⁹, ex fœtore obiit, Anno Domini 309.

Mar-

Marcello succeſſit Euſebius, natione Græcus, qui ſub Maxentio tyranno martyrio conſumptus dicitur, Anno Domini 311.

Euſebio ſucceſſit Miltiades, natione Afer, quem Platina Maximini iuſſu martyrio coronatum fuiſſe ſcribit: Anno Domini 313.

PATRES, ſiue PRÆCIPVI Doctores Eccleſiæ.

POſt Apoſtolos, Chriſtus ad dextram Patris regnans, excitauit illuſtres Eccleſiæ Doctores, quorum opera & labore Euangelium plantatum, latiuſque propagatum eſt. Sunt autem præ aliis celebres hi ſequentes, à temporibus Apoſtolorum, vſque ad Concilium Nicænum.

Dionyſius cognomento Areopagita, Paulum Athenis concionantem audiuit; tandem ſub Traiano, plenus dierum, martyrii corona honeſtatus eſt.

Ignatius, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, commouente perſecutionem Traiano, Romam perductus, beſtiis obiectus eſt, & diſcerptus, Anno Domini 108. Scripſit aliquot Epiſtolas, quæ hodie interpolatæ & adulteratæ leguntur.

Polycarpus, Iohannis Apoſtoli diſcipulus, ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus fuit. Propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos

credentium, Marcionis & Valentini persuasione deceptos, reduxit ad fidem. Cum ei fortuito obuiam veniſſet Marcion, & diceret: *Cognoſcis nos?* Reſpondit Polycarpus: *Cognoſco primogenitum Diaboli.* Poſtea vero regnante M. Antonino Philoſopho, & L. Vero, rogo impoſitus, cum cremari non poſſet, Smyrnæ gladio iugulatus eſt, Anno Domini 167. Huius tempore vixit Egeſippus Iudæus ad Chriſtum conuerſus, qui libris quinque Hiſtoriam Eccleſiæ CHRISTI ad ſua vſque tempora complexus eſt.

Iuſtinus Philoſoph⁹ & Martyr, cuius ſcripta etiamnum cum fructu leguntur, floruit ſub Antonino Pio, cui Apologiam exhibuit pro Chriſtianis. Decollatus eſt Romæ, Anno Domini 168. ſub Antonino Philoſopho.

Athenagoras ſub Antonino Philoſopho, & Commodo Impp. floruit, ad quos etiam legatione pro Chriſtianis functus eſt.

Irenæus quibus parentibus, quo in loco, & quo anno natus ſit, incertum eſt. In prima pueritia audiuit Polycarpum, Epiſcopum Smyrnenſem, diſcipulum ipſius Iohannis Euangeliſtæ. Presbyterii munus geſſit in Eccleſia Lugdunenſi, & cum Photino, eius loci Epiſcopo, vixit coniunctiſſime. Photino in perſecutione ob confeſſionem Euangelicæ veritatis crudeliter interfecto, ad Epiſcopatum Lugdunenſem peruenit, ſub Antonino Philoſopho Imperatore. Eccleſiam docuit circiter annos 30, Opiniones, ſeu ſtipulas quaſdã

non

non exiguas eum habuisse, ex scriptis cerni potest. Maxime autem laborauit in asserenda atque defendenda doctrina de Deo, quam Diabolus per hæreticos offuscare conabatur. Quomodo & quando vitam finierit, non ab vllo certæ fidei authore expressum est.

Pantænus in Schola Alexandrina primum Philosophiam Stoicam professus est, postea vero Theologiæ Doctor eximius euasit. Primus Scholam eam ex Ethnica in Christianam mutauit, & Catechistes in illa factus est. Ex Alexandrina Schola missus est in Indiam, vt ab Apostolis plantatam ibi Ecclesiam erudiret atq; confirmaret.

Clemens, cognominatus Alexandrinus, Pantæni discipulus, primum Alexandriæ Catechesin tradidit, deinde Hierosolymis, & Antiochiæ Euangelium docuit. Libros scripsit complures.

Origenes Adamantius, Clementis discipulus, filius Leonidæ, primum docuit Alexandriç deinde Cæsareæ in Palæstina. Si Hieronymo credimus, scripsit 6000. volumina: de quibus celebre est illud vetustatis iudicium: *Origenes vbi bene scripsit, nemo melius, vbi male, nemo peius.* Vnde propter multos errores à multis inter hæreticos potius, quam inter Patres, numeratur. Scribitur, metu supplicii defeciisse à fide Christiana, sed ad eam postea rediisse. Obiit Tyri, anno ætatis 69.

Gregorius, cognomento Thaumaturgus, Origenis discipulus, Episcopus Neocæsarien-

sis, claruit tempore Alexandri Seueri: decessit sub Aureliano Imp. Interfuit Antiocheno Concilio aduersus Paulum Samosatenum hæresiarcham.

Tertullianus Carthaginensis in Africa primum Philosophiæ & Iurisprudentiæ; deinde etiam studio Theologiæ se dedit, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus. Primum Romæ presbyter fuit vsque ad mediam ætatem. Inde pulsus Carthaginem rediit, & palam Montani dogma professus est. Certamina varia sustinuit contra Iudæos, contra hæreticos, Marcionem Valentinianos, Hermogenem, Praxeam. Vixit ad decrepitam vsque ætatem. Martyrii quidem fuit appetentissimus: sed quo mortis genere extinctus sit, nusquam traditur. Floruit sub Seuero Imp. cuius sæpe ipse meminit. Cyprianus nullum diem abire passus est, quin aliquid in hoc Tertulliano legerit.

Cyprianus ille Carthaginensis Presbyter & Episcopus, primum Rhetoricen, gentilis adhuc, cum laude magna professus est, & magia studuit. Ad Christum autem conuersus, totius Orientis & Hispaniæ Ecclesiis præsedit, & authoritate magna Episcopi munus gessit. *Elucent ex scriptis eius, quæ reliquit, præclara dona; sed errores simul etiam aliquos aspersit.* Magna illi certamina fuerunt cum ethnicis, Iudæis, Nouato, aliisque hæreticis & schismaticis. Quam ob caussam cum in discrimen varium deueniisset, cessit furori hominum, & exilii ærumnas ferre maluit, quam præsentia sua Ecclesiæ

clesiæ obesse. Cum tempus martyrii impenderet, & mortem omnia illi minarentur, ceruicem vltro inflexit, & gladio sese iugulandum præbuit Tarraconæ, sub Gallo & Volusiano Impp. Anno Domini 259.

Arnobius, Rhetorica professione clarus in Africa, vixit circa Constantini Magni tempora. Contra gentes libris VII. erudite, & quidem tumido elatoque orationis genere, disputat.

Lactantius Firmianus, Arnobii discipulus, sub Diocletiano Principe accitus, Nicomediæ Rhetoricam docuit, & contra ethnicos religionis Christianæ hostes acerrime in libris suis, quos diuinarum institutionum titulo inscripsit, pugnauit. Quis fuerit vitæ ipsius exitus, literis proditum non est. Hieronymus de eius scriptis, tale tulit iudicium; *Lactantius quasi quidam fluuius Tullianæ eloquentiæ, vtinam tam nostra potuisset confirmare, quam facile aliena destruxit.*

Eiusdem temporibus, circa annum Christi 320. floruit Eusebius, Episcopus Cæsareæ in Palæstina: qui sensit initio cum Arianis, sed postea in Synodo Nicæna sese cum Orthodoxis coniunxit, & Symboli Nicæni author esse existimatur. Contexuit libris X. Historiam Ecclesiæ à nato Christo, vsque ad annum eius 325. Adiecit Panegyricum de vita Constantini Magni, qui 30. annorum res gestas in Ecclesia, & inprimis edicta ac leges Constantini de religione Christiana complectitur. Refutauit

etiam ethnicos & Iudæos in libris de præparatione & demonstratione Euangelica. Reliquit quoque Chronologiam, quæ à natali Abrahami, vsque ad annum Christi 326. deducta, annos comprehendit 2347. Obiit circa annum Domini 340.

HÆRETICI.

BReui tempore post Apostolos, pestilentes & horrendas hæreses Diabolus in Ecclesiam Christi publice disseminauit, vt Deo ægre faceret, & plurimos à vera doctrina abalienaret.

Saturninus, à quo Saturniniani, cœpit innotescere temporibus Hadriani Imperatoris, cum eiusdem blasphemiæ socio Basilide, circa annum à Christo passo centesimum: cum Barcochoba quidam Iudæus, homo seditiosus, in Syria grauissime Christianos iam afflixisset, & Dux suæ genti fuisset, atque incentiuum ad corripienda contra Romanos arma. Vnde totius Iudaicæ gentis pene internecio accidit. Certe inde contigit ea dissipatio & dispalatio per vniuersas orbis regiones, in qua nunc miserrima versatur. Fuit autem Antiochenus Saturninus, qui ita cum Basilide officia partitus est, vt ipse in Syria venenum suum efflaret, & eo Syros, homines leues, imbueret: Basilides autem illud in Ægypto spargeret, & vicinis regionibus.

Dura-

Durauit hæc hæresis Saturninianorum & Basilidianorum aliquo tempore, & viguit, donec nouis Valentinianorum, qui subtiliores habiti sunt deliriis & commentis exploderetur, ita nimirum sese mutuo confodientibus hæreticis, iusto Dei iudicio, & extinguentibus. Quare Simonianorum pestis & hæresis prope sola, siue suo ipsa nomine, siue alieno, & interpolato Menandrianorum & Saturninianorum prope per centum annos in orbe grauissime grassata est; postea vero aliis exorientibus sepulta. Quis Saturnini & Basilidis vitæ exitus fuerit, non est annotatum à scriptoribus.

Carpocrates, à quo Carpocratiani, fuit Ægyptius, genere Alexandrinus. Vixit sub initio imperii Antonini Pii. Platonis dicta & ampullas Euangelicæ veritati magno fastu præposuit. Ex nulla autem secta tantum odii in Christianos conflatum est, quantum ex ista Carpocratianorum: propter turpes & nefandos ipsorum mores. Grassata est hæc pestis non in Ægypto tantum, sed & in Asia, & Romæ, nomine Gnosticorum. Retenta tamen est aliquandiu, & sustentata ipsa suo nomine & appellatione post Carpocratem ab Epiphane, filio Carpocratis, qui doctus inter Platonicos habitus est. Epiphani successit in eadem secta Prodicus quidam. Hic vero excudit & ipse nouam hæresin Adamitarum.

Valentinus, à quo Valentiniana hæresis cognominata est, fuit natione Ægyptius, & Alexan-

xandriæ literis Græcis inſtitutus, Platonicus & Pythagoricus potius euaſit, quam Chriſtianus. Vixit ſub Antonino Pio Imperatore. Carpocratis & aliorum erroribus imbutus, poſtea huiuſmodi venena acuit, & nocentiora fecit. Romæ etiam vixit aliquandiu, vbi hæc hæreſis diffuſa eſt, & inde Gallias ſuo veneno afflauit: Maxime tamen in Ægypto viguit. Perſtitit autem hæc hæreſis tum ſuo vero, tum etiam mutato nomine, in multa ſæcula, & vniuerſum terrarum orbem vexauit. Nam quæ ſecutæ ſunt, eas tantum exædificarunt blaſphemiarum moles, quarum ſemina longo ante tempore hæc iecerat. Succeſſores autem & collegium magnum habuit, in quo præcipui hi recenſentur; Secundus, Ptolemæus, Marcus, Colarbaſus, Heracleon, Cerdon, omnes infelices ex infelici arbore rami. Hi omnes à Valentino, tanquam ex fætida fornace, incendiarii prodierunt.

Secundus, à quo Secundiani, primarius Valentini diſcipulus, & ſcholæ ſucceſſor in Ægypto fuiſſe perhibetur. Vt autem magiſtro ingenioſior videretur, quædam in accepta à Valentino doctrina immutauit, quædam magis obſcurauit, quædam etiam addidit.

Ptolemæus, à quo Ptolemiani, ſecundi contemporaneus, vixit Irenæi ætate, & in Occidentis partibus notior videtur fuiſſe, vti ſecundus in Oriente.

Magna autem in exiſtimatione hunc fuiſſe, vel ex eo apparet, quod totius Valentiniano-

nianorum scholæ flos & corculum, vt ait Irenæus, diceretur.

Heracleon, à quo Heracleonitæ, videtur in Ægypto vixisse, ex malo Valentino coruo malum ouum. Fuit coæuus Ptolemæo hæretico. Eius hæresis proprio nomine non stetit diuturna.

Cerdo impostor, vixit sub Antonino Pio Imp. & totos 38. annos bellum aduersus Christum gessit. E Syria profectus est Romam, vbi venenum suum sparsit. Fuit nefarii erroris de tollenda & perneganda humana Christi natura primus author. Ab hoc postea pestilentem halitum Marcionitæ biberunt, & traxerunt.

Marcus, à quo Marcitæ, ex Valentinianæ viperæ aluo procreatus est. Nouam sectam ambitiose parturiens tandem edidit, in quo maiorum suorum, & ipsius adeo Valentini improbitatem, superauit. Magicis artibus doctrinam suam confirmare voluit. Tam late serpsit hoc infelix lolium, & pestiferum gramen, vt Ægyptum, Asiam, & Galliam tabe sua infecerit. Vnde Antichristi præcursor hic fere primus appellatus est.

Referunt autem huius hæreseos initia in annum Antonini Pii Imperatoris nonum. Vt autem latissime vagata est, plurimumque nocuit hæc hæresis; ita diutissime, sed interpolato nomine, fuit retenta & sustentata. Pullulauit enim maxime, & Colarbasios, Ascodrutas, Archoaticos, Ophitas, & alios hæreticos, tanquam vipera nocentissima fœtus crudelissi-

mos profudit; qui omnes in DEI Ecclesiam pessime, tanquam in matrem, suis erroribus sunt grassati.

Colarbasus, à quo Colarbasii, homo fuit obscurus, Marci condiscipulus: eiusque secta statim concidisse videtur. In Catalogo tamen retenta est, vt quam variè à Satana vexata sit Ecclesia, & oppugnata doctrina Christi, intelligeretur.

Gnostici fuerunt omnium mortalium in dogmate fædissimi, & Nicolaitis turpibus magistris, longe tamen ipsi turpiores. Vnde variis se nominibus, & sæpe de industria mutatis insinuarunt & texerunt, ne execrabili Gnosticorum nomine noti, statim ab Ecclesia explderentur. Nec vlla fuit vnquam hæresis, quæ tot tamque diuersis appellationibus se interpolarit, & celauerit, aut quæ se in plures sectas & particulas citius dissecuerit. Cœperunt maxime sub initium imperii M. Aurelii Antonini Philosophi, & L. Veri, Impp. Rom. Durauit autem Gnosticorum hæresis multis seculis, tum in Asia, tum maxime in Ægypto; ex qua Valentinianorum primum, post Manichæorum, deinde Priscillianistarum lernæ & hæreos disseminatæ sunt, & natæ.

Ophitæ, siue Ophei, & Ophiomorphi, à Gnosticis & Valentinianis, tanquam è cœnoso fonte impurissimus riuus, fluxerunt. Viguit hæc hæresis maxime in Ægypto, & durauit vsque ad tempora Iustiniani I. Constantinopolitani.

tani Imperatoris. Colebant serpentem illum, per quem Eua primum decepta est, tanquam is fuerit Christus.

Origeniani cœpisse videtur paulo post Gnosticos. Habitu & professione monasticæ vitæ se plurimum commendarunt.

Cainitæ, siue Caini, circa annum à Christo passo 132. sic dicti sunt, quia Cainum, Sodomitas, Core, Dathan, Abiram, & Iudam proditorem saluatos esse docuerunt, & nominatim Cainum adorarunt. Tertullianus scribit, hanc hæresin ortam & propagatam esse, tanquam infelicem surculum, ex infausta Nicolaitarum stirpe. Epiphanius, ex Gnosticis & Carpocrate. In plures sectas postea diuulsa & diducta, Cainorum nomen amisit. Corrupit Asiam potissimum.

Adamiani, Sethiani, & Abeliani, fuerunt omnes infelicissimæ Valentinianorum stirpis, & radicis surculi, qui, quamuis dissimiles, pari tamen ratione impulsi à veritate deflexerunt. Hæ tamen hæreses non late vagatæ sunt, sed pene in ipsis cunis extinctæ conticuerunt, & perierunt.

Marcion, à quo Marcionitæ, fuit Cerdonis discipulus, lupus Ecclesiæ, & primogenitus Diaboli. Eius hæresis cæpit innotescere sub M. Antonino Philosopho Imperatore: & Romam ipsam, Italiam, Ægyptum, Thebaida, Arabiam, Palæstinam, Cyprum, denique Persidem, remotissimam gentem, peruasit hoc ve-

nenum. Multas etiam hæreſes, vti vipera viperas peperit, & ſucceſſores ſcholæ plurimos audaciſſimoſque homines habuit, inter quos hi fuere primi & præcipui: Lucianus quidam, Potitus, Blaſtus, Synerus, Prepo, Pithon, Hermogenes, Aſer, Apelles, & alii.

Noetiani, ex Simonianorum fece & cœno ſua venena ſumpſerunt. Innotuerunt circa annum à Chriſto paſſo 140. ſub M. Antonino & L. Vero Impp. Roman. annis pene 84. antequam à Sabellio eorum error recoqueretur. Dicti ſunt Noetiani à Noeto Smyrnæo.

Tacianorum hæreſis cœpit Romæ ſub M. Antonino Philoſopho Imp. & partim ex Valentinianorum errore, partim ex Marcionitarum dogmate, partim etiam ex Simonianorum deliriis conflata eſt, velut hydra ex pluribus capitibus. Peperit eadem hæreſis Aquarios, Encratitas, Valeſios, & Apoſtolicos. Roma in Aſiam delata eſt; & Antiochiam Syriæ, Meſopotamiam, Piſidiam, Pamphyliam, & vniuerſam pene minorem Aſiam peruaſit: denique infeliciſſime & ſæuiſſime in Phrygiam & Galatiam graſſata eſt, vbi tandem etiam peſſimum fructum, & ſobolem viperinam, nimirum Montaniſtarum luem & hæreſin peperit. Sectam inſtituit Tacianus, Iuſtini Martyris diſcipulus; natione Syrus, è Meſopotamia, in ethnicorum philoſophia apprime doctus, Rhetor magnus, qui aliquot ſuæ eruditionis monimenta reliquit.

Bar-

Bardesanes, à quo Bardesiniastæ, fuit Syrus è Mesopotamia regione oriundus, & Edessa vrbe. Christianam religionem primum profitebatur, in qua sic excelluit, vt aduersus Marcionitas etiam scriberet, atque illius libri probarentur ab Ecclesia. Erat enim & Hebraice & Græce doctus. Postquam autem L. Verus Imperator in Orientem venit, & Babylonem vsque progressus, Magos & Mathematicos secum ex illis locis abduxit, quorum apud eum magna erat authoritas, & frequentes de astrorum influentiis, & potestate disputationes: euocatus ab Imperatore propter doctrinam insignem Bardesanes, Abidam quẽdam, summum fati propugnatorem, audiuit, cuius argumentis falsissimis cedens, fatum probauit, & ad alia paulatim deliria delapsus, omnia in religione confudit: denique Christianę fidei naufragium fecit. Viguit autem in Syria & Oriente maxime Bardesanis error, qui vix in Occidentalibus Ecclesiis notus fuit, nisi quod eum postea Priscillianistæ in Hispaniam vsque propagarunt, sed multis post seculis.

Cataphryges dicti etiam sunt Montanistæ, Tascodrongitę spirituales, Pepuziani, & Quintilliani. Huius veneni, quod tota hæc secta bibit, propinator & author fuit Montanus, Phryx, qui Encratitarum fermento fœtido corruptus, suam & ipse sectam priuatim habere voluit.

Artotyritarum lues quo tempore primum extiterit, & quamdiu grassata sit, quibus item successoribus defensa, dici non potest, quia pauci om-

ei omnino huius hæreseos meminerunt. Verisimile est, eos fuisse schismaticos Pepuzianorum.

Apostolici, qui à Latinis appellantur Apotactitæ, fuerunt stirpis Encraticatum siue Tatianorum infelix propago, & amara fruticatio, quæ suas & ipsa radices egit, multosque postea palmites produxit inauspicatos. Hæc hæresis v-
" niuersi Monachismi, inprimis autem fratrum
" Mendicantium fundamentum est.

Apellitæ, à suo Principe Apelle, auditore & sectatore Marcionis, floruerunt sub Commodo Imperatore. Non videtur diu perstitisse horum virus. Noua enim nouorũ exeadem Marcionis schola hæreticorum successione nomen Apellitarum extinctum est. (tarum.

Rhetorianorum hæresis fuit surculus Apelli-

Florianorum hæresis cœpit sub Commodo Imp. Fuit Valentiniani seminis seges & propago teterrima, quæ in Occidente, & Romæ præsertim, omnia labefecit. Dicti sunt à Floriano, Ecclesiæ Romanæ presbytero.

Seueriani exorti sunt sub Commodo Imper. Dicti sunt à Seuero, Apellis in schola Marcionitarum successore. Hæc hæresis agmine aliarũ hæreseon eodem tempore nascentium ingruẽte suffocata est, & velut in cunis extincta.

Hermogenianorum hæresis extitit sub Seuero Imp. circa annum à Christo passo 177.

Theodotianorum hæresis diutissime durauit, interpolato & renouato à Paulo Samosateno & Ario postea pessimo dogmate. Huius hæreseos parens & author fuit Theodorus, Byzantinus &

Thrax.

Thrax natione, arte Coriarius, Græcorum tamẽ literaturæ non imperitus, Artemonis primarius discipulus. Vixit sub victore Ro. Ep. & Sev. Imp.

Tertullianus, à quo Tertullianistæ, Presbyter Carthaginensis, ad Cathaphrygum seu Montaniſtarum deliria & dogmata tandem delapsus, & ipse hæreticus fuit, & in Orthodoxos debacchatus est. Eius hæresis in Africa viguit, & Carthagine potissimum, vnde oriundus erat.

Elcesaitarum hæresis cœpit sub Gordiano Imp. circa annum à Christo passo 210. Durauit ad tempora vsq; Epiphanii, qui vixit sub Theodosio iuniore. Huius erroris author fuit Elcesai, qui Christianam fidem & nomen ementitus est, quum vtrumque oppugnarit apertissime.

Valesii extitisse & primum innotuisse videntur post Origenem, cuius seculo variæ per vniuersam Arabiam hæreses ortæ sunt.

Arabicorum hæresis cœpit sub Philippo Imp. circa annum à Christo passo 217. Origene iam noto & celebri, qui ad hos hæreticos confutandos euocatus est, tantumq; disputando effecit, vt non modo conquiescerent, sed etiam mutarent sententiam, erroremque suum reuocarent. Itaq; statim siluit & extincta est hæc hæreticorum secta, & pene grassata est in sola Arabia, quę ferax fuit hæreseon, quemadmodum & illi vicina Ægyptus.

Nouatus hæreticus, à quo Nouatiani, innotuit tempore Cypriani, Carthaginensis Episc. & Decii Imperatoris, circa annum à Christo passo 220. Virus suum in Africa primum post persecutionẽ Decianam sparsit. Ex Nouatianis profecti

sunt Cathari; quæ hæreses ita inter se differunt, vt fons à riuo, vt mater à filia. Cyprianus multa edidit aduersus hunc Novatum, qui tantum nominis celebritate valuit, vt etiam à Cornelio Episcopo Romano Ecclesiæ presbyter crearetur. Sed Nouatus ad Episcopatum aspirans, dolore repulsæ, nouum suum & certe perniciosissimum dogma in Ecclesiæ exitium cudit.

Nouatianus fuit Romanus natione, Nouati discipulus, qui præceptoris lethiferum venenũ latissime propagauit, & furtim à tribus Episcopis, inprimisque ab ipso Nouato, creatus est in Italia Episcopus. Durauit hæc hæresis Nouatianorum diutissime, adeo vt sub Arcadio Imperatore etiam continuatione quadam floruerint. Tandem variis Iohannis Chrysostomi Constantinopoli, Cyrilli Episcopi Alexandriæ, & Innocentii I. Romæ, disputationibus & concionibus exagitati & refutati delituerunt. Recepta tamen est hæc hæresis & repetita, interpolato nomine à Pelagianis.

Sabelliani nihil aliud fuerunt, quam Noetiani, nouo nomine donati: sed Sabellianorum nomen inualuit, Noetianorum statim extinctum est, siue quod huius dogmatis & scholæ discipuli Sabellianos se dici maluerint, seu quod Sabellius, Afer natione, doctior acutiorque in hoc errore defendendo visus huic sectæ nomen dedit. Cœpit Sabellianorum nomen innotescere sub Sixto, Romano Pontifice, durante adhuc Deciana, vel potius Valeriana iam persecutione, circa annum à Christo passo 224. Propagatus est hic.

hic error latissime, adeo vt ex Africa statim Mesopotamiam inuaserit, denique Romam ipsam. Perstitit autem diutissime, in Oriente & Asia maxime, quando plures Episcopos, etiam ætate Constantini Magni, Sabellianos, & Sabellianizantes fuisse, annotat perspicue Socrates, libr. 1. hist. c. 24.

Origenistæ hæretici appellati sunt ab Origene Adamantio, dicti sunt etiam Nepotiani, à Nepote quodam Ægyptio Episcopo, qui Origenis errores postea tutatus est acerrime. Cœpit hæc hæresis post Cyprianum iam mortuum, & post Origenem etiam ipsum defunctum, Gallieno imperante, Xysto vero Romano Pontifice, circa annum à Christo passo 227. Peruasit vniuersam Ægyptum, Syriam, Asiam, sed & Constantinopolim inprimis labefecit. Permansit etiam diutissime, & plus q̃ per 334. ann. continua successione & propagatione sustentata est: quando etiam sub Imperatore Mauritio & Gregorio Magno, Pontifice Romano, adhuc exstabant Origenistæ.

Post Nouatum, Sabellium, & Origenem, extitit Paulus Samosatenus, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, homo ambitiosus & fastuosus, teterrimaque religionis Christianæ pestis: cuius errorem qui amplectuntur, dicti sunt Pauliani, & Samosateniani. Cœpit hæc hæresis nomine Samosatenianorum innotescere sub Gallieno Imperatore, & Xysto Romano Pontifice, circa annum à Christo passo 232. quæ diutissime, sed interpolato & mutato postea nomine, permansit:

sit : quando Ariani ipsi fuerunt huius radicis amarissimæ tantum surculi quidam, vel riuuli male illi quidem & fœde olentes. Latissime etiam disseminata est, quando Arianismus & Mahometismus, qui sunt inde orti, sese postea in vniuersum terrarum orbem diffuderunt, & omnia contaminarunt.

Manichæorum hæresis maximus & præcipuꝰ Mahumetanismi, qui postea secutus est, & fons & origo merito censeri debet, siue dogmatum vesaniam, siue modum nascendi, & rationem spectes. In eo enim conueniunt Manichæismus & Mahumetanismus, quod vterque primum abs Saracenis & Arabibus profectus est. Nam de Mahumete dubitari non potest, quem Arabem & Saracenum fuisse, fatentur omnes. Manichæismum autem, id est, eum errorem, quem Manes Persa postea fortissime defendit, primus inuexit Scythianus quidam nomine, mercator Saracenus, qui vt suam blasphemiam aliqua ratione commendaret, Hierosolymam venit, tanquam ibi ex Dei ipsius ore eã accepisset. Quod ipsum postea, vt suum Alcoranum melius hominibus propinaret, fecit Mahumetus. Scythianus autem domus suę ruina oppressus misere periit. Discipulum autem & successorem doctrinæ suæ habuit quendam nomine Buddam, cognomine Terebinthum, qui & ipse à sathana in solitudinem abreptus, strangulatus est. Buddæ successit Manes, mastigia & præstigiator insanus, qui, quod hunc occultum adhuc errorem in lucem produxit, primus huius hæreseos parẽs

& au-

& author creditus est. Ab eo, qui secuti sunt hæretici, Manichæi dicti sunt. Cœpit autem hæresis Manichæorum nomine innotescere, sub Aureliano Imperatore, & Felice Romano Episcopo, circa annum à Christo passo 247. Latissime vero citissimeque propagata est. Nam ex Arabia statim in Mesopotamiam & Persidem delata est. Ex Perside in Syriam rediit, & in Ægyptum, Africam, Hispaniam, Galliam, mare traiecto penetrauit. In Asia etiam, Paphlagonia, & reliquis orbis partibus multos infecit. In Arabia tamen, Persia, & Ægypto, maxime viguit, & diutissime substitit: vnde postea Mahumetismus, tanquam ex serpentis viperæque ouo enatus & excusus. Neq; vlla fuit Acherontis cauerna, vnde tot repente pestes prodierint, quam ex infernalibus vnius Manetis faucibus. Fuit autem Manes, natione Persa, qui, postquam multos in fide labefactasset, adeoq; suis incantationibus Regis Persarum filium necasset, viuus ab eo excoriatus est, sicque, insignis illa humani generis pestis tandem periit.

CONCILIA, SIVE SYNODI.

POst Apostolorum tempora ad decidendas controuersias Ecclesiasticas congregatæ sũt sæpe Synodi, etiam ante Nicænam: verum illæ Synodi quasi particulares aut prouinciales habentur; quia feruente persecutione Christianorũ generales synodos cõgregare ñ licebat. Prima cẽturia post natũ Christũ exortæ hæreses absq;

Conci-

Conciliorum decretis feliciter refutatæ sunt; excepta vnica Apostolorum Synodo, Actor. 15. In altera annorum à Christo nato cēturia, Marcion quidem & Cerdon, hæresin inchoarunt, nec non alii complurimi, sed de nulla istarum sectarum in Concilio actum, præterquam de controuersia Paschatos, ob quam aliquot Concilia prouincialia sunt conuocata, sub Imperio Commodi, circa annum Christi 181.

Synodum igitur Romæ conuocauit Victor, Romanæ Ecclesiæ Episcopus, in qua totius Asiæ paræcias, vna cum vicinis Ecclesiis, tanquam aliena sentientes, à communionis vnitate abscindere conatus fuit. Sed eam Victoris vehementiam cum multi alii Episcopi, tum inprimis Polycrates & Irenæus vehementer improbarunt. Tradit autem Eusebius, hac de causa Concilia esse conuocata per singulas quasque prouincias. Nam Theophilus Synodum Cæsareæ in Palæstina celebrauit. Similiter Irenæus in Gallia super eadem quæstione, de Paschate die Dominica celebrando, Concilium habuit: & Palmas Episcopus in Ponto: nec non in Achaia Bachylus; & in Asia Polycrates: quemadmodum etiam apud Ostroenem conuentus Episcoporum memoratur apud Eusebium.

Sub Imperatore Gordiano Beryllus, Bostrensis in Arabia Episcopus, impiam opinionem disseminauit; cuius hæreseos causa conuenerunt Episcopi: inprimis vero Origenes vanitatem & impietatem opinionis illius ex verbo Dei demonstrauit, eoque Beryllum compulit, vt abiecta

cta peruersa sententia ad Orthodoxam Ecclesiæ doctrinam rediret.

Sub Philippo, primo Christiano Imperatore, exorti sunt quidam in Arabia, qui animas in hoc præsenti tempore vna cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura resurrectione simul cum illis vitæ restituendas dixerunt. Conuocata igitur etiam ob hanc causam haud mediocri in Arabia Synodo, rursus vocatus Origenes, de quæstione hac ita publice disputauit, vt mentes eorum, qui antea seducti fuerant, ab errore auerterentur.

Philippo Imperatori successit Decius, qui persecutionem aduersus Ecclesiam concitauit, in qua cum multi metu mortis desciuissent à Christiana religione, Nouatus, Romanæ Ecclesiæ presbyter superbia contra lapsos inflatus, quasi nulla illis reliqua sit salutis spes, etiamsi cuncta ad sinceram conuersionem & puram cõfessionem pertinentia, perficerent; propriæ hæresis, eorum videlicet, qui tumidi se ipsos Catharos, i. e. puros esse profitentur, authorem se ac Ducem constituit. Super hac quæstione, de lapsis ad Ecclesiam admittendis, quando pœnitentiam egissent, Synodos duas in Africa, siue Carthagine siue alibi, habitas fuisse, colligitur ex epistolis Cypriani.

Meminit Cyprianus, in epist. 53. ad Cornelium, alterius quoque Concilii Africani, in quo Felicissimus presbyter, ob seditionem & factionem, damnatus fuerit.

Et in eadem Epistola Cyprianus commemorat,

rat, Priuatum veterem hæreticum, in Lambesitana colonia ante multos fere annos, ob multa & grauia delicta, XC. Episcoporum sententia damnatum fuisse. Ibidem ait, Iouinum & Maximum in Concilio IX. Episcoporum, & iterato in Synodo plurium esse damnatos. Istæ Synodi canuocatæ & celebratæ fuerunt, non requisita Romani præsulis authoritate.

Eodem tempore Romæ 60. Episcopi diuersarum prouinciarum conuenerunt, quorum calculo Nouatus est cõdemnatus, summam decreti Synodici recitat Eusebius lib. 6. c. 42.

Concilium Carthaginense, (de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis sunt baptizati, cuius affirmationem Cyprianus magno feruore tutatus est) celebratum fuit sub Imperio Galli, qui Decio successerat, anno Christi 152.

Sub Gallieno & Claudio Impp. conuenerunt Antiochiæ aliquot Synodi, aduersus Paulum Samosatenum, Episcopum Antiochenum. Hæ Synodi Antiochenæ non authoritate Pontificis Romani, sed communi nomine presbyterii, totiusq; Ecclesiæ Antiochenæ conuocatæ sunt.

In Synodo Sesuana, celebrata anno Christi 300. nihil aliud gestum legitur, quã quod Marcellinus Romanus Pontifex, testibus conuictus est, quod in gratiam Diocletiani Imperatoris ex auaritia idolis thurificauerit.

Ancyranum Concilium Ancyræ, quæ est Metropolis Galatiæ, congregatum est circa Imperium Constantini, anno Christi 300. In hoc cõuenerunt aliquot Episcopi, qui etiam affuerunt in Concilio Nicæno,

Con-

Concilium Neocęsariense celebratum fuit in prouincia Ponti Polemoniaci, sub Melchiade, Episcopo Romano, parum ante Nicænum.

IMPERATORES ROMANI A CONstantino Magno vsque ad Phocam.

TErtia ætas Ecclesiæ à Constantino M. ad Heraclium, vel Phocam, fortiter propugnauit veritatem de persona Christi, & de Spir. S. contra hæreticos: & Synodos liberas sub Imperatoribus Christianis habuit: Doctrinam v. de officio Christi, & eius gratia, & quod cum Dei gratia necessario cohæret, de prædestinatione, omnium puriſſime illis temporibus tradidit Augustinus; licet ignorantia Hebraici & Græci sermonis ei, & multis aliis sæpe imposuerit, sed & tunc multæ superstitiones inuehi, multa loca scripturæ per allegorias in alienum sensum detorqueri cœperunt. Inprimis vero à Greg. I. vtut sua alias dona habuerit, quorum vix aliquod simulacrum in hodiernis Pontificibus deprehendimus, idololatrici cultus stabiliti, & fundamẽta labefacta sunt; doctrina scilicet fidei, doctrina de sacramento Eucharistiæ; inductę autẽ monasticæ multæ superstitiones, stabilitum item dogma de Purgatorio, & de Sanctorũ inuocatione.

Constantinus M. fidem Christianam semel amplexus, religiosissime deinceps & sanctissime perpetuo coluit; eandemq; fidem, vt oẽs in vniuerso Romani regni orbe profiterentur, per edicta mandauit: idolorũ cultum post Maxentium deuictum abnegauit: baptismum v. in senectam

vsque

vsque distulit ; & Ecclesiæ tot persecutionum fluctibus quassatæ, benignitate Dei, tranquillum restituit portum.

Decedens Constantinus Magnus post felicissimam gubernationem, anno Christi 337. filios tres hæredes reliquit.

Constantinus Iunior inter fratres natu maximus, fuit in religione Christiana sincerior. Itaq; Athanasium ab exilio reuocauit, eumque Alexandrinæ Ecclesiæ per literas commendauit. Cum vero temerario bello cum fratre congressus esset, apud Aquileiam occisus est, anno Domini 343.

Constans pios Doctores defendit : interfectus Magnentii insidiis, anno 354. Et hoc modo Imperii summa ad Constantium solum relapsa est : sub quo puritas religionis Christianæ variis hæresibus contaminari cœpit, & nouem formulæ fidei inter se dissimiles receptæ.

Nazianzenus scribit, eum ante vitæ exitum deploraſſe cum alia, tum inprimis fidei Nicænæ immutationem. quid sib. hic vult?

Constantium sequutus est Claudius Iulianus, princeps doctus & eloquens ; qui postea Christianæ religionis desertor atque oppugnator factus, cognomen Apostatæ adeptus est, & multa impia in Christum dixit scripsitque ; tandem aggressus Persas, cum extrema quæque Christianis à reditu esset minitatus, calamitoso exitu interiit, anno Domini 363. transfixus telo ; quod dum ex imis iecoris fibris euellit, hausto manu cruore, & in aerem proiecto, exclamauit ; *Vicisti tandem*

tandem Galilæe. Quibus impiis vocibus emissis, periit, & Christianos omnes magno metu liberauit. Ammianus Marcellinus scribit, eum suscepisse templi Hierosolymitani instaurationem sumtibus immodicis; sed impeditum esse opus ædificationis flammarum globis horrendis, qui è fundamentis crebris assultibus eruperint, operantesq; exusserint, ac inaccessum locum illum plane reddiderint.

Iouianus, seu Iouinianus ad Imperium vocatus à militib⁹, Christianum se esse clamauit, nec velle imperare militibus idola colentibus. Cui respondit exercitus, se quoq; Christum colere. Mox igitur Imperator factus est, & Christianos exules omnes reuocauit, ac in sedes, vnde electi erant, reposuit.

Valentinianus fauit Christianis maxime, & propter Christi professionem à Iuliano relegatus fuit, cum ædituum, à quo aqua lustrali aspersus erat, in templo Fortunæ, pugno cæcidisset.

Valens initio orthodoxam doctrinam professus est, sed postea deductus ab vxore, hæresin Arii amplexus est, proque ea tanta constantia propugnauit, vt omnes ei aduersantes partim exilio, partim morte vindicare conatus sit. A fratre Valentiniano admonitus, vt desisteret, non solum de acerbitate sua nihil remisit, sed asperior identidem factus ingenti rabie, sæuiit aduersus Orthodoxos, in Oriente: multosque igne, gladio, & aqua è medio sustulit. Gothis

quoque Doctores Christianos petentibus misit Arianos, à quibus eadem hæresi infecti sunt. Iccirco pœnas tandem iustas Deo soluit, & à Gothis, quos infuso animæ veneno deprauarat, in prælio victus, in quodam tugurio, ad quod confugerat, igne iniecto absumptus est.

Gratianus, Princeps vere Christianus, hæreticos ex agris & finibus Ecclesiæ exterminauit, & Orthodoxam religionem vnice fouit ac propagauit.

Valentinianus II. Imperator Occidentis, sectatus est paternam pietatem, cum consorte Imperii Gratiano Ecclesiam tutatus est, exules reuocauit, & Eunomianos, Photinianos, ac Manichæos expulit.

Theodosius Magnus, portus tranquillus & tutus Ecclesiæ, magis gauisus est, se membrum Ecclesiæ esse, quam quod in terris regnaret. Morbo arreptus, baptismum ab Acholio Episcopo Thessalonicæ Orthodoxo accepit. E morbo autem recreatus, edicto sanxit, ne quis Catholicus haberetur, nisi secundum Apostolorum dogmata crederet, vnum esse DEVM, tres vero distinctas diuinitatis personas, eiusdem essentiæ, maiestatis, & potentiæ. Hoc velut fulmine territi Ariani, cesserunt Constantinopoli. Contra vero Orthodoxi, qui Homousiani dicebantur, templa & oratoria læti recuperarunt. Vnde lux veritatis cœlestis ingens toto Christianorum orbe effulsit. Nam & symboli Nicæni decreta confirmauit, & πνευματομάχους profli-

profligauit. Filios Imperii consortes fecit; ac alteri quidem Arcadio Orientis, alteri vero Honorio Occidentis Imperium tradidit. Ipse pacatis iam omnibus, nimium ira atque incitatione inflammatus, cum audisset Thessalonicæ in tumultu & seditione quosdam interfectos esse, non inquiri in auctores, sed promiscue sontes pariter & insontes trucidari iussit. Atque ita ad septem millia hominum mandato ipsius interierunt. Quod temerarium factum arguens Episcopus Ambrosius, à communione eum repulit. Ac obsequutus Imperator Ecclesiasticæ potestati, castigationem æquissimo animo tulit, nec nisi post octo menses absolutionem impetrauit, & in Ecclesiam receptus est. Diem suum obiit Mediolani, anno Christi 395. sepultus Constantinopoli. Post diem quadragesimum Diuus Ambrosius in templo, præsente Honorio, Orationem, Theodosii laudes continentem, recitauit, quæ Tomo III. operum eius extat, & lectu est dignissima. Fuit autem mors Theodosii vere fatalis ad ruinam & interitum Imperii Occidentalis, vt secum abstulisse pacem Ecclesiæ & Reipubl. pene omnem videatur.

Arcadius, Orientis Imperator, constanter retinuit symbolum Nicænum. Reprehenditur tamen, quod nimiam potentiam indulserit Eudoxiæ vxori, quæ inimica fuit Iohanni Chrysostomo, taxanti eius fastum.

Honorius, Arcadii frater, post patrem Theodosium Occidentem tenuit, ann. 31. Eius tempore

Ecclesia Dei, maximam ex omni parte iacturam, labemque contraxit. Nam Gothi ac Vandali Occidentis Imperium inuaserunt, & Ecclesiam ipsam crudelissime afflictarunt. Grauissima est de hac strage querela Hieronymi ad Gerontiam, quæ ad misericordiam allicere omnes Christianos iure debet.

Theodosius II. Arcadii filius, tenuit Imperium Orientis à morte patris annos 42. Princeps fuit eruditus, firmus in doctrina symbolorum, & recte inuocans Deum. In Ecclesiis concordiam constituit. Conuocauit piam Synodum Ephesinam, in qua Nestorii impietas damnata est. Mos ei fuit, mane precationes dicere, & Psalmos canere cum coniuge Eudocia, & sororibus. Scripsit sua manu libros Noui Testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit. Ecclesiæ doctores amauit, fouit, & eorum consuetudine delectatus est. Bibliothecam Byzantii vndique veteribus libris Ecclesiasticis & Ethnicis coemtis valde auxit.

Valentinianus III. vltimus fuit Imperator Occidentis, vsque ad Carolum Magnum, etsi interea multi seditiosi nominari Imperatores voluerunt, qui tamen vix exiguam partem Italiæ habuerunt. Relicto igitur Occidentis Imperio, Orientis Imperatores tantum breuiter recensebo.

Sublato Valentiniano III. in Oriente successit Martianus, qui vt Ecclesiæ discordias sedaret, cum Persis & Vandalis pacem fecit. Synodum Chalcedonensem, Oecumenicam quartam,

tam, indixit, in qua anathemate percussus est Eutyches. Interfuit ipse disputationi, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur.

Leo Magnus Imperator in Oriente electus est, anno Christi 457. Princeps fuit alienus à falsis dogmatibus. Ideoque sub eo Ecclesiæ minus turbatæ sunt, nec Episcopi recte sentientes ex suis sedibus expulsi.

Leo iunior, Nepos Leonis Magni, patri Zenoni coronam vltro tradidit. Hic Zeno Basiliscum tyrannum Eutychianum, qui multas in Ecclesia turbas dederat, in exilium relegauit, & Episcopos sinceros Ecclesiæ restituit.

Leoni ac Zenoni successit Anastasius Dicorus, seu Silentiarius, qui palam defendit Eutychianos, & Episcopos ipsis aduersantes expulit ex suis Ecclesiis. Conuocauit impiam Synodum Sidoniam contra Heliam, Episcopum Armeniæ, & alios recte sentientes. Cum imperasset annis 27. fulmine ictus interiit, Anno Christi 521.

Anastasium secutus est Iustinus Thrax, qui mox initio Imperii Chalcedonensem Synodum se amplecti ostendit, & constanter in ea sententia permansit. Episcopos, qui errores contra receptas Synodos defendebant, remotos ab officiis expulit in exilia. Seuero, Antiocheno Episcopo, linguam præcidi iussit, vt blasphemiarum pœnas daret. Hæc seueritas Ecclesiis Orientis profuit. Cum Pontifice quoq; Romano Hor-

misda consensum pium atque Orthodoxum pactus est.

Iustinianus, natus ex sorore Iustini, Ecclesias summa pietate & cura constituit. Tum legem tulit, vt nemo nisi Orthodoxus Rempubl. gereret. Labe Ariana infectos bonis priuauit, & suppliciis vindicauit. Hac seueritate tãtum effecit, vt exteri etiam multi, abiecta idolomania ethnica, vltro fidem Christianam amplexi sint. Synodum etiam Constantinopoli indixit, quæ dicitur vniuersalis quinta, in qua confirmata sunt decreta præcedentium Conciliorum vniuersalium quatuor, & damnatus error Samosateni, Arii, Nestorii, Eutychis, & alia cum Orthodoxa fide pugnantia. Nec tamen pie & constanter satis in hoc genere versatus est. Nam supremo pene vitæ tempore in errorem horrendum prolapsus est, à quo vt desisteret, admonitus est ab Eutychio, Constantinopolitano Patriarcha; sed parere noluit, ac patriarcham loco mouit.

Iustinus Iunior, Iustiniani Nepos ex filia, eiectos Episcopos Constantinopolim accersiuit, eisque mandauit, vt in suum quisque Episcopatum reuerteretur, in religione vero noui nihil moliretur. Duæ res valde dignæ memoria in huius Iustini gubernationem incidunt: Initia Exarchatus, & Regni Longobardici in Italia.

Tiberius Anicius Constantinus, à Iustino ipso Cæsar designatus, mansit constans in professione piarum Synodorum, nec permisit turbari Ecclesiam.

Mauri-

Mauritius Cappadox, gener Tiberii, successit socero, Anno Christi 584. sub quo Turcarum nomen primum fuit auditum; & Ecclesiæ in Italia, Gallia, & alibi, à persecutoribus misere conquassatæ sunt. Interfectus est per insidias cum vxore & liberis in conspectu Phocæ tyranni. Anno Domini 604.

PAPÆ ROMANI, A SYLuestro Primo, ad Bonifacium Tertium.

SYluester I. natione Romanus, Miltiade mortuo, populi suffragiis inuitus ac repugnans, Episcopus Romanus designatus est, anno Christi 316. Factus Episcopus, docendi munere fideliter functus est, & vitiosa in ordine Ecclesiastico multa emendauit. Decessit absque martyrio. Tribuuntur illi multæ & superstitiosæ constitutiones, quæ ex libro Conciliorum, Platina, & aliis, minori negotio peti, quam huc describi possunt.

Marcus Episcopatu Romano defunctus est, A. 2. M. 8. D. 20. si Platinæ credimus.

Post Marcum Episcopus constitutus est Iulius I. sub quo Synodus Nicæna fuit frequentata. Acerrimus fuit defensor Athanasii, & Nicænorum dogmatum. Mortuus est in extrema senecta, anno Domini 351. iuxta Balæum.

Iulii successor Liberius Primus, Nicenæ fidei professor fuit constantissimus, & propugnator acerrimus. Balæus tamen, & alii tradunt, eum

ex ambitione in hæresin Arianam lapsum, à fidei integritate recessisse.

Liberio in exilium à Constantio expulso, in locum eius ab Arianis surrogatus est Felix II. & communione eorum maculatus; vir alioqui Catholicus, & qui incorruptam seruaret Nicææ expositam fidem, nisi quod in suspicionem venit, propterea quod eligi se ab hæreticis, & coniungi cum illis passus est.

Damasum Hispanum fuisse, plærique prodiderunt. Scripsit vitas Romanorum Pontificum: hæreticos etiam scriptis & voce condemnauit: de adulterio accusatus, se purgauit. Contra eum in schismate turbulento electus est Vrsicinus quidam.

" Siricius, primus coniugio ministris Eccle-
" siæ in Occidente interdixit. Certamina cum hæreticis aliquot habuit. Manichæos Romæ deprehensos communione priuauit, & exilio damnauit. Familiaris fuit Ambrosio Mediolanensi Episcopo. Mortuus est circa annum Domini 400.

Siricio Papæ successit Anastasius, sub Arcadio & Honorio Impp. de cuius gubernatione, vt & aliorum plurimorum, præter constitutiones, pauca reperias.

" Successor Anastasii fuit Innocentius I. qui
" primus decreuit, vi cogendos esse hæreticos, ad
" amplectendam fidem Catholicam. Excommu-
" nicauit Arcadium Imperatorem, quod Eudoxiæ
" causa Iohannem Chrysostomum sede sua mo-
" uisset. Pro primatu Romanæ Ecclesiæ strenue
" laborauit. Zosi-

Zosimus, natione Græcus, ad Episcopatum ascendit, sub annum Christi 418. Idem sedulo in Synodo VI. Carthaginensi in id incubuit, vt Romanæ Ecclesiæ primatus firmaretur: idque tentauit falsatione Canonum Nicenorum. Sed eius, & successorum dolus ac deprauatio à patribus est animaduersa, detecta, & refutata; vt patet ex actis Synodi VI. Carthaginensis. Contra Pelagium, ipsiusque hæresim passim grassantem, strenue pugnauit. Cum Augustino familiaritatem habuit. Habuit & Hesychium, Salonitanum Episcopum amicum. Ecclesiam superstitiosis ceremoniis & decretis onerauit: quam rexit annum 1. menses 8. dies 25.

Bonifacius Primus Romanus, ad gubernationem Ecclesiæ Romanæ ascitus fuit, Anno Christi 420. Certamen, quod Zosimus, canonum Nicenorum falsator, de iurisdictione Romanæ Ecclesiæ in Africanas susceperat, cum VI. Carthaginensi Synodo, continuauit, & multo acrius ac impudentius missis legatis pro primatu bellauit. Sed non potuit id, quod volebat, obtinere. Contra eum in schismate creatus fuerat EVLALIVS, à Synodo depositus.

Celestinus Primus Italus, Bonifacio substitutus est, Anno Christi 424. Certamina contra hæreticos suscepit. Gratiam Christi contra Pelagium, & alios liberi arbitrii assertores defendit. Et quoniam eius temporibus Constan-

tinopolitanus Episcopus Nestorius, & ipse nouum quoddam, & in Christum blasphemum dogma in Ecclesia disseminare cœperat; dedit ipse Cœlestinus sedulo operam, vt in prima statim herba, & priusquam altius radices agerent, ista blasphemorum zizania euellerentur: ipseque disseminator si non reduceretur, at saltem reprimeretur. Hoc suum studium in reprimenda hæresi Nestoriana communicauit etiam cum Cyrillo Alexandrino Episcopo, Iohanne Antiocheno, Iuuenali Hierosolymorum & aliis. Pro primatu Romanæ Ecclesiæ impudentius, quam antecessores, pugnauit cum VI. Carthaginensi Synodo.

Sixtus, siue Xystus III. post Celestinum ad Ecclesiæ Romanæ regimen accessit, anno Christi 433. Certamina etiam aliqua subiit, non tam pro reprimendo Nestorio, aliisque hæreticis; & puritate doctrinæ conseruanda; quam pro infamiæ nota à propria persona repellenda, & dignitatis authoritate retinenda, maxime vero pro Ecclesiæ suæ primatu proferendo.

Leo I. cognomento Magnus, natione Thuscus, Episcopus Romanus electus est, anno Christi 440. De tota eius gubernatione testari possunt epistolæ ipsius ad Imperatores, ad concilia, ad Ecclesias diuersarum prouinciarum, & Ecclesiasticas personas scriptæ. Commendatur omnium maxime Epistola eius ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum missa: qua hæreticum ac blasphemum Eutychis dogma impu-

impugnat. Theodosio Imperatore defuncto, instabat apud Marcianum, eumque ad cogendum Chalcedonense Concilium exstimulabat. In scriptis eius elucet summa vis ingenii, & mira in repellendis hæreticorum ictibus dexteritas. De primatu Romanæ Ecclesiæ certare exemplo maiorum suorum non intermisit. Sed astutius rem egit. Missos enim fecit Africanos, & tentauit aliis interea persuadere, Romanam Ecclesiam esse omnium summam, atque eo modo paulatim alias sibi subiicere: vt testantur multæ eius epistolæ. Attilæ, sæuissimo Hunnorum Regi, Italiæ & aliarum prouinciarum vastatori, iam etiam ad Vrbem Romam euertendam accedenti, occurrit cum altero consulum, & parte senatus non modica; eique persuasit, præter omnium opinionem, vrbi vt parceret. Idem etiam postea Vandalorum tyrannum Gensericum, hominem ferocissimum in Orthodoxos & Catholicos, ad vrbem vocatum ab Eudoxia in vltionem sui perempti coniugis Valentiniani, ita demulsit, vt spoliis & direptionibus contentus, à cædibus & incendiis abstineret: vt Platina author est.

Leoni ad meliorem vitam translato subrogatus est HILARIVS Primus, Sardis oriundus, Anno CHRISTI 461. Hic Eutychen, Nestorium, & Dioscurum hæreseos damnauit: sed principatus Ecclesiæ Romanæ fuit studiosus.

Hilario successit SIMPLICIVS, Tiburtinus, Anno Christi 467. qui Ecclesiarum omnium pri-

mam Romanam declarauit. Petrum Alexandrinum Episcopum hæreseos Eutychetis sectatorem damnauit: idque ad criminationem Acacii Constantinopolitani Episcopi.

Felix Tertius Romanus, ad Episcopatum electus est, Anno CHRISTI 483. Certamen pro Ecclesiæ Romanæ primatu more suorum antecessorum acre suscepit, contra Acacium Constantinopolitanum Episcopum, eumque ideo excommunicauit, quod sine Romani Episcopi authoritate Iohannem Alexandrinum ab officio remouerat, Imperatoris iussu. Sed Acacius nihil curabat eius iram, ac vicissim nomen Felicis ex sacro albo expungebat.

Felici successit Gelasius I. natione Afer, anno post Christum natum 494. Contra Eutychen, Nestorium, & Arium, libros conscripsit. Pro primatu Ecclesiæ Romanæ omnibus viribus decertauit. Anastasium Imperatorem excomunicauit, quod hæreticis & Acacio faueret. Hoc suo neruo vsus etiam est aduersus Vandalos, Ariana hæresi infectos, qui Catholicos cruciatibus & suppliciis afficiebant.

Anastasius II. hæresin Nestorianam & Eutychianam amplexus est. In morte dum ventrem exoneraret, intestina in latrinam emisit, more Arii. Vixit temporibus Theodorici, Regis Italiæ.

Anastasio mortuo, non sine magna cleri discordia Pontifex creatus est SYMMACHVS, natione Sardus, qui competitorem habuit Laurenti-

rentium. Vnde omnium consensu concilium Rauennæ indictum est; discussaque re, Theodoricus, qui tum Romam obtinebat, etiamsi Arianus esset, Symmachum tamen Episcopum confirmauit. Scripsit hic Symmachus ad Anastasium Imperatorem, qui hæresin Eutychianam fouebat, admonitoriam epistolam, qua eum grauiter obiurgauit, propterea quod hæreticis communicaret. Manichæos stabilita dignitate Vrbe expulit, libris eorum publice crematis.

Symmacho successit Hormisda, Anno Domini 515. Anastasio Constantinopoli imperante, & Theodorico in Italia. Ad primatum acquirendum, alium gradum posuit. Cum enim hactenus Romani pastores beneficio Synodi Nicænæ Archiepiscopi essent; Hormisda effecit, vt ab Imperatore Iustino superiori quadam dignitate donarentur, nimirum Patriarcharum: vt refert Isidorus. Hortante Theodorico, prouincialem Synodum in vrbe habuit, omniumque consensu Eutychianos, iam antea refutatos, damnauit. Manichæos etiam Romæ repullulantes expulit. Filium habuit Siluerium nomine, qui postea Episcopus Romanus factus est.

Iohannes I. natione Thuscus, ex presbytero Pontifex Romanus factus est, Anno Dominicæ natiuitatis 523. Cum autem Iustinus Imperator, amore religionis Christianæ, hæreticorum, & præsertim Arianorum Ecclesias destruere decreuisset; Theodoricus Rex hæresi

Ariana pollutus, misit hunc Iohannem Constantinopolim ad Imperatorem Iustinum, pro hæreticorum Ecclesiis conseruandis, minitans, se quoque Orthodoxorum Ecclesias subuersurum, nisi Iustinus Arianorum templa intacta relinqueret. Iohannes itaque Constantinopolim profectus, maximo honore susceptus est, & omnia, pro quibus venerat, impetrauit. Cum vero Constantinopoli in Italiam applicuisset, criminatus, quod consilia Imperatori Iustino contra Regem Theodoricum dedisset, in custodia detentus est, atque Rauennam missus, in qua fame, siti, carcerisque fætore diu cruciatus, tandem obdormiuit, Anno Domini 527. Constituisse dicitur, vt Imperator subesset Romano Pontifici.

Felix IV. natione Samius, patria Beneuentanus, Patriarcham Constantinopolitanum, Athanasium nomine, propter hæresin excommunicauit. Mortuus est anno Domini 530.

Bonifacius II. patria Romanus, electus est in schismate cum Dioscoro presbytero, Iustiniano imperante. Nam & Dioscorus, diuiso bifariam clero, in Felicis locum surrogatus est: sed eius mors certamen diremit. Quapropter solus Episcopatum Romanum adeptus Bonifacius, statim Clerum, qui Dioscorum elegerat, sibi reconciliauit. Vigilium diaconum post se Papam eligi decreuit, quod tamen postea rescindens combussit. Obiit Anno Domini 532.

Iohannes II. patria Romanus, cognomento Mercurius, propter vim eloquentiæ, dictus,

An-

Anthemium Constantinopolitanum Patriarcham hæreseos Arianæ damnauit. Rebus humanis exemptus est, Anno Domini 534. sub Imperatore Iustiniano.

Agapetus I. natione Italus, patria Romanus, à Theodato Gothorum Rege orator missus est Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem, à quo tentabatur, vt Eutychianam hæresin approbaret. Quum vero Iustinianus cerneret, Agapetum ab hæresi ista abhorrere, precibus minas addidit. Tum Agapetus; *Ego* (inquit) *ad Iustinianum Imperatorem Christianissimũ venire optaui: sed Diocletianum, vt video, inueni.* Hac libertate loquendi permotus Iustinianus Imp. hæresin amplecti desiit. Non multo post Agapetus subito morbo correptus Constantinopoli ex hac vita excessit, anno Domini 535. Cadauer eius arculæ plumbeæ impositum, Romam delatum est.

Siluerius, Hormisdæ Romani Episcopi filius, cum Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, hæreticis fauentem, ab Agapeto prædecessore suo depositum, restituere nollet, mandante Theodora Augusta, Iustiniani coniuge, à Belisario Episcopatu Romano priuatus, & in exilium pulsus est: mortuus exul & cucullatus in insula Ponto, Anno Domini 537. non sine opinione martyrii.

Vigilius, patria Romanus, Episcopus Romanus in schismate factus est, astu & opera Theodoræ Augustæ. Romanam Ecclesiam aliarum matrem haberi voluit. Propter Anthemii

mii hæresin, quam reprobauit, Constantinopoli in carcerem coniectus, & tandem in exilium pulsus fuit, mortuus ex calculo Syracusis in Sicilia, Anno Domini 554.

Pelagius I. patria Romanus, primatum Ecclesiæ Romanæ non à Synodis, aut ab hominibus, sed ab ipso Christo proueniſſe, primus asseruit. Obiit Anno Domini 566. De tempore quo præfuit Ecclesiæ, nondum interscriptores constat.

Iohannes III. contra Antecessorem Pelagium sanxit, ne quis appellaretur summus sacerdos, aut vniuersalis Episcopus. Obiit Anno Domini 576.

Benedictus I. creatus est Episcopus Romanus, quo tempore Longobardi Italiam deuastabant. Mortuus & consumptus dolore ac solicitudine animi, quem in calamitatibus Vrbis Romanæ conceperat, Anno Domini 582.

Pelagius II. Episcopus creatus est, Imperatore Tiberio Constantino Augusto. Concilia, præsertim generalia, non debere celebrari contra voluntatem Episcopi Romani, mandauit. Eius tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt diluuium renouatum crederetur. Ex quibus tanta inundatio secuta est, vt muros Vrbis transcenderet, & magnam bestiarum, maxime serpentium, multitudinem secum traheret: quæ ex aeris corruptione putrefactæ, pestem induxerunt, qua Pelagius extinctus est, Anno 590.

Post Pelagium Pontificale munus inuitus suscepit Gregorius Magnus, natione Romanus,

nus, qui primus omnium Pontificum se seruum seruorum Dei nominauit. Titulum Vniuersalis Episcopi omninò auersatus est, atque abominatus, fidenter inquiens; *In istud scelestum vocabulum consentire, nihil aliud esse, quam fidem perdere.* Et quod quisquis se vniuersalem Episcopum vocat, Antichristum præcurrat: quia superbiendo se cæteris præponit. Agnouit quoque se subditum Mauricii Imperatoris, & filiorum eius. Pro religione contra Iudæos, falsos fratres, & hæreticos, multa sustinuit certamina, Quatuor Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, decreto publico confirmauit. Multas afflictiones eum sustinuisse, facile æstimari potest ex statu illo, qui tum temporis in Italia fuit, dum Longobardi cædibus & rapinis passim sæuirent, Ecclesias vastarent, & Christianos tum trucidarent, tum in tristem seruitutem abducerent. Ipsum quoque Mauricium Imperatorem offensum habuit, vt passim in suis Epistolis ad amicos conqueritur. Scripsit libros quam plurimos, qui post mortem eius ab æmulis sunt combusti: quidam vero intercessione Petri Diaconi sunt seruati. Obiit Anno Christi 606. sub Phoca Imperatore. Idem Gregorius Magnus Pontifex primus est, qui vsum Imaginum in templis palam propugnarit: Apud Patres enim Orthodoxos, qui ante ipsum fuerunt, nihil simile reperitur.

Neque vero mirum: fuit enim superstitionum, tanquam Monachus, egregius patronus, ac ce-

ac ceremoniis & ritibus pluſquam Iudaicis Eccleſiam Chriſti mirum quantum onerauit. Poſt huius Gregor. Magni tempora ſecutæ ſunt maiores tenebræ, quam prius: deperiit doctrinæ puritas, Eccleſiaq; humanis traditionibus mirum quantum obſcurata fuit.

Sabinianus, natione Thuſcus, Epiſcopus creatus eſt, imperante Phoca Auguſto; deteſtatus eſt omnia, quæ Gregorius Magnus fecit. Scripta quoque eius abolere cogitauit. Campanarum vſum inuenit, & lampadum perpetuo ardentium.

PATRES, ſiue præclara lumina Doctorum, quæ in Eccleſia Chriſti fulſerunt à tempore Conſtantini Magni vſque ad Phocam.

ATHanaſius natus Alexandriæ, tuba ingens & lumen Eccleſiæ, oraculum orbis, Doct. certaminum, propugnaculum veritatis, & Pater rectæ fidei, à Nazianzeno, Epiphanio, & Theodoreto merito appellatur. Alexandro, Alexandrino Epiſcopo morituro deſignatus eſt ſucceſſor, Anno Chriſti 325 Erat autem id temporis Eccleſia miſere turbata & conuulſa Arii furore, vt facile perſpiceret Athanaſius ſibi in medium rerum omnium certamen atque diſcrimen deueniendum eſſe. Itaque repulit à ſe illud munus, & vix tandem Alexandri morituri authoritate commotus accepit, quaſi diuino munere donatus Eccleſiæ. Vitæ & actionum

eius

eius cursus non dissimilis fuit Comœdię, quinque exiliis tanquam actibus distinctus atque variatus. Initium duxit ab Eusebio, Nicomediæ Episcopo, homine astuto & scelerato. Cum enim Arius in Concilio Nicæno damnatus, literis supplicibus ad Imperatorem Constantinum Magnum datis sancte promisisset, se nihil deinceps contra Orthodoxos esse tentaturum, redire Alexandriam iussus est. At Athanasius admittere eum noluit, rationemque sui facti ad Cæsarem perscripsit; nempe quod semel damnatum hæreseos ab Ecclesia non fas esset recipere, absque legitima cognitione Ecclesiæ; præsertim cum nulla pœnitentiæ signa in eo apparerent. Quod Imperator Constantinus Magnus moleste ferens, minari Athanasio, nisi imperata faceret, cœpit. Hinc ergo Eusebius, dux Arianæ factionis, insectandi occasionem, & calumniandi materiam sibi datam existimans, crimina nefaria commentus est, quibus innocentem Athanasium tanquam inclinatum parietem euerteret. Finxit n. noua ōnera imposuisse Athanasium Ecclesiis per Ægyptum, & Imp. vitæ insidias parasse. Sed accersitus isto nomine Cōstantinopolin Athanasius, innocentiam suā sic probauit, vt cum testimonio honorifico Cæsar illum remiserit Alexandriam, plane diuinū virū esse, per literas declarans. At non contenti hostes hoc præclaro testimonio de innocentia Athanasii, mox alia crimina finxerūt homicidii & magiæ. Nā & Arseniū ab eo occisum esse arguebant, & manū mortuā ostentabant in arca quadam

dam conditam, qua ad incantationes vſum eſſe Athanaſium dicebant: tum profanata etiam ab eo eſſe ſacra clamitabant. Quibus criminationibus impulſus Imperator iudicem ordinabat, qui cauſa cognita, commentitia & tralatitia omnia eſſe, quæ contra Athanaſium afferebantur, deprehendit. Itaque Imperator Athanaſium ad conſtantiam in officii munere iterum hortatus eſt. Vix pacari cœperat Eccleſia Alexandrina, cum Synodus noua in Tyro ad cognoſcendam denuo cauſſam Arii ab Imperatore indicitur. In hac cum primas partes factio Euſebii teneret, noua tempeſtas inuidiæ Athanaſio impendebat. Vitam enim omnem ſibi acerbam eſſe putabant Ariani, niſi ſublato Athanaſio Arium reſtituiſſent. Itaque tela omnia vndiq; in Athanaſium intendebant. Cum vero finem accuſationum & certaminum in Eccleſia nullum eſſe videret Imperator Conſtantinus Magnus, exilio multauit Athanaſium, & Treuerim in Galliam ire iuſſit, vbi annos duos & menſes quatuor apud Epiſcopum Maximinum latitauit.

Sub Conſtantini filiis non mitiorem fortunam expertus eſt. Reuocatus quidem fuit literis Conſtantini Iunioris ex Gallia ad gubernationem Alexandrinæ Eccleſiæ: quo cum rediiſſet, querelæ iterum multiplices ad Conſtantium Imperatorem delatæ ſunt ab Arianis, de voce ὁμοούσιος, quæ Symbolo Nicæno inſerta erat, quaſi ea infinitarum diſſenſionum & concertationum cauſſa eſſet. Aliam ergo Synodum Antio-

tiochiæ Constantius indixit, in qua factio Ariana obtinuit, vt noua formula fidei componeretur: Cui cum assentiri Athanasius non posset, iterum damnatus, ac sede statuque dimotus est. In hoc altero exilio Romam ad Iulium Episcopum profugit, qui testimonio honorifico illum ornauit, & ad Ecclesiam Alexandrinam redire iussit. Sed cum ingressus est Vrbem, tumultus ab Arianis excitatus est. Iccirco exarsit iracundia Imperator, & periculi denunciatione Athanasium terruit. Quamobrem iterum cedere ille, & latebras quærere coactus, per totum Orientem exul vagatus est, nec locum, vbi tuto lateret, inuenit. Itaque ad Constantem Imperatorem in Occidente sese recepit, qui post Sardicensem Synodum, restitutionem Athanasii à fratre Constantio impetrauit. Sed non fuit diuturna ista felicitas. Nam mortuo Constante, Constantius aures patefecit Arianis, & Athanasium rursus eiici iussit, ita vt Athanasius iterum circiter annos 10. exulare sit coactus in Libyæ desertis. Interea dominati sunt in Ecclesia Ariani, & in Orthodoxos vehementer sæuierunt. Sublato è viuis Constantio, Anno Domini 361. successit Iulianus Apostata, à quo primum Athanasius sedi suæ restitutus, postea ex eadem eiectus; Contra à Valente primum pulsus, postea Alexandriam reuocatus, permansit in gubernatione Ecclesiæ, vsque ad annum septimum Valentiniani Imperatoris, mortuus placide Anno Domini 371. Insigne est inprimis eius dictum: *Verberari, Chri-*

ri, Christianorum proprium est: flagellare autem Christianos, Pilati & Caiphæ officia sunt. Episcopatum Alexandrinum pace belloque gessit annis 46. Virtutum Athanasii insignis præco est Gregorius Nazianzenus, qui in Oratione funebri non dubitat affirmare; *Athanasium laudare, idem esse, ac virtutem ipsam laudare.* Neque enim vllum Doctorem tam multiplicia certamina pro Ecclesia sustinuisse vnquam legimus.

Hilarius, Pictauorum Episcopus in Gallia, claruit sub Constantio, Iuliano, Iouiniano, Valente, & Valentiniano. Viua voce verbum Dei diserte ac fideliter docuit: Arianorum, & aliorum hæreticorum impia dogmata acerrime impugnauit: scriptis suis Ecclesias longe dissitas in Illyrico, Gallia, Italia, & alibi, erudiuit: postremo doctrinam Christi à se traditam constantia summa defendit. Pulsus in exilium, cum aliis Orthodoxis Episcopis, Anno Domini 355. in eo libros 12. de Trinitate aduersus Arianos conscripsit, & à Constantio Imperatore impetrauit, vt Anno Christi 360. de exilio rediret ad Ecclesiam Pictauiensem iussus sit. Reperit autem Ecclesiam illam misere turbatam, laceratam & corruptam insano Arianorum dogmate. Quamobrem omni ope enixus est, vt vulnera eius sanaret, & erecta Arianorum blasphemia Orthodoxam fidem restitueret. Obiit Anno Domini 372. secundum Hieronymum. Quam vero tristis & miserandus tunc fuerit Ecclesiæ status, indicant querelæ eius, quas in scriptis suis deplorat.

Phœ-

Phœbadius, Aginnensium Galliæ Episcop⁹ scripsit aureolum libellum contra Arianos.

Marius Victorinus, natione Afer, Romæ sub Constantio Rhetoricam docuit; In extrema senectute Christianam fidem amplexus est, & aduersus Arianos libros scripsit more Dialectico, valde obscuros. Floruit circa annum Domini 364.

Didymus Alexandrinus, in pueritia oculorum lumina penitus amisit. Nihilominus Alexandrinæ Scholæ cum laude præfuit, & in omni doctrinarum genere excelluit, adeo vt multi fama illius commoti, Alexandriam aduentarint, partim eum audituri, partim duntaxat visuri: quorum in numero fuit Hieronymus, vt ipse profitetur Epist. 65. qui quod nesciuit, didicit à Didymo: quod sciebat, illo docente, non perdidit. Celebris fuit Ecclesiasticus scriptor sub Constantio iuniore: In sana tamen fidei doctrina eum claudicasse, Nicephorus pronunciauit. Fuit enim assertor Origenis, & apertissimus propugnator. Contra vero hoc ei laudis Socrates tribuit, quod patronus fuerit Nicænæ fidei, & Arianis resistere, ac Sophisticen ipsorum & imposturas sermonis dissoluere potuerit. Et narrat Sozomenus, Arianis in Ægypto nihil fuisse integri, quamdiu Didymus in ea floruerit. Contra Iulianum Imperatorem, Ecclesiæ hostem, precibus pugnauit. De eius amicitia multa magnifice gloriatur Hieronymus. Vixit ad annos 90. & priuatim quidem, sine alicuius contubernio, ad mortem vsque.

Opta-

Optatus Mileuitanus Episcopus, floruit sub Valentiniano & Valente principibus: Vir fuit instructus multiplici eruditione, constanti pietate, & doctrina sincera. Scripsit libros VI. in quibus falsas Donatistarum opiniones confutat.

Basilius Magnus, Cæsareæ Cappadociæ Patriæ suæ Episcopus, patre Basilio Christiano. Fratres habuit Gregorium Nyssæ, Petrum Sebastæ, Episcopos: qui omnes eruditione & pietate excelluerunt, ac inter se concordes doctrinæ puritatem, Ecclesiarumque tranquillitatem in bona Asiæ parte retinuerunt. Cum autem Basilius puer in domestica institutione elementa literarum & Euangelii percepisset, Cæsareæ postea apud eloquentiæ & philosophiæ Doctores exercitus fuit. Inde Athenas missus, vbi tunc minora aliquanto studia erant, quam in plerisque Asiæ Vrbibus, sed locus propter veterem celebritatem adhuc appetebatur. Vsus ibi est magistro Libanio, & familiaritate Gregorii Nazianzeni. Athenis relictis, per Thraciam, & totam Asiam vagari cœpit, vt Ecclesias præcipuas videret. Hac peregrinatione absoluta, Cæsaream rediit, ac sæpe specimen eruditionis præbuit. Vocatus ab Episcopo Eusebio ad munus docendi in Ecclesia, fuit aliquando lector & interpres sacrorum voluminum. Orta autem inter ipsum, & Episcopum Eusebium simultate, & toto populo in partes sciisso, Basilius Cæsaream reliquit, ne hæc factionum initia maius incendium excitarent.

tarent. Vixit tum cum aliquot auditoribus in secessu: sed interim vicinas Ecclesias in Ponto sæpe adibat, & muniebat aduersus furores Arianos & alios. Nec diu fuit in his latebris, sed aliquanto post, cum Ariani palam grassarentur in Vrbe Cæsarea, & Episcopus ipse Antagonistam illis opponendum esse censeret; misit ad eum legatum Gregorium Nazianzenum, qui reduceret eum ex solitudine in aciem, & patriæ prælia. Difficile erat hominem doctum ex illa dulcissima tranquillitate studiorum in atrocia certamina abducere. Reuersus tamen, primum obsequio & suauitate ita senis Episcopi animum sibi deuinxit, vt concordia vere & ex animo sarta, nunquam deinde dissilierit. Aduersarios vero doctrinæ incorruptæ tanta grauitate refutauit, vt & Ecclesiæ consensum retineret, & lupos illos breui à caulis prorsus depelleret.

Post paucos annos sene Episcopo mortuo, Basilius suffragiis omnium ordinum creatur Episcopus Cæsariensis, minime tranquillo tempore. Nam & Valentis Imperatoris furor crescebat, qui antistites recte sentientes passim sedibus suis pellebat, & secutæ sunt variæ Ecclesiarum dilacerationes. Cum igitur Valens Imperator Cæsaream veniens iuberet Basilium assentiri Arianis, eique nisi obtemperaret, exilia & supplicia minaretur; *Pueris* (inquit Basilius) *illa terriculamenta proponenda esse, sibi vero vitam eripi posse, sed confessionem veritatis eripi non posse.* Fuerunt diebus aliquot continuæ & acres inter

Valentem Imperatorem & Basilium contentiones, quas tandem illustri exemplo Deus diremit. Imperator enim cum armato satellitio in templum ingressus, vt Basilium inde abduceret, subita vertigine fuit correptus, ita vt nisi Diaconi proximi manibus exceptus & sustentatus fuisset, collapsus solo corpus allisurus fuerit.

Post tyranni Valentis interitum, qui late Arianum virus sparserat, impune vagati sunt barbarici exercitus, quorum arma etiam Ecclesiarum tranquillitatem turbarunt; quæ res ingentem dolorem Basilio attulit. Sed aliquanto post accersito Theodosio, & barbari repressi sunt, & restitutæ Ecclesiæ. Bella tamen Episcoporum regiones & reditus mutarunt. Inde etiam ad extremum rixæ cum vicinis Episcopis Basilio ortæ sunt, in quibus ea moderatione vsus scribitur, vt reditus adimi sibi passus sit, sed pristinas regiones suæ inspectionis retinuerit, ne ibi Doctores impii collocari possent. Inter tot certamina consenuit Basilius Magnus, ex quibus eluctatus omnibus, feliciter florente Ecclesia, sub initia Imperii Theodosii, ex hac vita decessit, anno Christi 380. Monasticæ vitæ author esse putatur.

Gregorius Nyssenus, Basilii Magni frater, quo tempore ad Episcopatum Nyssæ peruenerit, incertum est. Aduersus Arianos & Eunomianos in tota Cappadocia vna cum Basilio, & Greg. Nazian. animo infracto pugnauit, & rem præclare gessit, vt Theodoretus aliquoties indicat. Gre-

Gregorius Nazianzenus, natus Nazianzi, oppidulo vicino Cæsareæ Cappadociæ, patrem habuit Gregorium, Nazianzenæ Ecclesiæ Episcopum, matrem Nonnam, piam matronam; à quibus ad cultum literarum ab ineunte ætate adhibitus est. Progressus ad annos pubertatis, eloquentiæ studia coluit, quorum desiderio Cæsaream primum, deinde Alexandriam, tum Athenas se contulit. Athenis in patriam reuersus, anno ætatis suæ 20. baptizatus est. Tum in solitudinem se contulit, & animum totum ad studia literarum, præsertim vero religionis Christianæ, applicauit. Inde vero reuocatus à Patre in presbyterorum ordinem inuitus cooptatus est. Non multo post relicto presbyterio in Pontum abiit, & cum Basilio vitam monasticam annis 13. sectatus est. Postea à Patre accersitus in patriam rediit, vbi Ecclesiastico munere functus est, & partem gubernationis Ecclesiæ Nazianzenæ recepit. Mortuis parentibus, patriam reliquit, & priuatus aliquandiu vixit. Hinc Constantinopolin traductus, in paruo templo Anastasiæ Euangelium docuit, occupatis omnibus templis aliis ab Arianis. Hic in certamen durum venit cum Apollinari Syro hæretico, qui tantum effecit, vt citatus seditionis reus Nazianzenus, causam ad tribunal dicere coactus sit. Quo autem magis arduum fuit hoc certamen, eo glorioſiorem exitum habuit. Inde enim constantia eius maxime eluxit, qua permotus etiam Petrus Alexandrinus Episcopus, Constantinopolitanæ Ecclesiæ E-

piscopum eum delegit. Verum cum non omnes Episcopi comprobarent electionem, sponte sua cessit Nazianzenus. Nihilominus tamen Constantinopoli in templo angusto docuit, & Theologi nomine eximio, solus post Iohannem Euangelistam, appellari cœpit. Cum autem Theodosius habenas imperii Romani accepisset, Arianos expulit, & Nazianzeno gubernandam Ecclesiam tradidit. Inde ab Arianis comparatæ sunt insidiæ per conductum quendam, qui Nazianzenum clam interficeret: sed diuinitus ex eius manibus liberatus est Nazianzenus. Quanquam autem Episcopatum recuperauit; tamen, dissidentibus Episcopis, in paternum prædium concessit, & vitam solitariam egit: pertæsus iam omnium congressuum atque Synodorum, propterea quod nullius Synodi finem vidisset vtilem, propter Doctorum dissensionem atque ambitionem. Mansit cælebs per omnem vitam. Obiit non inferior nonagenario, anno Domini 384. post mortem Basilii anno altero. Certamina maxima sustinuit contra Arianos, & Apollinaristas. Confutauit etiam passim in suis *scriptis* alios hæreticos, impugnantes aut diuinitatem Christi, aut humanitatem. Contra gentes acerrime etiam pugnauit in duabus inuectiuis in Iulianum Imp. paganismi restauratorem. Hieronymus eum aliquoties suum præceptorem nominat. Basilium ipse Gregorius honoris gratia sibi semper præposuit, & cum eo familiarissime vixit.

Epi-

Epiphanius, Salaminæ siue Constantiæ in Cypro Episcopus, didicit literas in Ægypto à Monachis, indeque progressus in Palæstinam, sectatus est monasticam vitam, in qua Philosophiam omnem ita exercuit, vt nulla fere eius pars sit, cuius non egregium aliquod documentum in scriptis suis dederit. Vtile est in primis opus illius contra 80. hæreses, quod παναρίον vocauit, velut capsulam siue arculam medicam, in qua Historiam Ecclesiæ Christi inde ab Apostolis vsque ad sua tempora complexus est, & tot errores perspicue refutauit. Mortuus est in nauigatione, Anno Domini 402. cum ex vrbe Constantinopoli in Cyprum redire voluisset. Vixit temporibus Valentis & Gratiani, fuitque contemporaneus Basilii Magni, Gregorii Nazianzeni Theologi, itemque Chrysostomi, cum quo etiam in contentionem incidit, dum ille iniquo animo tulit Origenis librorum damnationem, & hæreticos Origenis errores ab Epiphanio in Synodo Constantinopolitana publice prolatos. In qua contentione illud admiratione dignum accidit, quod vterque alteri vates fuit. Epiphanius illi futuræ depositionis ab Episcopatu; Chrysostomus huic imminentis mortis, & intercipiendi reditus in patriam.

Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, charus fuit quinque laudatissimis Imperatoribus, Valentiniano maiori, Gratiano, Valentiniano Iuniori, Theodosio Magno, & Honorio. Fuit & magni nominis in Ecclesiis Orientalibus, &

Basilio Cæsarienſi Epiſcopo, aliiſque præſtantibus Doctoribus admodum familiaris: quemadmodum indicant inſcriptiones Epiſtolarum eius ad diuerſos. Auguſtinum baptizauit, & in religione inſtituit. Antequam ad Epiſcopatum Mediolanenſem vocatus eſſet, Liguriam gubernauit. Obiit Anno Domini 398. ætatis 64.

Singulari Dei prouidentia factum eſt, vt pullulantibus hæreſibus Arianorum & Pelagianorum, inſignes Doctores eodem fere tempore excitarentur. Ambroſii enim & Baſilii Magni tempora attigit Hieronymus Stridonenſis Pannonius, Romæ Damaſi tempore educatus, qui ſub annum 390. claruit. Is magnam Europæ partem peragrauit, vt cum viris doctis colloqui poſſet; tandem in Iudæa vitæ ſedem ſibi delegit in agro oppidi Bethlehem, vbi plæraque ſcripſit eorum, quibus hodie fruimur. Peruenit ad ſummam caniciem, mortuus Bethlehemi Anno Chriſti 416.

Iohannes Chryſoſtomus, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, natus Antiochiæ ex familia nobili, Rhetoricam primum didicit à *Libanio*, Philoſophiam vero ab Andragathio. In Academia Attica tantos progreſſus fecit in ſtudiis, vt in admirationem traduxerit omnes, qui eum audiuerunt. Baptizatus totum ſeſe ſacrarum literarum cultui dedidit, ac primum lector Antiochenæ Eccleſiæ, deinde Presbyter, tum Epiſcopus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ electus eſt, ac Eccleſias plurimas per Thraciam,

Aſiam,

Asiam, & Pontum curæ habuit. Libertate magna vsus est in dicendo, vt nec gratiam cuiusquam aucuparetur, nec potentiam aut minas vllius pertimesceret. A falsis fratribus odio fuit habitus, & conuitiis multis iactatus. Inprimis molestiam ei exhibuit Theophilus Alexandrinus Episcopus, qui etiam non quiescendum sibi putauit, priusquam loco eum mouisset, & Episcopatu deiecisset. Nec pauca etiam ab aulicis politicis passus est, propterea quod peccata eorum liberè reprehendit. Quin ipsam etiam Eudoxiam, Arcadii Vxorem, sibi infestam reddidit, quæ à marito impetrauit, vt coacta Synodo ab Episcopis aduersariis damnaretur Chrysostomus, tanquam reus criminis læsæ maiestatis. Abiit igitur in exilium in faucibus Ponti, vnde tamen non multo post ab Imperatore Arcadio reuocatus est. Restiturus iterum reprehendit Imperatricem propter ludos quosdam, & homiliam perorauit in Ecclesia, quæ sic incipit: *Rursus Herodias insanit, rursus saltat, rursus in disco caput Iohannis accipere quærit.* Ob hanc libertatem, ab Arcadio Imp. iterum in exilium proiectus est. Cum venisset ad Pontum Euxinum, dolore capitis & febri corrept⁹, diem obiit, Anno Domini 407.

Aurelius Augustinus, natione Afer, non postremus inter Ecclesiæ Doctores censeri debet. Carthagine in Rhetoricis institutus, per nouem annos Manichæorum sectator fuit. Vitam ipse suam magna ex parte in Confessionibus recenset. Postea ab Ambrosio baptizatus in vi-

am rediit, & Valerio Hipponensi Episcopo in Africa successit, circa annum Domini 390. Descendit in certamen cum plurimis hæreticis, Arianis, Manichæis, Donatistis & Pelagianis; quorum commenta grauiter refutauit, & pro Ecclesiæ dogmatibus acriter dimicauit; vt pene solus tunc in excubiis pro Ecclesia Orthodoxa fuisse videatur. Cum vero 40. annos Ecclesiam Hipponensem gubernasset, placide, ne Vrbis Hipponæ à Genserico Vandalo obsessæ, & post occupatæ, ruinam cerneret, futuro malo subtractus est, & portum cœlestem apprehendit, tertio obsidionis mense, Anno Christi 433, ætatis 76.

Cyrillus, Episcopus Alexandrinus, circa annum Christi 433. tempore Theodosii Iunioris floruit. Magna illi fuit concertatio cum Nestorio, Constantinopolitanæ Ecclesiæ antistite, qui in Ephesino Concilio damnatus est. Refutauit etiam ex professo Arianos & Eunomianos. Cum præfuisset Episcopatui annos 32. pie mortuus est, Anno Domini 444. Theodosio & Valentiniano regnantibus.

Theodoretus, Episcopus Cyri, in Syria, Præceptorem in Philosophia & Theologia habuit Chrysostomum. Scripsit Historiam Ecclesiasticam, quæ persequitur sectæ Arianæ initia, atque certamina Ecclesiæ, à primo anno Constantini Magni, vsq; ad initium Imperii Theodosii Iunioris; quod est spatium 105. annorum. Contra Eutychen non solum voce, sed stylo etiam pugnauit. Migrauit ex hac vita,

circa

circa annum Christi 450. non admodum senex.

Prosper Aquitanicus, Episcopus Rhegiensis in Gallia, claruit anno Christi 460. Fuit Pelagianæ hæreseos acerrimus impugnator. Scripsit & alia, Chronologica iuxta, ac Theologica.

Vigilius Martyr, Episcopus Tridentinus, stylum quoq; in hæreses strinxit & hæreticos. Eutychen, Sabellium, Photinum, & Arium. Videtur floruisse sub Imp. Anastasio, circiter annum Domini 500.

Laboribus & vita defuncto Prospero, excitatus est Fulgentius, Afer, Episcopus Ruspensis, ciuis Carthaginensis, circa annum Christi 500. Hic vt cæteros hæreticos, ac inprimis Arianos tunc late grassantes; sic & male liberi arbitrii ineptos præcones grauiter confutauit, & doctrinæ ab Augustino, vel potius ab Apostolis & Prophetis traditæ de seruo arbitrio, acerrimus extitit vindex. Præfuit Ecclesiæ annos 25. Obdormiuit in Domino, anno ætatis suæ 65. Claruit sub Anastasio Imperatore, & Thrasimundo, Vandalorum Rege.

Maxentius, magnæ eruditionis, & egregiæ authoritatis vir in Ecclesia, floruit circa annum Christi 520. In confessione sua Synergiæ commentum, & totam Pelagianorum hæresin damnauit. Fausti Regiensis Episcopi intempestiuis clamoribus graui & docta refutatione, atque constanti zelo restitit. Epistolam, sub nomine Romani Pontificis Hormisdæ sparsam, magna παῤῥησίᾳ & grauitate confutauit.

Infinitum esset, enumerare omnes Doctores Ecclesiasticos. Sufficit, nos indicasse præcipuos, quorum monumenta extant. Fuerunt & post illa tempora, licet minus celebres, nonnulli Episcopi non indocti: sed post Augustini tempora, & eius discipulos, valde cœpit cum Romano Imperio declinare puritas doctrinæ. Ideo qui infra sequentur, non eodem loco haberi debent, quo primi illi & vetustiores Patres.

HÆRETICI PRÆCIPVI.

ARius, natione Lybs, seu Afer, Presbyter Alexandrinus, appetebat Episcopatum Ecclesiæ Alexandrinæ. Cum vero cerneret, Alexandrum sibi præferri, impatientia repulsæ, & æmulatione inflammatus, pessimam suam hæresin excudit, sub Constantino Magno Imperatore; quibus temporibus Ecclesia Christi ab externis hostibus, & teterrima tyrannorum laniena respirare cœpit. Ad Concilium Nicænum vocatus, ibique damnatus, aliquandiu iussu Constantini Magni Imperatoris exulauit. Sed pœnitentiæ simulatione, & technis Eusebii Nicomediensis aulici Episcopi perditissimi, ab eodem restitutus & reuocatus, quum in Constantinopolitanam Ecclesiam, inuito & renitente Alexandro, illius sedis Episcopo, admittendus esset, ex iussu Imp. pœna illi grauissima diuinitus inflicta est. Aluum enim exoneraturus, in publicas latrinas secessit, in quas viscera misere fœdeque ipse sua, tanquam alter Iudas,

in tor-

in torminibus deiecit, Anno Domini 336. Eius interitus anteceſſit exceſſum Conſtantini Magni vnius anni ſpacio. Floruit hæc hæreſis pluſquam 80. annos publicè in Eccleſia recepta, & totum fere Orientem atque Occidentem peruagata eſt. Ariani quoque longe tetrius & durius Orthodoxos perſecuti ſunt, quam vlli vnquam Pagani fecerant. Ac vix vlla hæreſium omnium plus detrimenti attulit, quam Ariana, quæ ipſos Chriſtianos Imperatores in Chriſtianam Eccleſiam, tanquam in viſcera ſua ſæuire, coegit. Etſi vero Theodoſii vtriuſque, Arcadii, Martiani, Iuſtiniani, pietate & diligentia, non leuiter lues Ariana repreſſa eſt; tamen extirpari ſemina blaſphemiarum & diſſidiorum ita non potuerunt, quin totius Orientis Eccleſiæ in factiones perpetuas ſcinderentur, ac inter ſe tantiſper digladiarentur, dum vniuerſos, certaminum ſæuitia & acerbitate feſſos, tandem Mahumetiſmus iuſto Dei iudicio opprimeret.

Coluthianorum hæreſis cœpit ſub Conſtantino Magno, quo tempore Arianus furor. Videtur maxime in Ægypto viguiſſe, quæ huiuſmodi corruptelarum, quemadmodum & ſerpētum, feraciſſima regio ſemper fuit. Non diu tamen perſtitit, quia à tetriori & immaniori blaſphemia, ſcilicet Ariana, ſtatim abſorpta fuit.

Donatiſtæ primum in extremis pene Africæ Occidentalis finibus, & Numidia ſe continebant: caput tamen & ipſi poſtea exeruerunt, & venena ſua latiſſime ſparſerunt. Ortum vero

est hoc malum sub Constantino Magno, & Syluestro Episcopo Romano, circa annum à Christo passo 298. etiam ante Sardicense Concilium. In Africa vero regione (vt dixi) primum inualuit hæc pestis, & Carthagine præsertim. Primus author huius sectæ Donatus fuit ex Numidia oriundus. Nam cum ad Carthaginensem Episcopatum aspiraret, eaque spe, electo sibique prælato Cæciliano, excidisset: eum perfidiæ atque abiurati nominis fideiq; Christianæ apud Ecclesiam accusauit, quod in persecutione, quæ sub Maximino acciderat, sacros Codices hostibus fidei & idololatris Christianos persequentibus comburendos tradidisset, de quo ipso ab eodem omnes alii Episcopi, qui Cœcilianum Episcopum ordinarant, accusati sunt; sed omnes falso, vt causæ euentus terapud iudices actæ docuit. Itaque nec Cæcilianum pro Episcopo, nec eius cætum pro vera Dei Ecclesia se agnoscere posse prædicabat; quæ perfidis & traditoribus sacrorum Codicum hominibus constaret, neque satis pura & immaculata ipsius iudicio esset. Atqui ipse & Donatistarum cœtus totus scatebat vulneribꝰ, & sanie non tantum erroris impurissimi, sed etiam improborum morum: vt docet sæpissime Augustinus. Collegit igitur sibi priuatim Ecclesiam homo ambitiosus, & schisma Carthagine fecit, cœtumq; suum solum esse sanctã illam Ecclesiam, quam crederemus, contendit. Quod etsi primũ irrisum est, & facilime à plærisq; refutatũ, Concilioq; Carthag. collecto damnatũ, per-

peruicacia tamen indomitaque istorum audacia defensum est, ex quo cœpit esse manifesta hæresis, tamque valida & potens euasit breui tempore, vt multos fautores haberet, tum viros, tum mulieres. Erupit igitur longius hoc venenum, nec se solius Carthaginis mœnibus coercuit, sed ita totam Africam peruasit, & infecit, vt multæ ciuitates, eæque totæ hac peste tabescerent, & corriperentur. Vnde facti insolentes illi vim in Africa Orthodoxis inferebant, donec aduersus eos missus ab Honorio Imperatore Dulcitius Tribunus militum eorum vim & iniuriam in Christianos compescuit. Nec totius Africæ regno contenti homines periuri & contumaces, in alias & transmarinas regiones traiecerunt, quas labefactarunt. Diu vero perstitit hæc hæresis, quando etiam Tiberii II. Imperatoris Constantinopolitani ætate vixit, & Gregorius Magnus de sui sæculi Episcopis & Magistratibus conqueritur, quod magna eorum culpa & negligentia fieret, vt hic tam grauis error & pestilens, tamen in Ecclesia latius serperet, & diutius obtineret. Postea tamen iugulata est hæc hæresis, atque conquieuerat, nisi miseri & insani Anabaptistæ eam ab inferis hoc nostro seculo reuocassent.

Archonticorum hæresis cœpit sub Constantio Imperatore, fuitque vltima Valentinianorũ fæx, & postremus partus. Ex quo apparet, Valentinianos, si tempus ortus & interitus eorum spectemus, pene per annos ducentos in Ecclesiam Dei grassatos esse. Author huius pestis fuit

Petrus quidam Anachoreta & monachus Palæstinus, cuius veneno tota Armenia imbuta est, vna cum Palæstina. Durauit etiam hoc malum aliquandiu in illis locis, in quibus etiam in plures sectas se dissecuit, & diuisit.

Photinus tetrum Samosateni errorem renouauit. Hæc hæresis à Photino Photiniana, à
M. Marcello Marcelliana; & à Lucio Episcopo, Luciana quoque dicta est. Fuit autem tempore prior Marcellus, Ancyræ Episcopus, Photini præceptor. Vixit sub Constantino Magno. Quum vero Asterio Ariano respondere vellet, more stultorum, qui dum vitant vitia in contraria currunt, incidit in Samosatenismum. Itaque primum Hierosolymitana; deinde Constantinopolitana Synodo damnatus, iussusque librum suum comburere, non paruit: Vnde Episcopatu abdicatus est, eidem tamen postea Sardicensi Concilio restitutus; quod se suumque scriptum nunquam intellectum fuisse diceret.

Marcello successit Photinus ipsius discipulus, acerbior Marcello, & obstinatior. Hic ex minore Galatia ortus, primum Ancyranæ Ecclesiæ presbyter fuit, post autem Sirmii, in Pannonia, Episcopus. Cœpit hæc hæresis isto Photinianorum nomine innotescere, etiam ante Nicænam Synodum; sed tamen quia nondum inualuerat, collocatur prima illius origo sub Constantino Imper. & Liberio Episcopo Romano: cuius scintillæ Sirmii primum accensæ in Asiam, & reliquas orbis regiones magna incendia postea pepererunt.

Itaque

Itaque latissime statim sparsus est hic error, cuius immani fœtore offensi Patres Orthodoxi, Sirmium conuenerunt, ibique eum communibus sententiis damnarunt, Photino ipso audito, & à Basilio Ancyræ Episcopo erroris conuicto. Tamen ad Imperatorem prouocauit, apud quē neque causam suam probare, neque obtinere potuit. Itaque Sardicensi Synodo iterum damnatus, & ab Arianis ipsis explosus est, & vt blasphemus reiectus. Tam teter nimirum & grauis habitus est vel solus istius errores odor, vt ne ab hæreticis quidem ipsis sustineri posset. Certe in constitutione Iustiniani lib. 1. Codicis inter capitales fidei Christianæ hostes Photiniani enumerantur.

Perstitit tamen hæc immanis blasphemia aliquandiu; quandoquidem Lucius quidam eam retinuisse & defendisse dicitur. Vnde Luciani Photinianis coniungi solent, tanquam eorum successores & discipuli. Fuit autem Lucius non tam Arianus, quam Samosatenianus, ab Arianis tamen in locum Georgii Orthodoxi, quem pepulerant, Alexandriæ Episcopus constitutus: qui mortuo Athanasio, illo sui seculi lumine, tam atrociter in Ecclesiam ipsam, cui præerat, sæuiit, vt primum toti populo inuisus euaserit: deinde quum in eadem sæuitia pergeret, lapidibus pene obrutus, demum Alexandria expulsus & eiectus, summo totius Ecclesiæ gaudio; Samosata translatus est, vel potius ipse profectus, illic errorem suum consimilem veteribus Samosateni repotiis propagauit.

Quæ

Quæ omnia sub Valente, Imperatore Ariano, & Syricio Episcopo Romano, contigerunt. Hæresis ea ne nunc quidem sopita est, sed à quibusdam reuocata turbat in Ecclesia Dei multos.

Pelagiani innotuerunt sub Theodosio iuniore Imperatore, & Innocentio I. Episcopo Romano, circa annũ à Christo passo 382. Ortisunt à Pelagio Britone, Monacho, Banchorensi in Cambria, siue Wallia: qui prius *Morgan* (h.e. veteri Britannorum, siue Cambrorum lingua *Pelagus*) dictus fuit: postea ad exteros profectus nomen suum mutauit. Ad quam mutationem alludit Augustinus lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium cap. 45. *Quid eo pelago vult mergi Pelagius: vnde per petram liberatus est Petrus?* Is igitur virus suum primum sparsit in Palæstina regione Syriæ, sed ibi Concilio propterea congregato damnatus, & quędam reuocare se simulans, Romam venit, vbi epistola apud Innocentium se suamque doctrinam purgare conatus est. Inde in Angliam profectus, vbique veneni sui afflatum, & semina nocentissima reliquit, quę breui tempore ita pullularunt, vt totũ Christianum orbem occuparent, & inficerent misere. Denique tam alte huius erroris radices hæserunt, vt ne hodierno quidem tempore extirpari plane possint. Damnatus tamen est hic error quatuor Synodis, Palæstina, Carthaginensi II. Milevitana, & Arausiaca.

Nestorius, Episcopus Constantinopolitanus, dogma suum spargere cœpit, anno Christi 430. sub Theodosio Iuniore Imperatore. Damnatus

natus est in Synodo Ephesina, & in exilium pulsus, vbi teterrimam mortem obiit, putrescentibus cunctis eius membris, maxime vero lingua, qua ad Dei contumeliam abusus erat, anno Domini 434. Nullum tetriorem, aut fœdiorem errorem, neque pestilentius vllum venenum Nestoriana peste Satan in Ecclesiam vnquam induxit: ex qua postea Eutychiana secuta est, deinde Mahumetana.

Eutyches, Archimandrita Constantinopolitanus, hæresim impurissimam cõdidit, sub Martiano Imp. & Leone I. Pontifice Romano: quæ velut immanis hydra innumeras postea alias peperit, & Ecclesiæ pestem, fideique Christianę internecionem in Oriente tandem prorsus attulit. Fuerunt enim duæ istæ hæreses, Nestorianismus & Eutychianismus, tempore ad Mahumetismum constituendum postremæ: quæ ipsas pietatis reliquias erroris teterrimi veneno iugularunt, & funestissimis exequiis sepelierunt.

CONCILIA, SIVE Synodi.

COncilium Nicænum, vt primum, & Generale antiquissimum, ita optimum & augustissimum est. Causa huius Concilii congregandi sanctissima fuit, ad vindicandam nimirum Christi diuinitatem, & Arium, omnium hæreticorum Principem, damnandum. Interfuerunt Episcopi 318. quasi erepti ex flammis superiorum persecutionum, viri & doctrina, & vita cõmenda-

mendatissimi. Conuenerunt enim Eustathius, Alexander, Athanasius, Paphnutius, Spyridion, Hosius, & alii, quibus nemo illis temporibus vel sanctior, vel doctior fuit. De huius Concilii Nicæni Præside, variæ sunt opiniones. Gulielmus Witakerus Controv. 3. de Concil. c. 3. q. 4. multis argumentis asserit, ipsum Constantinum Magnum fuisse summum & Maximum Præsidem: qui ipse Concilio interfuit, reconciliauit illos, qui dissidebant, & ad concordiam persuasit. Celebratum est sub Iulio Pontifice, anno 325. non sub Syluestro, vt volunt Pontificii.

Sardicensis Synodus in Illyria celebrata est, anno Christi 347. Restituit Athanasium, & alios Orthodoxos, qui ab Arianis pulsi fuerant. Confirmauit etiam decretum Nicæni Concilii.

Sirmiensis Synodus à Constantio Imp. indicta est, anno Christi 351. vt concordia in Ecclesiis inter Orthodoxos & Arianos rursum coiret. Iussu itaque Imp. scripta est confessio fidei de filio Dei, in qua pleraque cum symbolo Nicæno congruebant, sed tamen stulta spe tranquillitatis omissa est vox ὁμοούσιος. Postea cum vtraque pars ambiguam fidei formulam pro se interpretaretur, maiores dissensiones ortæ sunt. Damnati etiam sunt in hac Synodo, Sabellius, & Paulus Samosatenus.

Seleucensis Synodus à Constantio Imp. conuocata est in vrbem Isauriæ Seleuciam, anno Christi 349. in qua Ariani ex symbolo deleuerunt ὁμοούσιον, & supposuerunt ὅμοιον, Damnatus etiam fuit Aetius.

Eodem

Eodem tempore Arimini in Italia conuenerunt patres amplius 400. qui vna mente & voce Nicænum Concilium approbarunt, omnemq; καινοτομίαν, siue nouitatem in proposita ab Imperatore Constantio formula fidei reprobarũt.

Constantinopolitana I. Synodus, & Vniuersalis secunda, tempore Gratiani & Theodosii Impp. cõuocata est anno Christi 383 in qua 150. Episcopi fuerunt, ac in his præcipuæ authoritatis, Cyrillus Hierosolymæ Episcopus, Meletius Antiochiæ, Timotheus Alexandriæ: Item Gregorius Nazianzenus, qui tum Constantinopoli docebat, & Gregorius Nyssenus. Hi repetiuerunt symbolum Synodi Nicænæ; & damnarunt Macedonii Sectatores πνευματομάχους: item Eunomianos, Sabellianos, Apollinarios.

Huic Concilio Constantinopolitano generali secundo interfuit Theodosius Imperator, & aliquam authoritatem habuit. Præsedit Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus: vt indicat Nicephorus lib. 12. c. 13.

Eodem tempore Damasus Episcopus Romanus aliud Concilium in Italia celebrauit cum Episcopis Romanis. Et illud est hic obiter obseruandum, non illud Italicum Concilium, in quo ipse Damasus adfuit, generale & Oecumenicum Concilium habitum & appellatum fuisse: sed hoc Constantinopolitanum, cui Orientales tantum Episcopi interfuerunt. Quod argumento est, non tantam tum fuisse Pontificis Romani authoritatem, quanta nunc est.

Ephesina Synod⁹, tertia Vniuersalis, à Theod. Iunio-

Iuniore Imp. conuocata, anno Christi 433. Præside Cyrillo, Episcopo Alexandrino, refutauit Nestorium hæreticum. Conuenerant Episcopi amplius 400.

Anno Christi 448. Synodum Constantinopoli conuocauit Flauianus Episcopus, in qua ferme 40. Episcopi fuerunt, causa Eutychis, qui cum hæresin suam palam defenderet, de gradu deiectus est.

" Ephesina II. Synodus, à Theodosio Iuniore
" Imp. conuocata, anno Christi 449. præside Dioscoro, Alexandriæ Episcopo, fouit partes Eutychis, & à gubernatione Ecclesiæ Constantinop. remouit Flauianū, virum sanctissimū, qui Eutychen oppugnabat. Vocata est hæc Synodus λῃστρικὴ, i. e. prædatoria, vel latrunculorum concursus, propter vim, terrores, minas, atque pugnas, quas Eutychiani in ea adhibuerunt.

Chalcedonensis Synodus, Quarta Vniuersalis, Episcoporum 630. tempore Martiani & Valentiniani Impp. celebrata est, circa annum Christi 458. Damnauit Eutychen Archimandriten Constantinopolitanum, & Dioscorum Alexandriæ Episcopum.

Constantinopolitana Synodus, Quinta Vniuersalis, celebrata est anno Christi 555. edicto
" Imperatoris Iustiniani, in qua Patres 165. congregati fuerunt, propter Origenis dogmata, quæ applausu magno iactabantur, turbasque in Ecclesia dabant. Inprimis autem rata habuit decreta Oecumenicarum Synodorum.

Succedit nunc Status Ecclesiæ, post stabilitam Hierarchiam Romanam. IMPE-

IMPERATORES ORIENTIS à Phoca vsque a Caroli M. tempora.

QVarta ætas Ecclesiæ adhuc fuit deterior, à Phoca parricida, qui omnia indulgebat Pontificibus, vt facinora sua expiaret, vsque ad Carolum Magnum: & quia Roma illis temporibus à Barbaris deuastata fuerat, & Imperatores Constantinopolim commigrarant, sedem, & exarchatum, omneque dominium ad se rapere cœperunt Pontifices: Tunc vtrunque gladium acceperunt Papæ, tunc contra εἰκονομάχους in Oriente disputatum est: Tum Roma fuit asylum Idolorum: Tum veræ Ecclesiæ notę plane exufflari cœperunt: tunc Missa passim credi cœpit sacrificium expiatorium pro viuis & mortuis. Tum denique docendi munus, & gerendi curam pastoralem inter plerosque Episcopos cessauit.

Phocas igitur Imperator electus Anno Christi 602. primus ianuam patefecit Pontificibus Romanis ad omnium Ecclesiarum primatum: alias ineptus, & indignus tanto fastigio.

Heraclius in Monothelitarum hæresin incidit, quam etiam aliquot eius successores sunt amplexi. Grauiter etiam afflictus est à Cosroe, Persarum Rege, qui Palæstinam, Iudæam, ac Hierosolymam cepit, interfectis nonaginta millibus Christianorum.

In eiusdem Heraclii tempora incidunt initia horrendæ blasphemiæ Mahometicæ, & regni Saracenici.

Constan-

Constantinus Iunior, Heraclii filius, sinceræ religioni deditus fuit, extinctus veneno à nouerca Martina, adiuuante Pyrrho, Patriarcha Constantinopolitano hæretico.

Constans, filius Constantini, nepos Heraclii, non solum Monotheletarum hæresin vtraque manu recepit, verum etiam extreme eos persecutus est, quoscunque contrarium sentire, aut docere, deprehendit.

Constantinus, dictus Pogonatus, magna cura, singulari studio, incredibili pietate in hoc incubuit, vt, cum Ecclesiæ horribiliter dilaceratæ, distractæ, ac deformatæ essent à secta Monothelitarum, sextam Synodum Constantinopolitanam, quæ Oecumenica iure cognominatur, cogeret; & in ea, ventilata tota controuersia, iusto ac legitimo modo, veram sententiam perspicuis testimoniis erutam & confirmatam, amplecteretur & exequeretur, totamq; Ecclesiam tranquillitati restitueret. Qua quidem in parte, Constantini Magni exemplum sibi ob oculos posuit, & sui muneris rationem, & gloriam Dei, atque ædificationem Ecclesiæ, pio pectore expendit.

Iustinianus II. Ecclesiæ & politiæ *damni plurimum* dedit.

Leontius Imperium adeptus, Iustiniano nasum præcidit.

Tiberius Absimarus Leontio itidem nasum amputauit, & in monasterium detrusit.

Philippico oculos effodit Artemius, regnoq; expulit propter incommoda plurima, quibus Ecclesiam & politiam affecerat, Arte-

Artemius Anastasius, Orthodoxam fidem tutatus est, sed per inuidiam imperio deiectus, & in monasterium inclusus.

Theodosius Adramittenus imagines in templis restituit. Postea monasterium ingressus, vitam in eo transegit.

Leo Isaurus iussit aboleri imagines in templis, idololatriæ causa. Inde nominatus est Iconomachus, & tam ingrata res hæc accidit Romano Episcopo Gregor. III. vt contra eum fulmen excommunicationis ediderit, & Italiam ad defectionem impulerit, prohibens ei tributum soluere. Ita potestatem Imperatoris Romani à se dimouit Pontifex, seq; cum Francis coniunxit. Idem Imperator Leo, Iudæos & Montanos, vi coegisse dicitur ad Baptismum.

Constantinus, Leonis filius, vehementius, quam Pater, egit aduersus imaginum cultores, & eas abolere magna seueritate conatus est. Propterea papistæ eum ignominioso nomine Copronymum appellabant, & pessima quæque de eo prædicabant.

Leo IV. Constantini filius, patrem & auum imitatus est in delendis imaginibus, aduersantesque grauiter puniuit.

Leone mortuo, Irene, cum filio suo Constantino VII. adolescentulo decem annos imperauit. Commendantur ambo ab historicis, quod imaginum fuerint adoratores, & quod idola & ornatus eorum, quæ à maioribus suis pie erant remota, restituerint: eosque grauiter afflixerint, qui refragabãtur. Hoc tempore Saraceni quoq;

& Ara-

& Arabes, ob suæ religionis propagationem, passim Christianos afflixerunt. In Saxonia etiam Widekindus sæuiit in Christianæ professionis doctores.

PAPÆ ROMANI A BONIFACIO Tertio, vsque ad Leonem Tertium.

BOnifacius III. patria Romanus, electus est anno Christi 607. Inter Romanos autem & Constantinopolitanos Episcopos de Principatu erat contentio, quæ multis annis durauerat. Nam Constantinopolitana Ecclesia sese primá omnium asserebat, itidem faciebat Romana. Cum autem Bonifacius agnosceret, non posse Romanam Ecclesiam summa illa dignitate potiri, sine Imperatoris consensu, & videret Phocam Constantinopoleos patriarchæ esse iniquiorem, propter reprehensum scelus aduersus Mauritium perpetratum; sese insinuauit in Phocæ parricidæ amicitiam, & imaginem eius Romam missam honorifice excepit, & assentando, ac cædem eius probando effecit, vt Romana Ecclesia caput omnium aliarum à parricida constitueretur. Annuente igitur Phoca, Romana Ecclesia Pontificatus & Papatus nomen accepit, cum plenaria potestate conuocandi & dimittendi Synodos, confirmandi & abolendi ea, quæ in Synodis essent decreta. Non diu autem Bonifacius in isto fastigio sedit, sed mense nono, morbo correptus, interiit, anno Christi 608.

Boni-

Bonifacius IV. in magno pretio habuit vitam monasticam, conuertit Pantheon in templum omnium Sanctorum.

Sublato Bonifacio, Pontificalis sedes mensibus septem, diebus 25. stetit vacua; propterea quod multis simul ad hoc fastigium honorum aspirãtibus, non poterat conueniri de electione. Tandem re diu multumq; deliberata, cecidit sors in Theodatum, quem alii Deusdedit nuncuparunt, anno Christi 615. sedit is annos tres.

Bonifacius V. scripsit aliquot epistolas in Angliam, quarum Beda meminit. Sedit annos 5. Obiit anno Domini 623.

Honorius, natione Campanus, Monothelitarum hæresi correptus est. Eiusdem tempore Mahometus sua falsa doctrina & aperta vi Ecclesias Dei turbauit.

Seuerinus, vel Seuerus, ab Isacio, Italiæ exarcho, in Pontificatu confirmatus est. Tunc enim temporis cleri & populi electio nihil valebat, nisi confirmatio Imperatoris accederet.

Iohannes IV. accedens ad Pontificatum turbulento tempore, cum Saraceni passim in Histria & Dalmatia sæuirent, omnibusque direptis homines quoq; abducerent captiuos, multa millia Christianorum numerato lytro redemit. Monothelitarum hæresin, collecta Synodo prouinciali, annuente Heraclio, vna cum authoribus & fautoribus anathematizauit. Obiit anno Domini 638

Theodorus, natione Græcus, filius Theodori Episcopi Hierosolymitani, Pontificatum

iniens, scripsit ad Rhotarin Longobardorum Regem, monens, vt ab Ariana hæresi desisteret, sed frustra. Monuit & Paulum Constantinopolitanum, Monothelitarum patronum, vt ad fidem rectam rediret. Sedit annos sex.

Martinus Primus, iussu Constantis Imperatoris Monothelitæ, lingua manuque truncatus, in exilio defunctus est, Anno Domini 659.

Martino abducto, cum de eius morte diu nihil certi constaret Romæ, vacuit sedes mensibus 14. & subrogatus est postea Eugenius Primus, patria Romanus, qui sedit annos 2. menses 9.

Vitalianus, author musicorum organorum in templis, sedit annos 14.

Adeodatus Romanus ex monachatu ad culmen Pontificium conscendit. Commendatur ab humanitate, mansuetudine, & benignitate erga pauperes.

Donus, patria Romanus, sedit annos 2. menses 5. Mortuus est peste in vrbe grassante.

Agatho, natione Siculus, rogatus à Constantino Pogonato Imp. ad sextam Synodum Constantinopolitanam misit legatos, qui suo nomine confessionem exhibuerunt, in qua tum ex sacris literis, tum ex Patrum scriptis, Monotheli-tarum hæresin refutat.

Leo II. Græcæ & Latinæ linguæ fuit solide peritus, vt patet ex actis Synodicis sextæ Constanti-

stantinopolitanæ, quæ ex Græco in Latinum vertit.

Benedictus II. commendatur ab eruditione, humanitate, beneficentia, & ornatu templorum.

Iohannes Quintus, natione Syrus, patria Antiochenus, scripsit libellum de pallii dignitate.

Mortuo Iohanne, in diuersas partes populus fuit distractus. Aliqui enim Petrum Archiepiscopum, cæteri cum exercitu Theodorum presbyterum voluerunt. Tandem in Cononem incidit electio, cui tribuitur doctrina, pietas, modestia, & candor.

Mortuo Cononi successit Sergius I. patria Antiochenus, non tamen sine graui contentione. Balæus dicit, hunc Sergium cœlibatum & casti pudoris decus tam sancte custodiisse, vt aliquando natus sit, qui illum compellarit patrem. Mortuus est anno Domini 701.

Iohannes VI. natione Græcus, refertur inter martyres, sed à quo peremptus sit, non constat.

Iohannes VII. natione Græcus, vir eruditus & eloquens, pontificatum adiit anno Domini 704.

Sisinnius I. natione Syrus, post magnam cum Dioscoro contentionem, pontificiam dignitatem rapuit; & chiragra ac podagra siue ex Venere, siue ex vino, seu veneno, (vt quidam opinantur) correptus, diem obiit, cum tantum dies 20. præfuisset.

Constantinus Primus, natione Syrus, Latine & Græce eruditus, sedit annos 7. Huius pedes Iustinianus II. Imperator osculatus esse dicitur.

Gregorius Secundus, natione Syrus, ad Pontificatum accessit, anno Domini 714. In templis & monasteriis ædificandis, reparandis, & exornandis, adeo occupatus fuit, vti potius architectum, quam Pontificem egisse videatur. Imaginum & statuarum cultum, & adorationem mordicus defendit, earumque impugnatores ad mortem vsque persecutus est.

Philippicum quoque & Leonem Impp. Orientis, eo quod Iconolatriam, verbo Deo damnatam, prohiberent, Exarchatu Italiæ excussit. Cum Francis fœdus iniit, atque occasionem contra patriam suam illis obtulit, vt Romanæ Vrbis, & Romani Imperii potestatem tandem consequerentur. Obiit anno Domini 731. Leone & Constantino imperantibus.

Gregorius Tertius, imagines sanctorum auro atque argento ornauit, easque coli præcepit. Scripsisse etiam dicitur Imperatori Copronymo, vt à comminendis imaginibus desisteret.

Zacharias Primus, natione Græcus, omnibus erroribus & idolomaniis, quæ quidem tum in Ecclesiam Dei inundauerant, non tantum fuit imbutus, sed etiam eas strenue defendit, & propagauit. Childericum, legitimum Franciæ Regem, Regno priuauit, & in monasterium coniecit, subditos à iuramento absoluit, & Pipinum

num Childerico substituit, vt aduersus Imperatorem sibi vires compararet. Rachiso, Longobardorum Regi, Carolomāno principi, & Childeberto persuasit, vt attonderentur, & monachi fierent. Idem Papa Ecclesiam Orientalem & Occidentalem distraxit.

Stephanus II. ad Pontificatum ascendit, anno Domini 752. Instituit, vt Pontifex humeris hominum portetur; potestatem Reges deponendi, & alios substituendi sibi sumpsit. Passus est, vt Pipinus Francorum Rex, eiusque filius Carolus in terram procumbentes pedes eius oscularentur, sta pedes eius apprehenderent, & frenum equi tenerent. Cæsarem exarchatu Rauennatensi spoliauit.

Paulus Primus, Pontificatum adeptus, vltra 30. epistolas ad Carolum, Carolomannum, & præcipue Pipinum, Reges Franciæ, scripsit, quibus seruiliter adulatur, suam illis constantiam in retinenda amicitia pollicetur, atque hortatur, vt Romanam Ecclesiam defendant & exaltent. Nuncios Constantinopolin misit, qui Imperatori anathematis censuram minarentur, nisi sanctorum imagines & statuas restitueret. Sed in sua sententia constans Constantinus, contemptis eius exsecrationibus ac minis vsque ad vitæ suæ finem, idolis bellum intulit. Tandem Paulus Pontifex in templo Pauli æstu inflammatus, pinguedine interiit, Anno Domini 767.

Constantinus II. frater Desiderii Regis Longobardorum, armata manu Pontifex Romanus

constitutus est, postea in monasterium, tanquam in perpetuum carcerem damnatus, anno Domini 768.

Stephanus III. natione Siculus, acta prædecessoris Constantini solenniter abrogauit: Constantinopolitanam Synodum septimam, tanquam hæreticam, execratus est; statuarum cultum in ea reprobatum iterum approbauit; imagines adorandas esse docuit. Desiderium, Longobardorum Regem, regni sceptro priuari, à Cęsare Carolo Magno petiit.

Hadrianus I. patria Romanus, non minore diligentia Papale fastigium auxit, quam fecerunt antecessores.

PATRES, QVI A PHOCA ad Carolum Magnum floruerunt.

ISidorus, Hispalensis Episcopus, scripsit plurima præclara opuscula Philologica, Historica, & Theologica. Mortuus creditur sub Heraclio.

Beda venerabilis, presbyter in Anglia, scripsit multa, quæ octo tomis comprehenduntur. Obiit anno Domini 734. ætatis suæ 72.

Iohannes Damascenus, æqualis fuit Bedæ, & vt hic Occidentem, ita ille Orientem illustrauit. Scripsit aduersus Leonem Isaurum pro defensione imaginum. Item libros quatuor de Orthodoxa fide, in quibus ipse prim⁹ vniuersam theologiam methodo aliqua comprehendere est aggressus,

gressus, quod imitatus est longo post tempore Lombardus. Claruit sub Leone Isauro, & Constantino Copronymo, circiter annum Domini 730. sub Irene non amplius in viuis fuit.

HÆRETICI PRÆCIPVI.

MOnothelitæ, à dogmate sic vocati, ex Apollinaristarum & Eutychianorum fœcibus deriuantur. Eorum author primus Cyrus, Alexandrinus Episcopus: patroni autem Sergius Constantinopolitanus Patriarcha, & Macarius, sub Heraclio Imp. & Bonifacio IV. ac V. Pontif. circa annum à Christo passo 579. innotuerunt. Damnati sunt in Synodo Constantinopolitana tertia, anno Christi 680.

Papismus tandem exortus est, qui superiores omnes hæreses partim vt alueus recepit, partim vt mare absorpsit; alieno quidem nomine, sed tamen earum dogmate retento & confirmato. In neruum autem erupit hæc Ecclesiæ vniuersæ internecio, circa annum Christi 606. quando Phocas Imp. Bonifacio III. Pontifici Romano primatum super omnes Ecclesias concessit.

Mahumetismus Papismum secutus est proxime. Nam anno 12. Heraclii Imperatoris, sub extremo pontificatu Bonifacii V. circa annum à Christo passo 589. nata est primum hæc mundi lues, & hæresis plusquam blasphema, vel potius hæreseon lacuna. Totum autem Orientem & Meridiem celerrime occupauit; quemadmodũ Papismus totum Occidentẽ & Septentrionẽ. Etsi vero aliquæ in iis locis sunt Ecclesiæ: tñ q̃ misera sit illarum conditio, & q̃ deprauata sit doctrinæ

confessio, ex eo intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum, qui Orientem hinc inde habitare traduntur: nimirum: Latini, Græci, Indi, seu Æthiopes, Iacobitæ; qui & Coptitę: Nestoriani: Maronitæ: Armenii: Georgiani: Suriani, & Mozorabes. Mahumetismus autem à Mahumede dictus est, homine obscuro loco nato & egeno; sed ingenio acri, facundia, audacia; & forma insigni prædito. Hic in Arabia deserta opes magnas nactus, ex cõiugio anus quinquagenariæ, mercaturã primum exercuit; mox animum ad nouam religionem, atque regnum constituendum appulit. Quamobrem adiutus à Monacho Sergio, qui ob Arianam sectam Constantinopoli pulsus in Arabiam profugerat, ac aliis quibusdam hæreticis, & Iudæis, Alcoranũ condidit, qui religionem complectitur ex veteri & nouo Testamento compilatam, & pulchre ad hominum sensus, affectus, & voluntates accommodatam. Christum negat Deũ esse, sed hominem tantum fuisse, ait, qualis ante ipsum fuerit Moses, donis scilicet ingentibus miraculorum ornatum: se vero nuncium & prophetam Dei professus est, qui mandatum à Deo habeat armis cogendi homines ad Dei cultum, quos antea miraculis suis neq; Moses neq; Christus ad Deũ traducere potuerint. Et quo plus authoritatis haberet noua religio, & ipse etiam magis coleretur à suis, finxit congressus & colloquia mutua cum Michaele Archangelo, ab eoque sibi reuelari, & inspirari omnia, quæ ageret, dixit. Hinc secta enata est, quæ Saracenica fuit appellata,

lata, à Sara scilicet, Abrahami coniuge, quasi hęres esset promissionum, quæ Saræ & Abrahamo factæ sunt. Item Agarena, ab Agar, Ismaelis matre. Hoc fundamento iacto, incredibilis & quidem repentina inclinatio voluntatum ad eum incubuit in Arabia. Quare libertati vrbis suæ metuens, Meccæ Magistratus consilium de reprimendis conatibus eius capiendum duxit. Ille vero vbi insidias vitæ sibi paratas cognouit, Meeca profugit, stipatus multitudine affinium, propinquorum, clientum, quos omni cautione, fœdere, execratione sibi deuinxit, & Meccam cum exercitu inuasit. Redibat id temporis forte Heraclius Imperator ex persico bello, à quo Mahometus regionem adhabitandum petebat, atque etiam obtinebat: Arabes vero, qui militauerant in exercitu Heraclii, cum frustra stipendium flagitarent, & cum contumelia etiam repellerentur à quæstore Imperatoris, qui canum turbas appellabat eos; mox sese Mahometo adiunxere. Horum igitur ope Meccam ille expugnauit, prædam amplam inter milites distribuit, & progressus longius Arabiam totam occupauit. Inde ergo religio Mahometica siue Saracenica illa secta in omnem Arabiam celeriter peruasit, serpsitque infinitum illud malum, ita vt multo maximam partem orbis terræ complexum sit.

CONCILIA, SIVE Synodi.

BOnifacius III. Romæ Synodum collegit anno Domini 607. ex Episcopis 62. iuxta Sigebertum. In ea Phocę Imperatoris priuilegium de principatu Romanæ Ecclesiæ promulgatur, & confirmatur authoritate pontificia.

Octauo anno Imperii Phocæ, 13. Calend. Martii, Bonifacius IV coegit Synodum Episcoporum Italiæ; & de vita monachorum decreta fecit.

Anno Domini 610. iussu Regis Ariamiri, seu Gundemari (quem circa id tempus Gothis imperasse constat) conuenerunt Galliciæ Episcopi, tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Concilio, cum suis metropolitanis: inter quos fuerunt præcipui, Martinus, Nitigis, Remisol, Andreas, Lucentius, Victimer, Sardinarius, Viator, Auila, Polemus, Mailoc. Martinus, Bracarensis Episcopus, Præsidem egit.

Circiter annum Domini 634. anno Imperii Heraclii 24. celebrata est Hispali Synodus. Causam præbuerunt hæreses Acephalorum, & quædam aliæ Episcoporum lites. Præsedit Sisebutus Rex.

Regnante Heracleona, in Hispania quartum Toletanum Concilium celebratur, anno tertio Regis Sisenandi; Domini vero 639. Occasionem præbuit diuersitas ceremoniarum, & disciplina Ecclesiastica & politica in Regno Hispaniæ. A Rege autem Sisenando conuocati Hispa-

niæ

niæ & Galliciæ sacerdotes, circiter 70. & vltra, ad vrbem Toletanam conuenerunt.

Anno primo Chintillæ, Regis Gothorum, quinta Toleti Synodus celebrata est, imperante Heracleone.

Pyrrhus Constantinopoli expulsus, in Africam ad Maximum venit, ac cum eo contulit de quæstione; vnane an plures in Christo asserendæ sint voluntates: à Maximo autem victus & persuasus, Romam ad Theodorum abit, eique libellum de sua sententia offert, in quo duas in Christo naturas, & duas voluntates & operationes asserebat. Theodorus eum, vt recte sentientem, in communionem admittit. Ille vero Roma discedens, cum Rauennam venisset, redit ad ingenium, & errorem suum defendit. Ea re cognita Theodorus sacerdotes Romanos & Ecclesiam conuocat, & Pyrrhum denunciat excommunicatum, & ab officio remotum, scriptis literis atramento madefacto vino ex calice diuino.

Narrat Paulus Diaconus libro 18. rerum Romanarum, in Africa penes Byzantium, Numidiam, & Mauritaniam, in Synodos Episcopos diuersos coiisse, & de mota controuersia, an duæ voluntates & actiones in Christo sint statuendæ, an vero vna tantum, disceptasse, & opinionem Monotheletarum damnasse.

Anno Domini 652. Imperii Constantis nono, Martinus Pontifex Synodū Romæ celebrauit.

Occasionem præbuit primo Paulus Constantinopoleos Episcopus, qui suorum antecessorum opinionem de vna in Christo voluntate nõ modo approbabat, sed etiam defendebat, & alios in errorem inducebat, & à se dissentientes persequebatur & deinde edictum Constantini Imperatoris, quo nec vnam nec duas in Christo voluntates aut operationes docebat, sed simpliciter silentium, & communem loquendi formam imperauerat. Conuenerunt itaque à Martino vocati Romam, Episcopi 105. Prolixum foret, actiones eius Synodi singulas, & symbolũ quod admodum prolixum est, cæteraque huc adscribere.

Hispani Episcopi, Constantis, Heraclii nepotis, persequutione moti, in Synodum coeunt, & Monotheletarum hęresin damnant, anno nono Constantis.

Anno Domini 673. celebrata est Herudfordiana Synodus, cuius acta apud Bedam lib. 4. c. 5. referuntur; & nihil aliud, quam disciplinam monasticam attinentia, deq; Paschatis festo, de Synodis & coniugio, continent.

Anno Domini 664. celebratur Synodus in monasterio Pharensi. Causam præbebat controuersia de Paschæ obseruatione, & tonsura clerirum, & aliis põtificiis ceremoniis, à quibus Scoti abhorrebãt; quos eam ob causam Britanni, characteribus Papisticis insigniti, oderant & damnabant. Synodo præsedit Osvius Rex, qui & ipse deditus erat parti Scotorum, & Alchfridus filij, qui sentiebat cum Anglis. Interpretem egit vtriusque

usque partis in Concilio Cedda. Sed post multam contentionem inter duos præcipuos, Colmannum Lindisfarnensem Episcopum, & Wilfridum Abbatem, lite non composita tandem discessum est.

Anno tertio Chintillæ, Domini vero 653. sexta Toletana Synodus celebrata est. Conuenerunt 52. Episcopi. Occasionem præbuerunt quidam erronei Spiritus, qui hæreses resuscitabant, & priorum Conciliorum acta in dubium vocabant, ad quos reprimendos in hoc congressu omnes priorum Conciliorum constitutiones sunt confirmatæ, & multæ de nouo additæ.

Anno sexto Chindasuvindi, Domini vero 662. celebratum est septimum Toletanũ Concilium. Occasionem præbuit Theodisclus, homo Græcus, Archiepiscopus Hispalensis. Is enim corruperat libros Isidori, & multos errores sparserat in sua Ecclesia, & litigabat cum Toletano Episcopo de principatu. Conuenerunt autem iussu Regis 4. Archiepiscopi, & 30. Episcopi, cum aliis compluribus sacerdotibus. In eo Theodisclus damnatus, & ab officio deiectus est, dignitasque Archiepiscopalis Toletum translata, designato Eugenio Archiepiscopo.

Iussu Clodouei, Regis Francorum, Cabillonem conuenerunt Episcopi Gallicani circiter 44. quibus præsedit Gandericus Lugdunensis, & Landelenus Viennensis. Theodorum Arelatensem, pœnitentiam professum, & compa-

rere detrectantem, iusserunt ab officio abstinere.

Paullo ante inchoationem Sextæ Vniuersalis Constantinopolitanæ Synodi, Agatho Romæ coegit conuentum Episcoporum Occidentalium & Septentrionalium; nimirum Italorum, Gallorum, Longobardorum, Francorum, Gothorum, Britannorum, Slauorum. Occasionem autem præbuit Constantinus Pogonatus Imp. qui in literis suis ad Donum Pontificem postulauerat, vt coacta Synodo Episcoporum sub se existentium, de controuersia illa, de voluntatibus & operationibus Christi, an vna vel duæ recte asserantur, sententiam ferat, & legatos istius Synodi circiter 12. metropolitas Constantinopolin ad Synodum mittat, qui eam sententiam scriptam afferant, & Synodo intersint. Conuenerunt autem 125. Episcopi: qui facta collatione decreuerunt, duas voluntates & operationes in Christo recte asseri, iuxta verbum Dei, & quinque Conciliorum, & Patrum sententiam; Confirmarunt etiam decreta Synodi à Martino celebratæ: & Theodorum Faranitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanos, damnarunt. Et hanc suam sententiam ad Imperatorem Constantinum perscripserunt.

Anno quinto Recesuvinthi, Regis Gothorum, qui fuit Domini 617. Constantini Pogonati secundus, Toleti indicta & habita est Synodus Octaua. Conuenerunt autem Pontifices numero 52. aliquot abbates, & legati Episco-

scoporum absentium; Rex ipse Recesuvinthus, & viri illustres non pauci.

Anno septimo Recesuvinthi, Domini vero 673. iterum iussu Regis sedecim Episcopi Toletum conuenerunt, & 17. capitula, quæ in priscis canonibus extabant, promulgarunt obseruanda, quæ quidem nullam partem doctrinæ cœlestis, sed humanas solummodo traditiones de monasteriorum, paræciarum, episcopatuumque gubernatione continent, aliaque his similia.

Anno octauo Recesuvinthi, iterum conuenerunt Toleti Episcopi 21. inter quos præcipuus fuit Eugenius.

Cum circiter annos 12. in Hispaniis nulla esset habita Synodus, & passim in Africa grassarentur hæreses, Bamba Rex Toletum ex Carthaginensium prouincia Episcopos conuocauit. Conuenerunt Episcopi circiter 19. & abbates septem. Præsedit Quiricus, Toleti Episcopus.

Anno quarto Bambæ, ad Bracarensem Synodum III. conuenerunt 10. Episcopi, & pro fidei consensu repetierunt Concilium Nicænum.

Anno Christi 680. Constantinus Pogonatus Imp. coegit aliud Concilium Constantinopoli, propter Monotheletas. Vocatur hæc Synodus vniuersalis sexta. Conuenerunt Episcopi 289. & inter hos etiam legati Pontificis Romani, qui Concilio præfuerunt, vna cum Patriar-

cha

cha Constantinopolitano Georgio, & Macario Antiocheno, quorum vterque partes Monotheletarum secutus est. Assedit in eodem ipse etiam Imperator Constantinus, hortatusq; est Episcopos, vt diligenter veritatem inquirerent, & semotis argutiis, ambagibus, & sophismatibus, totis animis ad pacem concordiamq; spectarent. Hic omnium mentes atque sententiæ eodem inclinarunt, & recte Monotheletarum execranda hæresis damnata est. Simul etiam acta atque decreta superiorum Synodorum generalium comprobata atque confirmata sunt.

Anno Christi 753. aliud Concilium Constantinopoli coactum est à Constantino Copronymo Imp. cui Patres 338. interfuerunt. In hoc imagines in templis, earumque defensores damnati sunt.

Anno Christi 768. Romæ Concilium à Stephano, Papa conuocatum est: in quo contra Concilii Constantinopolitani decreta statutum est, imagines in templis esse retinendas & venerandas.

Anno Christi 787. à Constantino & Irene matre eius indictum fuit Concilium *Nicænum* secundum, quod vocatur œcumenicum septimum, in quo Episcopi dicuntur fuisse 350. & Imp. ipse interfuit. Repetiuit hoc Concilium Confessionem superiorum Synodorum, & damnauit εἰκονομαχίαν.

IMPE-

IMPERATORES OCCIDENTIS à Carolo Magno, vsque ad Henricum IV.

QVinta ætas Ecclesiæ, à Carolo Magno ad Carolum V. Impp. miseram habuit Ecclesiæ faciem: accendentibus Pontificibus bella fere perpetua, commissisque Principibus iam inter se, iam cum Saracenis; vt tyrannidem suam melius exercere, & illis pessundatis Dominium obtinere possent: Omnia deniq; Romæ venalia, omnia Pontificum libidini subiecta fuere.

Carolus Magnus, primus Germanorum Imperator, Pipini Regis Francorum filius, memorabile inprimis cum Saxonibus bellum suscepit, anno Christi 772. non tam regni dilatandi cupiditate, quam Christianæ religionis propagandæ studio. Saxones vero, religionis auitæ acerrimi cultores ac propugnatores, duce Wittikindo, præliis multis cum eo decertarunt, sed victi sæpius à fide data iterum defecerunt, donec non tam fortuna aduersa fracti, quam lenitate & mansuetudine Caroli permoti, sese dediderunt, baptismum susceperunt, & in fide data perseuerarunt. Idem Carolus ab Hadriano Pontifice Romam vocatus, subsidio illi venit, Longobardorum Regem Desiderium cepit, regnumque eius Francis adiecit. Italiam tertio ingressus, anno Christi 800. Romæ in templo à Pontifice coronatus, Imperator & Augustus

à cun-

à cuncto populo appellatus est. Religionem inprimis propagare studuit. Iccirco Collegia, Episcopatus, Scholas, & Academias instituit. Osnabrugense quidem Collegium Anno Christi 780. in quo nominatim edixit, vt authores Latini & Græci explicarentur. Aquisgrani templum pulcherrimum extruxit, idque collatis quamplurimis donis ornauit. Parisiensem Academiam aperuit Anno Christi 791. cui viros ac professores doctissimos præfecit: Rabanum, Alcuinum, Claudium, Clementem, Scotum. Dicitur etiam Papiensis, & Bononiensis Gymnasii author esse. Hæreses Felicis, Concilio Francofurti ad Mœnum indicto, damnauit; in quo etiam adoratio imaginum reprobata est: vt Rheginoscribit. Adiunxit quoque & conciliauit sibi Reges ac Principes infideles, vt subditis Christianis benigniores essent. Tenuit linguas complures, Latinam & Græcam à Paulo Pisano didicit: dialecticam vero, & Ecclesiæ doctrinam ex Alcoini disciplina cognouit. Scholas ipse visitauit, docendi ac discendi operas inspexit, officium facientes laudauit, ignauos vero & inertes obiurgauit grauiter. Mortuus est Anno Christi 814. ætatis 72. Imperii 13.

Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, Anno Christi 816. à Pontifice Romano Stephano V. coronatus Rhemis in Gallia, Augustusque appellatus est: Pius cognomento dictus, propter eximium pietatis veræque religionis studium. Eius opem Daniæ Rex Haroldus im-

plorauit, & baptismum Moguntiæ suscepit.

Lotharius, Ludouici Pii filius, Imperator Germanorum factus est, Anno Christi 840. Imperauit annos 15. In illo curriculo Ecclesia Dei, quæ crucem Christi baiulat, multas vidit, & experta est miserias. Mortuus est Lotharius in monasterio Brumiensi, quo se abdiderat.

Ludouicus II. Lotharii filius, Imperium suscepit Anno Christi 855. quod administrauit annis 21. Erat is quidem Imperator satis bonus; non tamen potuit Ecclesiam Dei ab hostibus externis vbique conseruare tutam & securam: Britonibus, Normannis, Sclauis, & Saracenis, diuersis in locis grassantibus.

Carolus Caluus, Ludouici Pii filius, rex Galliæ, Imperator Germanorum factus est, Anno Christi 875. Creditur veneno necatus per Sedechiam Iudæum Medicum suum.

Ludouicus III. cognominatus Balbus, Caroli Calui filius, Francorum Rex, Imperator electus, Anno Christi 877. coronatus est à Pontifice Iohanne VIII. præter multorum Principum voluntatem, quorum mentes magis in Carolum inclinabant. Celebratur simplicitatis & pietatis nomine.

Carolus III. cognomento Crassus, Ludouici II. filius, Imperator designatus est, Anno Christi 879. Cum Normannis, Treuerim & Metim populantibus, pacem fecit, ea conditione, vt

ne, vt Christianam fidem susciperent. Cum vero præesse Imperio non satis posse videretur, depositus est à Proceribus, & ad egestatem tantam redactus, vt vix haberet, quo famem expleret.

Successorem reliquit Arnulphum, fratris filium, qui Normannos ad fidem Christi amplectendam compulit: centum millia de eorum exercitu concidit, vix vno atque altero ex suis amisso. Extinctus est morbo pediculari, Anno Christi 899. Imperii 12.

Ludouicus IV. Arnulphi filius, iuuenis admodum ab optimatibus Franciæ in oppido Forcheim Imperator creatus est. In hoc defecit stirps Caroli Magni, cum iam annos 112. imperasset.

Cunradus I. cognomento Saliquus, extra Caroli Magni stirpem Augustus designatus est, Anno Christi 911. auctore Othone, Saxoniæ Duce, qui delatum ad se Imperium recusauit.

Henricus I Saxonum Dux, Auceps dictus, Imperator electus est, Anno Christi 919. Multos ex Barbaris ad fidem Christianam conuertit; spolia hostium ad pios Ecclesiarum & Scholarum vsus destinauit: vnde Pater patriæ dictus; tandem mortuus ac sepultus Quedlinburgi.

Otho I. cognomento Magnus, Henrici Aucupis filius, Imperator creatus est, Anno Christi 936. Hic Ecclesias & Episcopatus complures condidit; & in his Brandeburgensem, Hauel-

uelburgensem, Misnensem, Cizensem, Magdeburgensem, eique primatum in omnes Ecclesias per Germaniam tribuit, vrbe Magdeburga multis priuilegiis dotata; vbi & sepultus est, Anno Christi 973. postquam annis 36. gessit Imperium.

Otho II. Othonis I. filius, à Iohanne XIII. Pontifice inunctus & coronatus est. Mortuus Romæ Anno Imperii 10.

Otho III. Romæ consensu Procerum magno Imperator electus est, & Aquisgrani coronatus, Anno Christi 984. Hic Brunonem patruum suum, dictum postea Gregorium V. Pontificem creauit: aduersarios eius, Iohannem Pontificem, & Crescentium Consulem compressit, supplicioque affecit: ac vt in creando Imperatore, solitas controuersias radicitus tolleret, constituit graui consilio per Germaniam Septemuiratus dignitatem.

Henricus II. Bauariæ Dux, cognomento Sanctus, & Claudus, communibus Electoratus auspiciis Romanorum Imperator electus est, Anno Christi 1003. Hic Pannonias Christiana religione imbuit: ex eo Hungarorum Apostolus dictus. Episcopatus multos per Germaniam instituit, inprimis Bambergensem, eique Principes Germaniæ, & Electores Imperii Feudales, & quodammodo Vasallos fecit.

Sublato Henrico II. & Bambergæ sepulto, successit Electorum suffragiis Conradus II. Romam profectus, aurea corona à Iohanne XIX. & Imperii titulis ornatus est. Basilicam

Spi-

Spirensem magnis sumptibus exstruxit, in qua etiam sepultus est, anno Imperii 15.

Successorem reliquit Henricum III. cognomento Nigrum, à Principibus Electoribus Imperatorem designatum: qui exitiale dissidium trium Pontificum sustulit, & nouum Papam Suidgerum Bambergensem Episcopum, quem Clementem II. dixere, in sede Pontificia collocauit: vetera iura Imperatorum, in electione & confirmatione Pontificis, post Carolum Magnum, & Othonem I. recuperauit. In Germaniam regressus, 17. Imperii anno ad superos abiit, quum Leonem IX. primo, mox eo defuncto Victorem II. Pontifices suo priuilegio declarasset, vnde Victor in beneficii gratiam filium eius Henricum IV. quinque annos natum, Cæsarem eligi, & Aquisgrani coronari curauit.

PONTIFICES ROMANI A LEONE III. vsque ad Gregorium VII.

LEO III. patria Romanus, Carolum Magnum Imp. Romæ solenniter coronauit: cum tali acclamatione totius cleri ac populi Romani: *Carolo piissimo Augusto, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Pontificum decreta omnium Doctorum scriptis præponenda esse statuit. Migrauit ex hac vita Anno Domini 816.

Stepha-

Stephanus V. patria Romanus, Rhemis in Ecclesia vnxit Ludouicum Pium in Imperatorem, & Irmgardim Vxorem eius coronauit. Mortuus est anno Domini 817.

Paschalis I. Lotharium, Ludouici Imperatoris filium, Romæ in Basilica S. Petri coronauit, Obiit anno Domini 824.

Eugenius II. in Pontificatu rem frumentariam adeo curasse fertur, vt multis videretur pascendis hominibus natus. Quid interim egerit in pastu viuifici Dei verbi, certi nihil adhuc legimus. Perrexit ad Patres Anno Domini 827.

Valentinus I. ex Diacono Papa creatus, post dies 40. è viuis excessit.

Gregorius IV. post Valentinum, absente Imperatore, à clero, populoque Romano Pontifex electus, non prius Pontificium munus ineundum sibi putauit, quam missis ad Imperatorem nuntiis, consensum eius impetrasset: vt Platina & Sabellicus referunt. Deos alienos, sanctos mortuos coluit. Dominatum super Ecclesias affectauit. Ansgarium constituit Hamburgensibus Archiepiscopum, & Pontificium legatum in omnia regna Aquilonis, vt eo modo Ecclesias septentrionis, quæ tum colligi incipiebant, suæ potestati subiiceret. Dissidium inter Ludouicum, & filios eius, simulauit quidem se componere velle, sed magis auxit. Obiit anno Domini 843.

Mortuo Gregorio, Pontifex designatus est Sergius II. non exspectato Imperatoris iudicio & as-

& assensu; oppresso etiam Iohanne, qui armis eam dignitatem sibi vendicare cœperat, Anno Domini 844. Idololatriam, & venerationem sanctorum mortuorum, grauiter & solerter promouit. Primus fuit, qui nomen Christo datum, & in ipso baptismo susceptum, propria voluntate abnegauit, ac aliis suis successoribus exemplum proposuit, quod plerique postea imitati sunt. Nam Sergius, & non Os Porci in Pontificatu dici voluit. Ad maiores suos collectus est, Anno Domini 846.

Leo IV. inscio Imperatore Pontifex consecratus est. Pontificem ius vtriusque gladii habere, & regna huius mundi possidere, Ecclesiæ & Reip. dominari debere, existimauit. Consilium de Imperii dignitate à Francis ad Græcos reducenda iniit, licet ea de re accusatus iureiurando se purgarit.

Leoni successit Iohannes VIII. cognomento Anglus, patria Moguntinus, meretrix quædam, & nobile scortum, Agnes nomine, quæ sexum habitumque mentita est virilem. Primum Athenas cum amatore quodam profecta, doctrina literarum præclare sese instruxit, vt Romam reuersa docendo, disputandoque omnes superaret. Iccirco anno Domini 854. ad Pontificatum euecta est, in quo à familiari compressa, cum ad Lateranensem basilicam contenderet, partus dolore circumuenta, in itinere peperit. ac paulo post mortua est, Anno Domini 857. Hinc fieri scribunt, vt Papa, cum ad Basilicam Lateranensem contendit, viam illam

lam declinet. Et ne in posterum talis error in sexu committatur, aiunt Papam electum collocari in porphyretica Petri sella perforata, vt genitalia eius à Diacono attrectentur, & sexus exploretur, cum hac exclamatione: *Habet, Habet.* Hunc vero morem explorandi sexum, tanquam minus conuenientem Petri successoribus, abrogasse dicitur Paulus III. qui ostensis aliquot liberis sexum suum demonstrauit. Bellarminus totum hoc factum negat, & vtitur argumentis Onuphrii, ex quo omnia sumsit, quæ hac de re habet. Aspis scilicet à vipera venenum mutuatus est: vt loquitur Tertullianus. Et omnes nunc Papistæ ferre nequeunt: mirum, vt abominentur: certe fœda res est. Ego nihil dixi hac de re, nisi quod inueni in historiis, iisque non nostris, sed illorum; ex quibus facile ostendi potest, non esse fabulam anilem. Martinus Polonus in Chronico suo scribit, reuera fœminam factam esse Papam, & peperisse. Platina, qui scripsit vitas Romanorum Pontificum, & fuit à Secretis Sixto IV. in Iohanne VIII. hoc idem affirmat, & ait, omnes fere hoc affirmare, & esse ex iis, quæ fieri posse creduntur. Nec primum hoc scripsit Martinus Polonus, pœnitentiarius Romani Pontificis. Nam ante illum Marianus Scotus, qui ducentis annis antiquior fuit, hoc habet: & Sigebertus quoque Monachus. De hac Papissa scripserunt etiam alii permulti, antequam Lutherus natus est. Inter Græcos vnus Leonicus Chalcondyla: inter Latinos vero Sabellicus, Anto-

ninus, Chronica chronicorum, ſupplementum Chronicorum, Matthæus Palmerius, Theodoricus Niemus, Volaterranus, Boccacius, Nauclerus, Faſciculus temporum; & multi alii.

Benedictus III. mortua Iohanna Anglica in partu, inuitus à clero & populo electus eſt Pontifex, cum Diaconus teſticulos eius exploraſſet: anno Domini 857. Anaſtaſio, qui erat ab Imperatore Ludouico & Lothario Pontifex deſignatus, cedere noluit. Pedes ſuos oſculandos prębuit plebi, ſeque tanquam idolum terrenum adorari paſſus eſt. Obiit anno Domini 859.

Nicolaus Magnus, à clero, populo, & Ludouico Imperatore præſente, Pontifex deſignatus eſt. Anno Domini 860. Dominatum in Eccleſias vſurpauit. Nam Iohannem, Rauennæ Archiepiſcopum, priſtinam ſuæ ſedis libertatem aſſerentem, dignitate priuauit, eamque Eccleſiam in perpetuam ſeruitutem redegit. Regna huius mundi, & gloriam eius accepit. Nam Ludouicus Imperator ei obuiam factus, ex equo deſcendit, & frenum equi Pontificii apprehendens in caſtra duxit. Equo inſidens, & ſtipatus ſatellitibus, in templum Petri ire ſolebat. Lotharium Imp. miris modis exagitauit, ob Thietbergam vxorem dimiſſam, & Walradam pellicem ſuſceptam; ac coegit eum tandem, vtraque repudiata, vitam monaſticam profiteri. Collectus eſt ad ſuos maiores, Anno Domini 867.

Hadrianus II. ſeſe Pontificem deſignari paſſus eſt ſine ſuffragiis legatorum Imperatoris; qui

qui etsi moleste id tulerunt, tamen inuiti tranquillitatis gratia consenserunt. Dominatum in Ecclesiam vsurpauit. Nam ad Synodum Constantinopolitanam neminem admisit, nisi priuslibello subscripsisset, in quo existebat professio, quod Romanum Pontificem agnosceret caput omnium Ecclesiarum. Certamen ei fuit cum Carolo Caluo, & Hincmaro Episcopo Rhemensi, de Laudunensis Episcopi appellatione ad sedem Romanam. Mortuus est Anno Domini 872.

Iohannes IX. ex Diacono Pontifex creatus est, Anno Domini 873. quo Ludouicus Imperator mortuus est. Fuit Latine & Græce doctissimus. Ante Pontificatum scripsit quatuor libros de vita Gregorii Magni. Regna huius mundi, & gloriam eius possedit ac vsurpauit. Nam acceptis muneribus Carolum Caluum inaugurauit Imperatorem: ac eo mortuo, contra Senatus Romani voluntatem, elapsus ex carcere, & fugiens in Galliam, Ludouicum Balbum, Francorum Regem coronauit: postea Romam reuersus, etiam Carolum Crassum Germanorum Regem Cæsarem pronunciauit, & diademate Imperii adornauit. Obiit Anno Domini 885.

Martinus II. natione Gallus Pontificiam dignitatem malis artibus acquisiuit. Ante Pontificatum, cum Iohannes IX. Ludouico Balbo Imperii coronam censeret conferendam, ipse cum Senatu Romano fauit & studuit partibus Caroli Crassi, Germanorum Regis; ac effecit,

vt Pontifex in vincula coniiceretur. In Papatu vero suo, etsi parum de eo in literas relatum est, tamen non fuisse suorum maiorum dissimilem, facile est cogitare.

Hadrianus III. Pontificatum adeptus est, anno Domini 889. Dominationes seu magistratum contempsit, & Imperatoribus omne ius, quod in Pontificem & Vrbem Romam hactenus habuerunt, ademit. Decretum enim cum Senatus & populi assensu fecit, ne in creando Pontifice amplius expectaretur Imperatoris authoritas, sed vt semper libera essent & cleri & populi suffragia.

Stephanus VI. eo tempore Papatum iniit, quo Gallia à Normannis, Anglia à Dacis, Pannonia ab Hunnis, & Italia à Saracenis affligebatur, circiter annum Domini 895. Sanctos mortuos, Deos suos, religiose coluit. Romanæ Ecclesiæ statuta omnibus necessario obseruanda esse, primus decreuit. Ad Patres suos descendit, Anno Domini 899.

Formosus, Portuensis Episcopus, à Nicolao Pontifice ad Bulgaros missus est, vt eorum Ecclesias à Græcis collectas, Romanis imbueret ritibus. Postea dissensit à Iohanne IX. Pontifice, de Ludouico Balbo in Imperatorem eligendo, ac sese cum Senatu coniunxit, qui Iohannem in vincula coniecit. Liberato Pontifice, metuit tyrannidem, & Episcopatu suo deserto, aufugit in Gallias. Reuocatus Romam ad dicendam causam, contumelioſe omni Ecclesiastica dignitate priuatur, & laicali vestitu orna-

ornatur. Hanc contumeliam molestè ferens, cum ab Vrbe decedit, iurat, se nunquam postea vel Romam, vel ad Episcopatum reuersurum. Martinus vero Pontifex, qui & ipse inter aduersarios Iohannis fuerat, bono viro iniuriam factam agnoscens, illum à iurisiurandi religione absoluit, & in patriam ac pristinam dignitatem restituit. Mortuo Stephano, pars de populo & clero Formosum elegit Pontificem; pars vero Sergium. Sed ea, quæ Formosum elegerat, cum Sergius ordinandus esset, irruit in Ecclesiam, & illo ab altari remoto, Formosum consecrauit, anno Domini 895. Cum vero à Romanis affligeretur Formosus, attraxit ille Arnulphum, Carolomanni filium, cum exercitu, qui expugnata Vrbe, eius aduersarios capitali supplicio affecit, ac ab eodem Imperii coronam gratitudinis ergo accepit.

Bonifacius VI. successor Formosi, tantum dies 26. in Pontificatu vixit, veneno fortassis sublatus ab hominibus factiosis.

Stephanus VII. Formosi cadauer effodit, acta rescidit, duos digitos de manibus eius abscidit, & corpus reliquum in Tyberim proiecit. Obiit primo anno Pontificatus sui. Ranulphus scribit, eum relicto Papatu, Monachum esse factum.

Romanus I. nomine & patria, successit Stephano, & causam Formosi approbans, antecessoris sui decreta & acta rescidit, & tertio mense, veneno forte à factiosis propinato, obiit, anno Domini 898.

Theodorus II. sedit tantum dies 20. & à factiosis, vt credibile est, è medio sublatus est, Anno Domini 898.

Iohannes X. aliis IX. Pontificatum adeptus, turbas aliquo modo iam sopitas resuscitauit. Dum enim Formosi acta, maxima Romanorum parte contradicente, in integrum restituere conatur, seditioni in Vrbe Roma causam præbuit, ita vt parum à cruento conflictu abfuerit. Pontifex vero vitæ in periculo se versari animaduertens, fugam arripuit. A Rauennatibus igitur exceptus, 74. Episcoporum Concilium ibi coegit, cui Carolus Simplex, Francorum Rex, cum Archiepiscopis Galliæ interfuit. In eo autem Formosi acta rata esse censuit; repudiatis, ignique traditis Stephani decretis. Obiit anno Domini 901.

Benedictus IV. post Iohannem ad Pontificatum euectus est. Nihil autem in tanto dignitatis fastigio laude & memoria dignum ab eo gestum reperitur. Mortem obiit anno Domini 904.

Leo V. quadragesimo sui Pontificatus die, à Christophoro eosdem honores ambiente, captus, in vincula coniicitur, vbi paullo post animi mœrore extinctus est, anno Christi 905.

Christophorus I. vi & armis, immo & meretricum ope (iuxta Balæum) Pontificatum sibi rapuit. Verum talionis pœnam tulit, & publico carceri traditus, misere vitam finire coactus est: cum iam septimum sui Papatus mensem ageret.

Sergius III. Christophorum sede deiecit, in-

car-

carcerauit, ac Papalem cathedram violenter inuasit. Formosi cadauer, post octo annos, à sepultura laicali denuo extrahi fecit, & sedi Papali impositum capitali supplicio, tanquam viueret, affecit. Tres quoque digitos, ex priori Stephani mutilatione relictos, amputauit, & corpus ipsum cum his omnibus in Tyberim proiici iussit. Ex impudentissima meretrice Marozia nothum Iohan. XII. Papam spurcissimus adulter genuit. Mortuus est anno Domini 913.

Anastasius III. quid præclari in gubernatione gesserit, nusquam apud authores exstat.

Lando I. adeo obscurus est, vt à plurib. scriptoribus ipsis Pontificibus Romanis non annumeretur. Inter meretrices maiorem vitæ suæ partem consumpsit. Iohannem XI. successorem nefario adulterio generasse scribitur.

Iohannes XI. Papæ prædecessoris ex adulterio filius, Papatum quasi hæreditario iure, sed per scortationes, obtinuit. Deinceps militem potiꝰ, quam Ecclesiæ gubernatorem egit. Tandem ceruicali super os iniecto suffocatus est.

Iohanne è viuis exempto, in locum eius per seditionem substituitur Iohannes alius, eius nominis XII. Sergii III. Papæ ex Marozia meretrice filius. Verum quia clerus & populus Romanus in eius electionem non consenserãt, eodem anno sede deiectus est. Rediit tamẽ postea ad Pontificiam dignitatẽ, mortuo Steph. VII.

Leo VI. deiecto Iohanne XII. cleri ac populi Romani suffragiis, in maximo tumultu Papalem sedem ascendit. Sed statim post septi-

mum sui regiminis mensem, Anno Dom. 930. veneno sublatus à Marozia fertur, vt spurio locum daret.

Stephanus VII. post Leonem sedem Papalem conscendit: nihilque memoria dignum gessit. Prorsus n. muti sunt de eo Pontificii scriptores. Vitam cum morte per venenatum poculũ commutauit, Anno Domini 932.

Iohannes XII. Sergii III. Papæ, ac Marozizæ famosæ meretricis ex horrido stupro filius, iterum post seditiones, Leone & Stephano sublatis, ad Romanæ Ecclesiæ fastigium, vnde prius deiectus erat, conscendit. Videatur Luitprandus lib. III. cap. 12. Naturæ cessit, Anno Dom. 937. dum meretrix mater Romæ tam Regnum, quam Ecclesiam adhuc regeret.

Leo VII. patria Romanus, homo fuit ingenii remissioris, ac negotiis tum secularibus, tum Ecclesiasticis minus attentus, suæ tranquillitati & otio tantum consuluit, nihilque de se literis & memoria dignum, præter solum nomen, reliquit posteris. Obiit Anno Christi 941. post tertium sui Pontificatus annum. Hoc Leone Pontificatum ineunte, Otho Magnus, Saxoniæ Dux, ad Imperii Romani dignitatem apud Germanos conscendit.

Stephanus VIII. ex Germanis primus, Romanæ Ecclesiæ Pontifex creatus est. In gubernatione autem, à rebus gerendis, Romanorum ciuium crebris & turbulentis motibus, impeditus fuit, immo intra ipsa mœnia facto conflictu adeo vulnerib⁹ confossus est, vt ob cicatricum in fa-

in facie deformitatem deinceps in publicum prodire noluerit, sed intra domesticos parietes latitare maluerit. Obiit anno Domini 944.

Martinus III. Stephano defuncto, sellam Pontificiam conscendit. Obiit Anno Domini 947.

Agapetus II. Othonem I. Germaniæ Regem, in Italiam vocauit, & Romanorum Regnum illi promisit, vt cum Berengario conflictaret.

Iohannes XIII. Maroziæ meretricis nepos, Octauianus antea dictus, stupris, adulteriis, incestis libidinibus, venationibus, ludicris ludis, rapinis, incendiis, homicidiis, periuriis, aleis, sacrilegiis, aliisque flagitiis, ab ipsa adolescentia incubuit. Pontificem agens, nunquam de vitæ emendatione cogitauit. Itaque ab Othone Magno, in Concilio Romano, propter perfidiam, profusam libidinem, & alia flagitia, Pontificatu deiectus est, & in locum eius substitutus Leo VIII. Anno Christi 963. qui confirmatus est ab Imperatore, cui restituit Pontifex ius confirmandi Pontificem Romanum cum omnibus prouinciis, regionibus, Vrbibus, & oppidis, quæ ab Imperatoribus antea Romanis Pontificibus concessa erant. Sed absente Imperatore, Iohannes XIII. Pontificatum recuperauit, & cum adultera deprehensus à marito eius confossus est, Anno Christi 964. Constituisse hic Papa scribitur, Balæo teste, vt Imperator Augustus semper posthac à Papa Romæ coronaretur.

Benedictus V. in Iohannis locum à Romanis suffectus est: quod ægre ferens Otho Imperator,

tor, cum exercitu Romam venit, eamque fame laborantem in deditionem, acto in exilium Benedicto, accepit. Porro Benedictum hunc Imperator secum in Germaniam duxit, & Episcopo Hamburgensi custodiendum tradidit: & Leonem VIII. restituit. Benedicti sepulchrum adhuc hodie in Ecclesia Häburgensi videre est.

Iohanne igitur ob vitam male actam, in Synodo Romæ congregata, rite deposito, in locũ ei⁹ omnium tum cleri tum populi Romani suffragiis, ipso etiam Imperatore Othone annuente, Leo VIII. electus est: sed paulo post sede iterum deiectus, ac Iohannes, in cuius ipse locum erat surrogatus, post hunc Benedict⁹, Pontificiam dignitatem, per Romanorum potentiã tenuerunt. Tandem vero Leo VIII. Imper. Othonis ope, pristinum honoris gradũ recuperauit: Verũ in Papatu non diu vixit, sed Anno Domini 966. post ann. & tres menses, mortẽ obiit.

Iohannes XIV. Othonem II. à Patre in Italiam vocatum, Romæ in Augustum coronauit: Poloniæ Regnum ad Papismum inuitauit. In hostes suos ea crudelitate vsus est, vt immanissimis potius tyrannis, Phalaridi, Dionysio, Neroni, & horum similibus, quam Christi vicario conferri mereatur. Obiit anno Christi 973.

Benedictus VI. in carcere laqueo strangulat⁹ est. Alii fame eum enectũ scribunt, an. D. 974.

Donus II. in sede Papali post Benedictum locatus, nihil vel male vel bene memoria & literis dignum in Pontificatu gessit.

Bonifacius VII. malis artibus Pontificatum adeptus, male ẽt tandem amisit. Nam inito eo

magistratu, conspirantib. in eum ciuib. simul, se ipsum occultare coactus est: & cum videret, sibi non esse tutum amplius manere Romæ, ex D. Petri Basilica preciosissimos thesauros clam & furtim surripuit, ac Constantinopolin aufugit: vbi post menses aliquot, diuenditis omnib. ingentem vim auri collegit, Romamque rediit; pecunia ratus cuncta expugnari posse. Interea temporis dum abesset, Romani in eius locum, Ioh. XV. Pontificem fecerunt. Sed Bonifacius reuersus, Iohañem paratis insidiis cepit, oculis priuauit, carceri inclusit, fame necauit: occupauitq; rursus Pontificiã sedẽ; in qua non multo post apoplexia periit Anno D. 976. Cadauer eius in Lateranensi platea proiectum, à quouis lanceis & contis impune transfodiebatur, tandẽ cleri. beneficio sepulturæ populari demãdabat.

Bonifacio, homine sacrilego, è viuis exempto, Benedictus VII. Pontifex constitutus est, annuente Imperatore Othone II. cuius filium Sen. Othonem III. in Ecclesia Lateranensi coronauit. Vitã cum morte cõmutauit, A. D. 984.

Iohannes XVI. Pontifici Benedicto successit. Suscepto Papatu, miro statim odio in clericos exarsit: quapropter omni populo exosus, & in carcerem coniectus, fame periit: quarto sui regiminis mense.

Iohannes XVII. rei militaris peritissimus, cleri ac populi sui fauore Papatum iniit, Othone III. imperante. Agitatus deinde seditionibus à Crescentio, Consule Romano, imperium Vrbis sibi vindicante, cupiditati hominis cessit,

& in Hetruriam exsulatum abiit. At verò Crescentius, cognita Iohannis indignatione, qua percitus Othonem contra se cum exercitu in Italiam vocabat, ipsius Pontificis cognatos & amicos misit rogatum, vt omissa accersendi Othonis cura ad Vrbẽ cum potestate redeat, polliceturq;, se ei in omnibus rebus obtemperaturum. Quare reuersus est, & Crescentius eius pedes, vt & omnes seditionis auctores, petita venia, exosculati sunt, atque ita in concordiam redacti Pilatus & Herodes, vitam simul traxere. Otho interim in Italiam euocatus, Romam aduenit, quo tempore Pontifex graui morbo detentus, vitæ suæ finem accepit, anno Dom. 995.

Gregorius V. origine Germanus, patria Saxo, antea Bruno vocatus, Othonis III. authoritate, post schismata & lites, Pontifex ob affinitatem creabatur. Verum, Othone in Germaniam regresso, Romanus populus, nouarum rerum cupidus, Crescentium ad Consularem potestatem trahebant, & res Romanas eius fidei commiserunt. Crescentius v. ac populus Vrbis, ægre ferebant, Greg. natione Germanum, authoritate Imp. ordinatum esse Papam: ideo illũ Papali sede deiiciebant: populusq; & *cler⁹ Romanus*, Ioh. XVIII. prius Episcopum Placentinum, natione Græcum, hominem eruditum & pecuniosum, in eius locum substituerunt. Gregor. a. in Hetruriam primo, mox ad Imp. Oth. III. agnatum suum, in Germaniã se contulit, de sumna iniuria conquesturus. Imp. indigne ferens eam contumeliã, in Ital. cum exercitu rediit, vr-

bem

bem oppugnauit, Crescentiũ Consulẽ, & Iohannem, nouum Pontificem, cepit: quorum Iohannes, effossis prius oculis, pontificatu simul & vita priuabatur: Crescentius vili iumento imponebatur, & vultu ad caudam verso, nasoq; cum auribus abscisso, vt spectaculo esset omnibus, per plateas circumducebatur, ac trũcatis membris ante vrbis mœnia patibulo suspendebatur: Punitis igitur aduersariis, Gregorius pristinam sedem recuperauit. Restitutus, congregata Romæ Synodo, constituit, vtius eligendi Cæsaris apud Germaniæ Principes deinceps maneret, scilicet, Moguntinum, Treuirensem, & Colonienſem Archiepiscopos: Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, ac Marchionem Brandeburgensem. His præterea Bohemiæ Principem adiunxit, ad dirimendas discordias in paribus suffragiis. Hanc sanctionem Otho Imperator anno 1002. approbauit: id quod Galliarum Reges non æquo animo ferebant. Sunt qui Imperiale diadema accepisse Othonem III. ab hoc Gregorio narrant. Obiit anno Domini 997.

Syluester II. natione Gallus, diaboli ope adiutus, Romani Papatus sedem accepit: necromanticus & Magus sceleratissimus.

Iohannes XIX. cognomine Siccus, natione Italus, adiutore itidem diabolo, cuius tum erat Papatum dare, Syluestro mago, ac Satanico mónstro succeſſit, suffocatus veneno à suis, anno Domini 1004. Eius tempore Cardinalium nomen in pretio esse cœpit: & frequentes Synodi in Italia atque in Galliis celebratæ sunt: Bam-

bergensis etiam Episcopatus erectus.

Iohannes XX. cognomento Fasanus, Iohanne prædecessore venenata potione sublato; prodigiosis artibus Sathanici Papatus sellam occupauit. A prædicto enim Syluestro, qui Magus diabolicus erat, vsque ad Gregorium VII. famosi fuerunt incantatores Romani Pontifices omnes, Ægyptios magos maleficiis lõge superãtes.

Sergius IV. Iohanni succedens, non aliis mediis, quam sui prædecessores, pontificale conscendit fastigium. Iuxta chronographos nihil egit historia dignum.

Benedictus VIII. per magicas operationes papatum obtinuit. Henricum II. Imperiali corona donauit. Ex hac vita decessit, anno Domini 1023. Aureum orbem cum exstante cruce primus inuenit, quo Cæsares pro maiestatis insignivii consueuerunt.

Iohannes XXI. post Benedictum fratrem, arte nefaria pontificatum est assecutus. Conradum Imperatorem Imperii diademate redimiuit. Mortem obiit, anno Domini 1034.

Benedictus IX. prædecessorum fratrum Benedicti & Iohannis nepos, Theophylactus antea vocatus, Romanam sedem Satanicis artibus, ac magicis præstigiis obtinuit: & post Leonem IX. quinto papalem cathedram repetiit, donec Victor II. veniret. Post defunctum Cæsarem Conradum, molitus est filium eius Henric. III. successione priuare, & illius loco Petrum Hungariæ Regem, Augustum constituere, misitque illi Imperii coronam, cum hoc versiculo:

Petra

Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.

Sed Henricus III. primo conflictu Petrum cepit, Romamque venire disposuit: quo audito, Benedictus, timore perterritus, papatum complici suo Iohanni Gratiano vendidit, qui postea dictus est Gregor. VI.

Sed interim Benedicto dignitate sua exuto, Romani in eius locum substituerunt Ioannem, Sabinensem Episcopum, Sylvestrum III. appellantes. Sed hoc post 49. dies pulso, Benedictus denuo restitutus est: quum autem cerneret, se iterum discrimina subiturum, Gregor. VI. pontificium munus vendidit.

Gregorius Sextus, magus insignis, antea dictus Iohannes Gratianus, papatum à Benedicto emit.

Trium vero Romanorum pontificum de suo iure concertantium pugnis, non solum ipsa Roma, sed tota pene Italia concussa est. Hosce vt Imperator Henricus III. compesceret motus, quam maximis collectis copiis in Italiam contendit. Romam vbi deuentum esset, Imperator infrequenti Episcoporum Synodo causam cognouit, ac tribus illis loco motis, Suidgerum, Bambergensis Ecclesiæ Episcopum, pontificem constituit, anno 1046. qui mutato nomine Clementem II. se appellauit. Abeunte vero Imperatore, Romani, iurisiurandi immemores, Clementem, quem absque suis suffragiis creatum dicebant Episcopum, veneno necarunt: cuius facinoris quidam Stephanum, eius successorem, autorem faciunt.

Stepha-

Stephanus Bagniarius, natione Bauarus, post Clementem, Romanam sedem per vim accepit, indito sibi Damasi II. nomine. Sed 23. sui Pontificatus die, veneno sublatus est.

Post Imperatoris Henrici III. ex Italia discessum, Benedictus Romam reuersus, ad pristinam dignitatem per fas nefasque iterum aspirabat, ac in vrbe non exiguas dabat turbas, Romani itaque Cardinalium consilio, legatos ad Imperatorem, petitum Pōtificem mittunt. Horum postulatis annuens Imperator, Brunonem Alsatium, Comitem de Dagsburg, & Tullensis Ecclesiæ Episcopum, iis dedit Pontificem: quem Romani Leonem IX. appellarunt. Hic Romanis ius eligendi Pontificem, explosо Imperatore, restituit. Romam ex captiuitate Normannica reuersus, hausto veneno, diem clausit extremum, anno 1054.

Sublato Leone, Gebhardus, Episcopus Aichstadiensis in Bauaria, consecrationem Pontificalem accepit. Victor II. appellatus, anno Domini 1055. Florentina Synodo Vxoratos Episcopos suis exuit dignitatibus. In Pontificatu excessit biennium. Mortuus est Florentiæ.

Stephanus X. Fridericus anteà vocatus, Gothelonis Lotharingiæ Ducis filius, mortuo Victore, à Clero & Romano populo, non explorata prius Imperatoris voluntate, Pontifex creatus est: veneno extinctus Florentiæ, cum ibi Synodum acturus esset, septimo Pontificatus sui mense.

Nicolaus II. pulso inuasore Iohanne Mincio,

Episco-

Episcopo Veliterno, Senis Pontifex, sine Cæsaris consensu, Hildebrando instigante, creatus est, anno Domini 1059. sub hoc celebratum Romæ Concilium, & Berengarius damnatus est.

Nicolao è viuis exempto, Alexander II. Episcopus Lucensis, Anshelmus antea dictus, vulpina Hildebrandi calliditate, vt sibi ipsi ad Papatum viam sterneret, Romæ absens electus fuit in Pontificem: Imperatore neque salutato, neque consulto. Huic Longobardi, ex Imperatoris consensu, alium opposuerunt Pontificem, quem ipsi Basileæ in Comitiis eo præsente elegerant, Cadolum nomine, Episcopum Parmensem, qui magno cum exercitu Romam obsedit, commissoque prælio vno atque altero, cum suis fugatus est: Dictus est in Pontificatu Honorius II. Alexander vero sub miserabili Hildebrandi iugo, non sine veneni suspicione, diem clausit extremum, anno Domini 1074.

PATRES, ET PRÆCIPVI in Ecclesia Doctores.

IOannes Scotus, claruit paulo ante Bertramum, sub Carolo Magno Imp. circa annum Domini 800. dictus Mailrosius, Monachus Benedictinus, Bedæ Monachi, atque Doctoris clarissimi quondam auditor atque discipulus: collega Alcuini, siue Albini, cum quo ex Britannia in Galliam venit: vir in omnibus scripturis doctissimus, atque Carolo Imperatori charus. Scripsit is librum de Eucharistia, in quo per omnia creditur retinuisse & seruasse doctrinam beati Augu-

Augustini, quam postea Bertramus Presbyter Regi Carolo exposuit.

Bertrami temporibus etiam claruit Rabanus Maurus, primum Fuldæ Abbas, postea Archiepiscopus Moguntinus. Fuit is quoque Alcuini quondam auditor, & doctrinæ Augustinianæ diligens sectator. Tantæ fuit eruditionis, vteo tempore nec similem Italia, nec parem Germania habuerit. Obiit anno Domini 856. Sepultus Fuldæ in patria. Ad Ecclesiæ & posteritatis vtilitatem multos commentarios edidit.

Haymo, ex AngloSaxonum genere & populo oriundus, consanguineus Bedæ, discipulus fuit in Anglia Albini, & condiscipulus Rabani Mauri, ac contubernalis eius in cœnobio Fuldensi: Abbas Hirsfeldensis, & postea Halberstadensis Episcopus designatus est, circiter annum Domini 840. Commentarios suos collegit ex aliis Patribus, quos etiam passim citat. De plerisque capitibus doctrinæ multo sincerius scripsit, quam alii Pontificii: etsi non prorsus fuit ab omnibus maculis & nævis huius sæculi immunis. Annis 13. Episcopatum gessit, mortuus anno Domini 853. Halberstadii in templo Stephani sepultus.

Theophylactus, Archiepiscopus Bulgarorum, quibusdam videtur floruisse, Anno Domini 880. Baronius ipsum collocat in annum 1071.

Decumenius, scriptor Græcus, videtur floruisse, anno Domini 1070.

Bernhardus, Abbas Clarevallensis, refertur

in

in Catalogum Patrum, etsi floruerit tempore Scholasticorum, circiter annum Domini 1115. Magno in pretio fuit propter vitæ sanctimoniam & doctrinam: ad multorum etiam Regum ac Principum controuersias componendas adhibitus. Acriter pugnauit pro iustificatione gratuita per solam fidem, contra operum merita, & liberum arbitrium. Papæ, Cardinalium, Episcoporum, aliorumque clericorum impietatem grauiter reprehendit. In quodam sermone pulchre de coniugio dixit: *Tolle de Ecclesia honorabile coniugium, & thorum immaculatum: nonne replebis eam concubinariis incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?* Obiit anno Domini 1153. ætatis 64.

SCHOLASTICI, VEL QVÆSTIONARII Doctores.

VEteris Theologiæ Scholasticæ initia cœperunt, circa annum Domini 1020. tempore Lanfranci Papiensis, qui Berengarii Antagonista fuit, Archiepiscopus Cantuariensis. Certũ est, ante illud Lanfranci seculum, vnius fere Augustini, secundum verbum Dei scriptum, doctrinam inter Christianos quosque doctissimos obtinuisse, atque diligentissime tanquam per manus traditam fuisse. Nam primum ab Egyppo, qui Fulgentio fuit ætate æqualis, postea etiam ab ipsomet FVLGENTIO, deinde à Primasio Afris Theologis; postea autem

autem Isidoro Hispalensi Episcopo: Maximo Taurinensi: Prospero Gallo: Conciliis etiam totis, velut Aurasiaco, & Constantinopolitano sexto, approbata perpetua quadam temporis successione semper fuit. Denique ante Carolum illum Magnum Imperatorem à Beda Anglo Saxone defensa est, atque etiam abs Bedæ discipulis diutissime, velut Alcuino, Claudio, Rabano Mauro, & aliis quamplurimis per annos plusquam quingentos retenta est. Igitur cum sola diu lecta esset, ac per locos etiam communes collecta & tradita: cœptum est tamen paulatim progressu temporis ab August. sententia, cum aliis in rebus, tum vero præsertim in articulo de Sacramento S. Domini cœnæ discedi, glisscentibus nimirum in Ecclesia Dei variis iam erroribus. Nam mysterium illud iniquitatis, & vniuersalis Apostasiæ Satan iam multum per Romanos Pontifices promouebant, & immanem illum Transsubstantiationis errorem, fontem aliorum infinitorum parturiebat. Huic labi, & sanæ doctrinæ corruptelæ tam pernitiosæ, quæ fieri cœperat, opposuit sese constanter, pro suo in Dei veritate tuenda zelo, Berengarius, ille Andegauensis Archidiaconus, Gallus, *vir habitus* ætate sua eruditissimus, qui veterē Augustini sententiam reuocare, &, (quanquam ipse durius nonnunquam loquebatur de Sacramentis) retinere studuit. Sed Berengario id agenti sese opposuit altera ex parte Italus quidam, nomine Lanfrancus, qui Papiæ in Italia Theologiam profitebatur.

Cæte-

Cæterum Lanfranci Itali, Pontificum Romanorum errorem de Transsubstantiatione tuentis disputationes contra Berengarium Gallum, ex Augustino sua defendentem, sustentatæ à Guitmundo Archiepiscopo, & aliis Italicis hominibus pertinacissime confirmatæ effecerunt, vt primum prætermitteretur, post aũt etiam omnino negligeretur, quæ tamdiu in Ecclesia invaluerat, Augustini authoritas, doctrina, ac sententia: Ex quo euenit, vt, qui se Theologos profitebantur, deinceps suæ doctrinæ, & Theologiæ fundamenta non eadem sumerent, quæ veteres: sed solum ea, quæ iam receptis opinionibus, quanquam erroneis, partim etiam Philosophicis rationibus probatis, partim etiam ipsius Pontificis Romani, velut irrefragabilibus, decretis constarent. Pro his tam anxie, quam pro verissimis, ac sanctissimis Dei ipsius aris pugnabant, acerrimeque dimicabant. Additum quoque est isti camino oleum. Nam Lanfrancanorum factio & studium à Romanis Pontificibus contra Berengarianos, quos vocabant, laudabatur; & doctrina Lanfranci, sententiaque etiam Vercellensi Concilio, suffragio Italorum hominum, (qui illuc frequentes conuenerant,) & Lanfranci discipulorum aperte melior iudicata fuit, adeoque postea Berengarius ipse truculentissimis Nicolai Papæ minis ad Palinodiam coactus est: quod ita hominum animos commouit, vt ex eo tempore certatim omnes (verbo Dei spreto, & Orthodoxorum Patrum scriptis neglectis, aut eatenus probatis, quatenus opinioni-

nionibus iam receptis suffragabantur) in eam doctrinam incumberent, quæ Lanfrancianæ similima esset, id est, quæ Pontificũ decreta, receptos iam in Ecclesia ritus, & opiniones celebres, (quacunque tandem ratione semel irrepsissent) in Ecclesia proponebat, ac tuebatur. Ex hoc fonte innumerabiles disputationes, & quidem statim, ortæ sunt: quæstiones inutiles extra Dei verbum agitatæ, & difficultates propositæ. Denique Theologicæ sententiæ ac definitiones omnes ad ritus iam vsitatos, & recepta duntaxat placita atque ἀρέσκοντα, non ad verbum Christi reuocatæ sunt, & exigi cœptæ. Tandem de his ipsis rebus regulæ, velut κυρίαι δόξαι, & vt Dei ipsius oracula, traditæ, & libri scripti, & contentiones susceptæ. Quid amplius? veterum etiam patrum scripta, quo iure, quave iniuria, ne noua censeretur istiusmodi congeries, ad huiusmodi consarcinationes fuerunt accommodata. Ergo tandem ea doctrina nata, conflata, constituta, & compilata est, quæ Scholastica Theologia appellata est, & sola pro vera Theologia habita. Scholasticos autem sese peculiari appellatione nominarunt, & quod quæ in Scholis publicis docebantur, quasi ab omnibus probata traderent, & quod difficilem in suis Scholis disputandi rationem retinerent: adeo vt aliam apud populum docendi rationem sequerentur. Nam & distinctiones, & locutiones suas, & quæstiones in Scholis retinent, quæ sunt reliquis omnibus Christianis ignotæ, & ad συρφετώδη, ac σκοτεινὰ potius disputandi vsum, quam ad vllam conscientia-

entiarum ædificationem constitutæ. Itaq; quod ea doctrina ad populum minime pertineret, etiam Scholasticam appellarunt. Produxerunt autem Scholastici Doctores Sophisticam meretriculam, vt honestæ matronæ, sic Philosophię nomine & pigmentis exornatam, in mediam Ecclesiam, cum maximo ipsius Ecclesiæ damno; adeo vt Philosophi potius sint, quam Theologi dicendi. At enim, inquies, non sine magnis laboribus, multisq; vigiliis, acutam illam disputandi scientiam sibi compararunt. Sit ita sane: Verum enim vero, quum Scholasticos Doctores in suis acutis disputationibus laborantes, sudantes, anhelantes videmus, nobis Troianorum in mentem veniat, qui magno labore equum illum à Græcis fabricatum in suam vrbem introduxerunt, vnde consecuta est ipsius vrbis euersio. Sic enim Scholastici falsam Philosophiam magno conatu & studio in Ecclesiam attraxerunt, vt tanquam ex equo Troiano, innumerabiles errores prodierint, qui quidem, custodibus Ecclesiæ, somno, desidia, & insciti a iampridem sepultis, Ecclesiam ipsam inuaserunt, corruperunt, vastarunt: ita vt nisi tum Dominus nobis aliquot reliquias feciſſet reliquas, profecto nullam iam Ecclesiam haberemus. Ex multis autem Scholasticorum erroribus, quosdam tantum colligamus.

Primus error, quem videntur Scholastici in suis disputationib. admittere, is est, quod solent ex principiis Logicis disputare, atq; inde arcessere suas cõclusiones. Itaq; ꝓpositis quæstionibus,

bus, non scripturæ locos, sed vt plurimum axiomata Logica, & Maximas topicas, aut eo etiam aliquid minus, substernunt, in eorumque disputationibus scriptura muta est. Sæpe enim Philosophos, ac perraro Apostolos appellant: & si quando veteres etiam Doctores adhibent, tum illorum auctoritatem cum Scripturæ auctoritate confundunt, neque dubitant eorum scripta nomine scripturæ significare. *Lomb. l.1. sent. dist. 34. & l.2. sent. dist. 9. & passim.*

Secundus error hic est, quod de rebus Theologicis in vtramque partem, ac Topice disputant ex probabilibus argumentis. Quin etiam sæpe illis accidit, vt multis ac variis argumentorum fluctibus, modo in hanc, modo in illam partem iactati, nesciant, quem se tandem in portum recipiant: adeo vt Scotus ille subtilis, & plærique alii, rem dubiam ac minime definitam in medio relinquentes, permittant Lectoribus, in vtram velint sententiam discedere: *Si in hanc*, inquiunt, *ita respondeto contrariis argumentis: Sin mauis in illam, ecce tibi: quod rursus ad contraria argumenta respondeas.* Quid, quod multis obiectionibus propositis sæpe subsistunt, &, *Quare*, inquiunt, *solutionem.* Item, *qui potest, respondeat.* Obsecro, hoccine est Theologice disputare?

Tertius error hic est, quod veritatem obscurant suis argutiis, nedum illustrent. Nam quæ sunt difficilia, reddunt ipsi spinosis & contortis quæstionibus difficiliora: quæ vero per se facilia sunt & perspicua, illi obscuris quæstionum involucris obducunt; nodū, vt vulgo dicitur, in scirpo

Tcirpo quærentes. Quare quod aliquando dixit, Augustinus; *artem Sophisticam esse cauernæ Caci persimilem:* egregie videtur in Scholasticos quadrare, qui dum peregrinis dogmatibus, tanquam alienis diuitiis, gloriantur; adeo obscuritatē affectant, & latebras quærunt, vt quoties disputant, non res ipsas aperire, sed operire potius, & non tam hominis vocem, quam obscuros quosdam mugitus, ex tenebricosis illis quæstionum speluncis, edere videantur.

Quartus denique hic error est, quod Scholastici, vel potius Quæstionarii Doctores, terunt tempus in vanis & curiosis quæstionibus, iisque non tam explicandis, quam implicandis, quas κενοφωνίας Apostolus vult ab Ecclesiastico Doctore cohiberi. 2. Tim. 2. Et paulo post: *Stultas,* inquit, *& ineruditas quæstiones reiice, sciens eas gignere pugnas.* Quod quam verum sit, manifeste patet ex ipsis Quæstionariis, quorum vix duos reperias, qui in vnam eandemque sententiam conueniant. Sic plerunque videas à Thoma Scotum, à Scoto Occamum, ab Occamo reliquos dissentire; ita vt vix possis in eorum scripta ingredi, quin statim in eiusmodi altercatione vestigium ponas.

Cæterum ipsius Theologiæ Scholasticæ triplex ætas obseruanda est: Vetus, Media, & Noua. Veteris Theologiæ Scholasticæ initia à Lanfranco Papiensi cœperunt: sed ea duraſſe postea videtur, vsque ad Albertum Magnum, pene per annos 200. videlicet ab anno Domini 1020. vsque ad annum 1220. quo tempore

Lutetiæ Parisiorum ipsum Scholasticorum Theologorum Collegium, quod Sorbona dicitur, ædificari cæptum est. Hæc vero vetus Scholastica Theologia pudentior adhuc erat; & quanquam Patrum Ecclesiasticorum dicta ipsi verbo diuino æquabat, tamen verbum Dei tractabat, & commentariis pro captu illorum hominum, id est, pro ignorantia & barbarie illius ætatis explicabat. Aristoteles quidem in ipsius S. Theologiæ templi & sacrarii limen iam introductus erat: nondum tamen in ipsum templum, vel illius adytum. Id quod tamen postea perrupit, ac potius à Media Scholastica, quæ secuta est, deductus fuit.

Porro Lanfrancus, cum Ecclesiam Cantuariensem, magna tam industriæ, quam prudentiæ laude, per totos 19. annos, rexisset, è viuis excessit, anno 1089. 24. Maii febricula, quod sæpe optauerat, absumptus, & in Ecclesia sua, quam multum locupletarat, & ædificiis nouis ornauerat, honorifice tumulatus est. Palatium Archiepiscopale, quod est Cantuariæ, fere totum construxit.

Sed hoc (quo nihil magis ad laudem ipsius pertinet) nullo modo prætermittendū est, quod in deprauatis S. Bibliorum exemplaribus, quæ vbique per Angliam tunc temporis fuerunt vitiosissima, emendandis, multum vtilissimumq; laborem insumserit. Descriptis eius nihil attinet dicere, à Balęo sigillatim recensitis, quorum quamplurima doctorum manibus quotidie teruntur.

Beren-

Berengarius autem, aduersarius Lanfranci, fuit Ecclesię Andagauensis Archidiaconus, Platina teste, vir sanctitate & doctrina insignis. Is dogmati iam inualescenti de elemẽtorum euanescentia & conuersione substantiali in ipsum corpus & sanguinem Christi, publice contradicens, doctrinam Tertulliani, Ambrosii, Augustini, & aliorum Patrum, Scoti item & Bertrami palam professus est, atque defendit: elementa non abiicere substantiam, sed retinere materiam, & esse corpus atque sanguinem Christi mystica significatione, h.e. esse corporis & sanguinis Christi Symbola & figuram. Scripta quidem eius nulla extant, haud dubie oppressa aduersariorum artibus atque tyrannide. Centuriatores Magdeburgici recitant quatuor hypotheses doctrinæ Berengarii ex Lanfranco, in quibus candor merito desideratur. De sua sententia aduersus Transsubstantiationis errorem, tunc vulgo inualescentem, conferebat Berengarius cum multis eruditis familiariter; prę̃sertim cum Lanfranco amico tunc Cadomensi Abbate in Anglia, tandem ob damnatum amicũ, Cantuariæ Archiepiscopo facto; ad quem de controuersia Eucharistica scripsit Epistolam, quam clerici absente Lanfranco resignatam miserunt Romam ad Leonem IX. Pontificem. Is statim coacta Romæ Synodo Berengarium absentem, & in auditum hæreseos damnauit.

Lanfrancvs propter Epistolam Berengarii, vt ipse quidem scribit, in suspicionem adductus,

ctus, quasi cum eo sentiret, iussus est eius sententiam scripto refutare; quod dum facit, & doctrinam ex Augustino desumptam, aduersus præsentiam realem carnis & sanguinis Christi, sub speciebus signorum, sophistice deprauare atq; euertere studet, ansam præbuit Scholasticis, vt Transsubstantiationis dogma pertinacius deinceps tuerentur. In ea vero Synodo indicta fuit Synodus alia Vercellis celebranda. Erat hoc anno DOMINI 1050. Eodem igitur anno mense Septembri, ad Vercellensem Synodum vocatur Berengarius, verum grauatus præiudicio, & periculo territus non comparuit. Lectus est ibi primo liber Iohannis Scoti, & damnatus. Deinde exposita est Berengarii sententia, pariterque damnata. Rursus audita est Lanfranci, qui in ea Synodo regnabat, sententia & omnium approbata calculis. Duo clerici à Berengario missi ad Synodum, protinus atque Berengarium defendere, excusareque orsi essent, clamoribus oppressi, & in vincula coniecti sunt. Iam enim Romanenses carcere & ferro disputare didicerant.

Nihilominus Andegaui, Turoni, & in Gallia approbabatur vetus doctrina de Eucharistia, quam constanter asserebat Berengarius; & improbabatur Transsubstantiationis contrarium nouum dogma. Post annum vero quintum, Victor Papa, qui Leonis defuncti exuuias rulerat, Florentiæ celebrauit Synodum, in qua definitionem Vercellensis Concilii confirmauit, & misso legato Hildebrando in Galliam,

Turo-

Turoni, in patria Berengarii, aliud Concilium indixit, in quo data Berengario facultas defendandi partes suas. Animaduertens vero is, se vi oppressum iri, cretizandum sibi ratus cum Cretensibus, aduersariorum impetum fregit scripto, pronuncians, se communem de hoc articulo Ecclesiæ doctrinam amplecti, teste Lanfranco. Quo dicto, vti recte quidam scripsere, magis eluſit Concilium & Legatos Pontificios, quam libertatem confessore dignam seruauit. Professionem tamen veritatis postea minime abiecit, aut dissimulauit. Iterum igitur anno 1058. à Pontifice Nicolao Secundo, Romam ad Concilium euocatus, & per carcerem mortisque metum in consessu 114. Episcoporum ad palinodiam ab Humberto quodam Cardinali Burgundo scriptam adactus est, adeo crassam & crudam, vt ipsos Pontificios eius paulo post puduerit, atque etiamnum pudeat. Recitatur ea à Gratiano in decretis de consecrat. distin. 2. cap. *Ego Berengarius*: & Tom. 2. Concil. fol. 765. Offendit multos ea Berengarii pusillanimitas, tamen is recantationem sibi violenter extortam nec excusauit, nec ratam habuit, sed ductus pœnitentia abnegatæ veritatis cum Petro lapsum deplorauit. Quin & scripto edito publice palinodiam suam reuocauit, testificans, per vim abse extortam esse. Addunt alii scriptores, Hildebrandum, qui nomen Gregorii VII. in Pontificatu habuit, denuo contra Berengarium fulmen strinxisse, & conuocata Synodo in basilica Lateranensi eum hæreseos damnasse, anno Domini 1079.

Tunc igitur Berengarius, fulminum Papalium pertæsus, omisso docendi munere, atque literarum studio, omnia sua pauperibus erogans, de cætero manuum labore sibi victū quæsiuit, sicque de semel admisso abnegationis scelere perpetuam pœnitentiam egit, tandemque in fide vera, & constanti, ex hoc seculo feliciter ad Dominum emigrauit. Mortuo Berengario, non tamen vna cum eo extincta quoque est vera de sacra Cœna sententia & doctrina. Nam Bernhardus, Abbas Clareuallensis, annis circiter 30. post mortem Berengarii veteris Ecclesiæ de mysteriis doctrinam constanter retinuit. Erāt vero Episcopi & Doctores passim, post mortem Berengarii, omnes Papæ Romano turpiter sunt adulati, & dogma conuersionis præstigiosis disputationibus defenderunt: tamen diuina prouidentia factum est, vt Sophistæ saltem Augustini quadam ducti reuerentia, subinde contra se ipsos veritati testimonium dixerint: vt Algeri, Lanfranci, & aliorum scripta testantur.

Neque posteris temporibus defuerunt ex ipsis Decretistis & Scholasticis Doctoribus, qui talia scriberat, quæ recepto errori repugnarent; pro veritate autem in Berengario damnata manifeste starent.

Ætate Berengarii, Gratianus, Monachus Benedictinus, Decreta Pontificum Romanorum in vnum volumen primus congessit, circa annum Domini 1040. quod Decretorum opus etiamnum hodie nominatur, opus ad vsum forensem, ac quæstiones & lites illo seculo vexatas præser-

præsertim accommodatum. Ante Gratianum Iuo Carnotensis Episcopus simile quiddam cõdiderat; & ante Iuonem Burchardus, Wormaciensis Episcopus, sed vterque ille tenuiori stylo, & argumento scripserat. Itaque Gratiani liber vberior habitus est, & propter iuris ciuilis authoritatem inualescentem, quam obscurabat, gratissimus Pontificibus Romanis fuit, imo etiam nouis Iurisconsultorum Italicorum Summis, tanquam locupletior quidam thesaurus, illa ætate illustratus, & omnibus aliis scriptoribus prælatus est. Denique causam quoque & argumentum præbuit, vt Pontifices Romani deinceps infinita quædam alia decreta conderent, quæ & ipsa postea à Gregorio IX. Pontifice Romano, circa annum Domini 1230. in vnum quoque corpus ac volumen, pluribus libris distinctum, sunt collecta, & Decretalia nominata. De toto Gratiani Decretorum volumine vide Hyperium de Studio Theologico lib. 4. c. 5. p. 621. & seqq.

Hæretici. A tempore Caroli Magni, siue ab anno Domini 400. vsque annum Christi 1520. paucæ nouæ hæreses sunt ortæ. Multa autem fuerunt schismata, præcipue Pontificum Romanorum.

SYNODI
Celebratæ sub Carolo Magno, & aliis Imperatoribus vsque ad Henricum IV.

SVb Carolo Magno aliquammultæ Synodi recitantur celebratæ: veluti Francofurtenſis, Hallenſis, Aquiſgranenſis, Compoſtellenſis, Pariſienſis, Bauarica Saleburgenſis, Mogunina, Remenſis, Turonenſis, Cabilonenſis, Arelatenſis, Triburiana, & ad villam Theodonis, in Ducatu Lutzenburgico. In Francofurtenſi Synodo, Anno 794. diſputatum eſt contra imagines, ita vt fuerit anti Synodus Nicenæ II. Iam enim à Gregorii Magni Pontificis tempore diſſenſio gliſcebat de cultu imaginum in templis. Alii tollendas & confringendas: alii pro libris Laicorum retinendas, alii etiam adorandas eſſe contendebant. Legatur Epiſtolium Gregorii ad Serenum, Epiſcopum Maſſilienſem, de Imaginibus in Eccleſiis non confringendis. *Regiſt. lib 7. Epiſt. 109.*

Nec multo poſtea diſputatio in grauiſſimum exarſit diſſidium Græcorum & Latinorum: celebratis hinc inde variis modo pro veneratione, modo contra venerationem Imaginum Conciliis. Durauit Imaginarium illud bellum annis prope centum, tandemque Occidentem ab Orientis Imperio diuulſit.

Anno 816. Synodus Aquiſgranenſis celebratur ſub Ludou. Pio Imp. item Ticinenſis: & ſub eodem

eodem anno 824. Wormatiensis, Anno 829. Moguntina & Parisiensis.

Anno 835. Synodus Aquisgrana ab officiis remouet, atque exiliis mulctat eos, qui conspirauerant in depositionem Ludouici Imperatoris.

Anno 848. Rabanus Maurus, iussu Lotahrii Imperatoris, & Ludouici Regis Germaniæ, indixit Synodum Moguntiæ, in qua Godescalcum presbyterum, tanquam hæreticum, de libero arbitrio, prædestinatione, & sanguine Christi male sentientem, refutauit.

Anno 853. Celebratur Synodus Romana, ad instaurandam disciplinam Ecclesiasticam.

Anno Domini 855. Ludouicus II. Ticini Synodum indixit, de statu Ecclesiæ.

Eodem anno Synodus Constantinopolitana egit de coniunctione Ecclesiarum Orientis & Occidentis.

Anno 864. celebratur Synodus Metensis, & Aquisgrana. In illa Thietberga, vxor Lotharii, Regis Lotharingiæ, arcetur à matrimonio, & pœnitentiæ subiicitur: In hac Lotharius accipit ius ducendi aliam vxorem.

Anno 865. Synodus Romana damnat acta Synodi Metensis & Aquisgranensis.

Anno 866. Synodus Francica iubet Lotharium cum vxore legitima reconciliari, sub pœna excommunicationis.

Eodem anno Synodus Constantinopolitana approbat cultum imaginum, sub Michaele Im-

per. præsentibus legatis Nicolai Papæ: & quod Ignatius iuste amotus, & Photius recte surrogatus sit, decernit. Nicolaus vero Papa in Synodo Romana rescindit acta Synodi Constantinopolitanæ, quod quædam contra principatum Romani Pontificis erant inserta.

Anno 868. Synodus Wormatiensis edidit symbolum & Canones 80.

Anno 870. Synodus apud Acciniacum coercet παρρησίαν Hincmari, Archiepiscopi Rhemensis, qui scripserat contra Cæsaro-Papatum Romanum.

Anno 870. celebrata est Synodus Constantinopolitana, quam aliqui octauam vniuersalem nominant: Imp. Basilio Patre, & Constantino ac Leone filiis. Omnes ibi obligantur ad obedientiam Romanæ sedis, subscribentes intromittuntur: recusantes, cum ignominia foris relinquuntur.

Anno 861. Synodus Colonienſis, recitatis epistolis Pauli ad Timotheum & Titum, sacerdotes & Episcopos auaros, Veneri ventriq; deditos, ignominia notauit, & tribu mouit.

Anno 876. Celebratur Synodus Pontigonensis, præsente Imper. Carolo: in cuius actione prima disceptatum est de primatu Ansegisi, Senensis Episcopi.

Anno 878. Synodus Trecanensis excommunicat eos, qui in Italia occupauerant loca Ecclesiæ Romanæ.

Anno 888. Synodus Moguntina exigit decimas, sub pœna excommunicationis, & coniugium

gium presbyterorum æque ac fornicationem, damnat

Anno 900. Rauennatensis Synodus acta Stephani VI. Papæ publice omnibus spectantibus cremat, & acta Formosi Antipapæ probat.

Anno 905 Duæ Synodi Gallicanæ habentur Rhemis de bonis Ecclesiasticis.

Anno 916. celebratur Synodus Altheimensis.

Anno 927. Duisburgensis Synodus congregata fuit.

Anno 935. Magna Episcoporum & Abbatum Synodus Erfurdiæ in Thuringia celebrata fuit. Verum causam nemo refert. Tanta fuit Historicorum inertia & socordia.

Anno 943. celebris fuit Synodus Bonnæ, sub Othone I. Imp. sed neque causam, neque euentum eius indicant Historici.

Anno Domini 962. Otho Magnus Imp. Synodum habet Romæ, qua deponitur Iohannes Duodecimus Papa, quod iuramentum Imperatori præstitum non seruasset, aureas cruces & calices scortis distribuisset. Electus itaque est Leo VIII qui Othoni, eiusque successoribus, facultatem dedit ordinandi Pontificem, & eligendi successorem.

Iohannes vero congregat Romæ Antisynodum, & Leonem anathematizat. Iohanne Duodecimos, è rebus humanis sublato, cum Romani Benedictum elegissent, Imperator Ro-

mam rediens in Synodo restituit Leonem, Benedicto in exilium relegato Hamburgum.

Anno 967. Otho Imper. Romæ, Iohanne XII. in sedem reposito, Synodum celebrauit, in qua vrbem Romam, & exarchatum Rauennæ Papæ reddidit.

Anno 975. Synodus Vintonienſis in Anglia asserit coniugia Sacerdotum.

Anno 1002. Henricus II. Imp. in Synodo Metenſi arguit Episcopos, quod non improbassent coniugium Conradi Austrasiorum Ducis, cum Mathilde, sanguine sibi proxima.

Anno 1016. Idem Imperator Aquisgrani indixit Synodum, vbi tractatum fuit de Rep. pacanda, & ira Dei placanda per ieiunia, solennes eleemosynas, & similia.

Anno 1017. Synodus Nouiomagenſis deliberauit de instauranda religione.

Anno 1046 Synodus Sutrii, consensu Imper. Henrici III. elegit Clementem II. tribus Pontificibus profligatis. Ibi iureiurando obstricti Romani, vt à Pontificum electione in posterum abstinerent. Sutrio Romam venientes, Clemens consecratur, Henricus Imperatoriis insignis decoratur: tum ad Ecclesiæ reformationem, quę per 200. annos ægrotare dicebatur, conuertuntur, & in Synodo improbant nundinationem sacrorum Ordinum.

Anno 1048. Henricus III. Imper. in Synodo Mersburgenſi tractauit de electione Papæ & collatione Episcopatuum in Germania.

Anno

Anno 1050. Synodus Moguntina, præsente Imperatore Henrico III. prohibuit Simoniam, & coniugia sacerdotum; & statuit, ne clerici alant canes aut aues ad venationem, neue secularia negotia, & turpia lucra exerceant.

Anno 1050. Synodus Vercellensis damnauit sententiam Berengarii, qui transubstantiationem in Missa negabat. Variæ Synodi hinc inde de hac controuersia institutæ sunt à Leone IX. & aliis Pontificibus Romanis.

IMPERATORES ROMANI AB Henrico IV. vsque ad Carolum V.

HEnricus IV. Imp. cum Pontificibus Romanis, Gregorio VII. & aliis, varia certamina subiit: cum Saxonibus bellum gessit, ab iisdem accusatus apud Pontificem, excommunicatus, & in locum eius suffectus fuit Rudolphus Sueuus, cui Papa Gregorius VII. coronam misit, cum hac inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Vnde ingentia certamina sunt orta: donec Rudolphus aliquot præliis fractus, dexteram manum à Godefrido Bullionæo sibi præcisam, tandemque vitam cum magna pœnitudine amisit. His malis accesserunt & alia: cum maxime filii Henrici V. aduersus Patrem nefaria conspiratio, à Pontifice & eius asseclis constructa: quas omnes calamitates innumeras prope, annis 50. exantlatas, excepit Imperatoris Henrici IV. extrema

paupertas, custodia, mors, & sepulturæ denegatio, per totum quinquennium, quod cadauer eius Spiræ stetit in Sarcophago lapideo extra templum: cum princeps fuerit vere magnanimus, pius, & in bellis felix: domi vero inter suos, ob fraudes Pontificum & clericorum, infelicissimus.

Sub Henrici IV. Imperio Gothofredus Bullionæus, maximas copias aduersus Saracenos & Turcas, in Palæstinam deduxit, & recepta Hierosolyma hostes illos late profligauit; regnumque ibidem constituit; memorabili ad omnem posteritatem exemplo.

Post Henricum IV. successit filius eius Henricus V. Anno Domini 1106. qui impietatis aduersus Patrem pœnas dedit Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus, quibus adhæserat. Nam ab his excommunicatus, & ab omni iure electionis, ac confirmationis Pontificis Rom. Clerique deiectus, variis bellis implicatus fuit: tandem mortuus Traiecti sine liberis, & sepultus Spiræ, Anno Domini 1125. 12. Calen. Iunii, relicto Imperio Romano in magna perturbatione à Pontificibus Romanis, & aliis rebellibus conflata.

Lotharius II. Saxo Imperator Innocentium II. Pontificem Rom. contra Pseudopapam defendit: Romanæ Ecclesiæ authoritatem defendit & auxit: Mortuus tandem prope Tridentum, Anno Domini 1138. & sepultus inter Helmstadium & Brunsuigam Cæsareæ Lotharix.

Con-

Conradus III. Sueuus, Lothario successit, Anno Domini 1139. Nutare iam & labi cœperant res Christianæ in Asia, præsidiario milite destitutæ, quas reliquiæ adhuc vtcunque sustentabant Armeniorum auxiliis, qui religionis societate nostris coniuncti, Turcis agros Christianorum infestantibus à tergo assiduè inhærebant. Nec solos Turcos iam, sed & Saracenos Ægyptios nostri habebant hostes. His vt subueniretur mature, priusquam penitus concíderent, Conradus Imperator, & Ludouicus Franciæ Rex, impulsu Diui Bernhardi, maximos traiecerunt in Asiam exercitus, rebus omnibus instructos, anno Christi 1146. Hi ad Byzantium cum conuenissent, atque explorata prius Manuelis Comneni, qui Orienti præerat, voluntate, de tota inter se belli ratione consultassent, partitis agminibus hostes in diuersis sunt locis aggressi. Sed expeditionis sapienter deliberatæ, & optima ratione institutæ, exitus fuit infelix, Manuelis Byzantini scelerata perfidia, exercitu in Asia accíso, attenuatoque ferro, fame, veneno, & fraude. Imperator igitur Conradus III. nulla re memorabili effecta, post exactum annum quartũ, in Germaniam redire coactus est. Obiit Bambergæ, Anno Christi 1152. Imperii 15.

Eo sublato, Conradi ex fratre Nepos, Fridericus I. Sueuiæ Dux, cognomento Barbarossa, electus, & Aquisgrani coronatus est Imperator. Hic Pontificum Hadriani IV. & Alexandri III. ambitionem per Germaniam fregit: ab

iisdem

iisdem vicissim affligitur, & Venetiis captum filium Othonem liberare volens, duras ab Alexandro III. conditiones suscepit: pedibus a eo conculcatus in vestibulo S. Marci, adiectis verbis Psalmi: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis*, accepta venia pacauit Italiam, iura feudalia per Germaniam instaurauit: Studiosis scholarum priuilegia & immunitates perpetuas cõcessit. Bellum sacrum contra Saracenos suscepit, socio Gallorum Rege Philippo, & Richardo Anglo. Sed dum forte in Serra fluuio Armeniæ lauat, abreptus vndis suffocatus dicitur, anno Christi 1190. sepultus Tyri.

Successorem reliquit Henricum VI. qui Italiam ingressus, coronatusque à Cœlestino Pontifice, Apulos Siculosque, defectionem molientes, multis præliis compescuit. Mortuus Messanæ, anno Christi 1198.

Huius frater Philippus, placato Pontifice Romano, Imperator renunciatus est. Sed mox iterum per insidias ab Othone Wittelsbachio sublatus. De Philippo Imp. per Innocentium III. Papam excommunicato; & de bellis inter Othonem & Philippum; lege apud Vrspergensem, & alios.

Post cædem Philippi rediit Imperium ad Othonem IV. Brunsuicensem Ducem, Henrici Leonis fratrem: qui tamen non diu id possedit, deiectus & excommunicatus Pontificis Innoc. III. sententia, per quem fuerat euectus. Etsi vero Otho conuentu Norimbergæ indicto, querelam grauem habuit apud Imperii ordines,

dines de Papæ iniuriis, nihil tamen obtinuit. Nam Papa nihilominus Fridericum II. contra illum confirmauit, & vt Aquisgrani inauguraretur, effecit. Obiit Otho inglorius, & ab omnibus desertus, Brunsuigæ, Anno Domini 1218.

Fridericus II. Henrici VI. filius, cum Pontificibus Romanis Honorio III. Gregorio IX. & Innocentio IX. dura admodum fortuna, & molestiis maximis conflictatus est: Longæ sunt ambages, iniuriæ vero acerbissimæ. Anno 1228. à Papa Gregorio IX. excommunicatus, Reges & Principes mundi hortatus est, ne Papæ & Cardinalibus obedirent. Eidem tribuitur hoc distichon:

Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Extinctus est veneno, sepultus Panormi, anno Domini 1250. A Friderici II. morte, ad Rudolphum Habspurgensem, interregnum fuit per annos 22.

Durante adhuc interregno Germaniæ, tandem hortatu Pontificis Gregorii X. facto conuentu Lausannæ, Rudolphus I. Habspurgensis, Landgrauius Alsatiæ, Imperator communibus suffragiis salutatur, & à Pontifice confirmatus, Aquisgrani coronatur. Anno Domini 1273. Rebus humanis exemptus est, anno Domini 1291.

Post Adolphum Nassouium, in prælio occisum, Anno 1298. Albertus Austriacus, Rudolphi

phi filius, à Cunctis Electoribus Francofurti designatus est Romanorum Rex, tanto concursu, vt in eo Dux Saxoniæ fuerit oppressus atque suffocatus: consecratus Aquisgrani. Sed cum à Pontifice Bonifacio VIII. coronam peteret, ostentans ille sese insolenter, gladio & corona, primo confirmare eum noluit, propterea quod Adolphum Nassouium occidisset, & potestatem sibi in Politicis atque Ecclesiasticis rebus vsurparet: sed postea persuasus ab Alberti Cancellario, consensit.

Alberto successit Henricus VII. Lucelburgensis, Anno Domini 1308. qui in Italiam profectus, Mediolani coronam ferream accepit. Romam veniens in Laterano coronatus, & Augustus appellatus est: tandem fraude Senensium à quodam Monacho, Ordinis Prædicatorum, hostia venenata, quam in Eucharistia ei porrexit, interfectus, & sepultus Pisis, Anno Christi 1313.

Sublato æmulo, Friderico Pulchro, Austriæ Duce, Alberti Cæsaris filio, Ludouicus V. Bauarus, solus Imperium obtinuit. Hic Italiam petiit ad sopiendas reliquias factionum Gibellinorum & Guelphorum: id quod offendit Iohannem XXII. qui ob id Ludouicum Cæsarem excommunicauit, & Auinionem (quo tum ex Italia sedem Romanam transtulerat) ad dicendam causam citauit. Ludouicus Imperat. à Pontifice prouocauit ad Concilium generale: Vnde ingens orta disputatio; quibusdã Theologis & JCtis Papam, quibusdam Cæsarem publi-

blicis scriptis defendentibus. Profectus tamen in Italiam Cæsar, Vrbes quasdam reformauit, præfectis suis ibi collocatis: Romam contendens, cum coronationem à Pontifice obtinere non posset, à Stephano Columna Cardinali, consentiente Senatu, & Plebe, Cleroque, diademate vna cum vxore insignitus est. Post habita Synodo, Papam Iohannem XXII. illius authoritate, vicissim abdicauit; surrogato Nicolao V. & publico scripto factum suum defendit. Sed reuerso Ludouico in Germaniam, Italiæ Vrbes, & in his Pisæ deficientes Nicolaum V. captum ad Iohannem Pontificem in Galliam miserunt. Quare permotus Cæsar, Iohannem Bohemiæ Regem in Italiam misit cum exercitu, qui multas ciuitates in potestatem suam redegit. Sublato è viuis Iohanne XXII. Ludouicus Cæsar à successore eius Benedicto XII. absolutionem ab excommunicatione petiuit; quam impediuerunt Philippus Galliarum, & Robertus, Siciliæ Reges: ex quibus tamen Philippus Cæsari reconciliatus, legationem vna misit cum Imperatore ad Papam pro absolutione. Sed cum & hic recusaret eam, Cæsar habito conuentu Francofurti, acta Pontificum rescidit, facto decreto, quod Pontifici nihil iuris competat in Romanum Imperatorem; sed maiorem esse Concilii authoritatem, quam Pontificis. Inde cum facto nouo Pontifice Clemente VI. iterum ab hoc absolutionem petiuisset; ille autem iniquissima & indignissima quæque offerret Cæsari; ac inter alia, vt

se, suos

se, suos liberos, ac bona, potestati Papæ subiiceret, fasces Imperii deponeret, confiteretur errores & hæreses sibi obiectas : iterum egit conuentum Imperator Francofurti, & Ordinum Imperii beneficio tutum se fore speravit. Sed Pontifex de nouo excommunicatione Cæsaris promulgata, cohortationem ad Electores fecit, vt sub eadem pœna, & grauissimis aliis periculis, intra tempus præfinitum, depositio Ludouico Bauaro, alium Imperatorem crearent. Iccirco Proceres euocati à Moguntino, abdicato Ludouico, elegerunt Carolum IV. Iohannis Bohemiæ Regis filium, probante Pontifice: à qua electione non multo post Cæsar Ludouicus ex venatione rediens, lapsu equi concussus, diem extremum obiit Anno Christi 1347. Imperii 33. Magni tum in Christiano orbe motus fuerunt propter tyrannidem Pontificum, & Gallorum atque Anglorum dissidia.

Carolus IV. amauit literas & literatos: Academiam Pragensem instituit; lectionibus & disputationibus interfuit. Floruerunt etiam Colonienſis, Erphordienſis, & Viennensis Academiæ sub ipso: Fastum Clericorum odio habuit, reprehendit, & reformauit, *quoad potuit*: tandem Pragæ obiit, Anno Domini 1378. cum imperasset annis prope 33.

Huic successit filius plane dissimilis, Wenceslaus, qui scribitur matrem in partu extinxisse; aquam in Baptismo, & aram in sua inauguratione cœno polluisse. Huic ob ignauiam Imperium abrogatum est, anno Christi 1400.

& ad Fridericum, Brunsuigæ & Lunæburgi Ducem delatum: qui statim insidiis & fraude Moguntini Archiepiscopi ad Frislariam extinctus est: vnde illud peruulgari cœptum, quod Moguntiæ in limine Basilicæ Cathedralis inuentum est, lapidi cuidam inciſum: Moguntia ab antiquo Nequam. vide Brunnium. pag. 251. in Sax. Elector.

Rupertus, Bauariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, occiso Friderico Brunsuicensi, Romanorum Rex electus est, Anno Christi 1400. In Italiam à Pontifice & Florentinis vocatus, comprimere quidem conat° nefarios Galeacii, Mediolani Ducis, ope summa nitebatur; sed obsistebat ei præsul Moguntinus, vt nauare & efficere nihil posset. Ex Italia Heidelbergam reuersus, Francofurti Comitia celebrare instituit, ob Pontificum Romanorum schismata: & cum Imperii Principibus de futuro Concilio deliberauit, ne Christiana Ecclesia quorundam malitia tam fœde lacerar etur. Erga Academiam Heidelbergensem singularem semper amorem, studiumque suum declarauit: priuilegia & iura Studiosorum confirmauit. Obiit Oppenhemii, Anno 1410. die 18. Maii. Sepultus Heidelbergæ in templo Sp. S.

Sigismundus, Caroli IV. filius, Romanorum Imperator, triennio peragrata Italia, Hispania, Anglia, Gallia, Regum consensu obtinuit Concilium Constantiense: tres Papas adulterinos sede mouit, & ordinarium constituit: Hussitarum caussam cognouit, exusto Iohanne Husso, & Hieronymo Pragensi. Bellum ob

id per

id per Bohemiam sustinuit graue & diuturnum, quod Hussitæ, Duce Iohanne Zisca, vir strenuo, gesserunt contra Imperatorem, & ordines Imperii, eorumque socios Italos & Anglos; donec post Basilienſe Concilium, inter se dissidentes ipsi, & viribus attriti, vna cum Bohemia, & Ducibus suis Procopiis, in fidem Imperatoris redierunt. Sub eo Zingari, siue Zeugini, populi vagabundi, primum in Germaniam venerunt. Obiit Anno Domini 1438.

Post fata Sigismundi Albertus II. Austriacus gener, cum Imperio Romano simul duo potentissima Regna, Hungaricum & Bohemicum obtinuit, Anno Christi 1438. sed altero mox anno dissenteria correptus, ex peponum esu nimis assiduo, interiit in Hungaria, non procul à Strigonio.

Secutus deinde est Fridericus III. Archidux Austriæ, à Nicolao Pontifice coronatus in Italia, Anno 1440. Eius temporibus graue & periculosum bellum exarsit ob Archiepiscopatum Moguntinum, quem remoto Diethero Isenburgico, Pius II. Pontifex, Adolpho Nassouiensi, fauente Cæsare, concesserat. Dietherum defendit Fridericus I. Elector Palatinus, & prope Heidelbergam commisso prælio tres Principes cepit. Mahometus etiam Turcicus Imperator Constantinopolin expugnauit, Constantinum, vltimum Orientis Imp. cum omni sobole regia sustulit, & Turcicæ tyrannidis domicilia ibi constituit, Anno Christi 1443.

Efflo-

Efforuit sub eodem Imperatore ars Typographica, primum Argentinæ à Iohanne Gutenbergio excogitata; vbi etiam Iohannes Mentelius primos authores bonos impressit. Inde Moguntiæ exculta per eosdem: Porrò Romam translata per Iohannem Gallinaceum: mox Parisiis, Antuerpiæ, Venetiis, aliisque locis celeberrimis propagata & exornata, incredibilem vsum generi humano in omnes partes præbuit. Tandem optimus Imperator Fridericus III. obiit Lyncii, Anno Christi 1493. Imperii 53. quos post Augustum Cæsarem vix quisquam assecutus est.

Patri Friderico III. ceu fidus Achates adfuit filius Maximilianus I. qui Anno Christi 1486. in consortium Romani Imperii electus, & Aquisgrani corona Caroli Magni decoratus est, viuente, inspectante, & lachrymante Patre, qui mutum eum fore metuit, eo quod ad annum vsque ætatis nonum parum, aut nihil esset locutus; cum postea Latinè, Gallicè, Italicè, aliisque linguis, expedite & facunde cuncta proferret. Diadema de more maiorum non recepit, nec Pontificem salutauit. In pace coluit literarum & linguarum studia, inprimis Historiarum, quibus scribendis ipse per otium fuit deditus: excitatus hauddubie exemplo parentis & maiorum; sub quibus literæ, & artes reuixerunt, & multi clari viri in omni disciplinarum genere extiterunt. Academias instaurauit complures, & Principibus Germaniæ ad easdem fouendas author extitit: vt Ingolstadiensem,

Tu-

Tubingensem, Moguntinensem, Wittebergensem, Francofurdiensem ad Oderam, &c. E vita migrauit, Anno Domini 1519. Imperii 5. ætatis suæ 63.

PONTIFICES ROMANI A Gregorio VII. vsque ad Leonem X.

GRegorius VII. Hildebrandus dictus, natione Tuscus, ex Archidiacono Cardinalium, Cleri-, populique Romani consentientibus suffragiis, nulla authoritate Imperatoris Romani interposita, Pontifex est factus, Anno Christi 1073. Quare offensus Imperator Henricus IV. Imperii ius tueri omni cura & contentione conatus est. Iccirco Romam misit Comitem Eberhardum, qui cum nauare & obtinere, quod æquum & iustum esset, nihil posset; coactus est ipsemet Imperator cum exercitu Romam accedere, vbi Gregorium VII. anno Pontificatus eius vndecimo, assentientibus Romanis ciuibus, munere priuauit, Clementemque III. in sede Pontificia collocauit, qui annos XVII. in ea sedit. Inde Schisma horrendum extitit, quod Imperium grauiter conuulsit & labefactauit. Idem Gregorius primus Imperatorem excommunicauit, & Imperii Principibus author fuit, vt amoto Henrico IV. alium Imperatorem eligerent; electoque Rudolpho Sueno coronam misit, addita hac inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus Diade-

ma

ma Rudolpho. Ante mortem tamen agnouit delictum suum, veniamque à Cæsare per legatos petiit, tum suos ad obediendum Cęsari hortatus est: vt Sigebertus scribit. Obiit Salerni, Anno Domini 1085. Benno Cardinalis librum de eius vita scripsit, in quo ait, illum fuisse, *homicidam, adulterum, necromanticum, schismaticum, hæreticum, omnium mortalium pessimum.* Sigebertus quoq; in Chronographia sua multa de eo mala commemorat. Similia habent Conradus à Lichtenavv, Abbas Vrspergensis: Otho Frisingensis: & Auentinus lib. V. Hist. a quod quos infinitis criminibus oneratur Hildebrandus. Bellarminus vero testes nescio quã multos commemorat, qui eum virum bonum fuisse affirmant: & Onuphrius scripsit libros quinque, de rebus gestis & laudibus huius Gregorii.

Clemens III. creatus ab Imperatore Henrico IV. & 30. Episcopis, Brixiæ sedit annos 17. contra Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. & Paschalem II. Obiit Romæ Anno Domini 1101. Sepultus Rauennæ. Non longe post corpus eius exhumatum iussu Paschalis II combustum est.

Victor III. Desiderius antea vocatus, Papatum iniit non Cardinalium, aut populi Romani suffragiis electus, sed à Mathilda meretrice, ac suæ factionis Normannis intrusus. Gregorii defuncti partes fortiter defendit aduersus Henricum IV. Imp. & Clementem III. eius Papam.

Vrbanus II. Patria Gallus, Otho antea dictus, inuito Imperatore ad Papatum venit, per Normannos Apuliæ Dominos, qui & Victorem intruserant. Is ille est Hildebrandi discipulus ac pedissequus, quem Benno Cardinalis Turbanum contemptim vocat, cœcum, schismaticum, hæreticum, & Liberii Arianisocium. Guibertum Rauennatem, qui & Clemens III. dicebatur, quod esset ab Imperatore electus; Imperatoremque ipsum Henricum IV. excommunicauit. Multas Synodos celebrauit, 1. Melphi. 2. Troiæ in Apulia. 3. Placentiæ. 4. in Claromonte. 5. Turonis: in quibus Hildebrandi & Victoris III. acta confirmauit, & nouas leges Ecclesiasticas tulit, ne quid de Pontificia authoritate vi aut fraude acquisitum deperiret. Ecclesiasticos quosdam cum Imperatore sentientes aduersarios habuit. Philippum Francorum Regem excommunicauit, quod viuente legitima vxore aliam superinduxisset. Principes Christianos ad arma contra Saracenos concitauit sub recuperandæ Hierosolymæ fuco. Sedit annos IV.

Paschalis II. contra Clementem III. sedit annos XVIII. menses V. Bellator strenuus, & in turbanda Germania nulli inferior. Excommunicauit Henricum IV. Imperatorem, filiumque eius Henricum V. contra illum incitauit. Quin in mortuum etiam ita sæuiit, vt cadauer Leodii sepultum rursus ex sepulchro extrahi iusserit, staregue in feretro quinquennium totum coegerit. Henrico V. ius prodendi flamines, siue con-

conferendi Episcopatus, & sacerdotia, per virgam & baculum, de integro confirmauit. Non multo post tamen in Concilio Lateranensi reuocauit, & denuo abrogauit, ipsumque Imperatorem anathemate notauit. Qua de re legatur Chronicon Abbatis Vrspergensis. Hic Paschalis II. primus fuit, qui in suis Epistolis Imperatoris annos, vt consuetum erat, omisit, & sui Pontificatus annos substituit.

Gelasio II. Pontificatum abrogauit Henricus V. Imp. vicissimque ab eo excommunicatus est, ac diris deuotus.

Gregorius VIII. Hispanus, Anno Christi 1118, ab Henrico V. Imperat. Papa designatus contra Gelasium II. in monasterium relegatus est, vbi mortem cum vita commutauit.

Calixtus II. Burgundus, pacem cum Henrico V. Imp. fecit, sublato schismate diuturno, & annos V. menses X. sedit.

Honorius II. Pontificatui in pace & tranquillitate præfuit annos V. Confirmauit ordinem Templariorum, siue fratrum militiæ templi Hierosolymitani.

Innocentius II. Anno Christi 1130. in schismate electus contra Anacletum II. sedit in confusione annos tredecim.

Anacletus II. certauit cum Innocentio II. de Pontificatu, eoque superato dominatus est annos septem, menses vndecim.

Victor IV. Anno Christi 1138. in locum Anacleti substitutus, præsidio vero omni destitutus, cessit Pontificatu, & Innocentium Pontifi-

cem agnouit. Ita schisma, quod annos octo durarat, sublatum est.

Cœlestinus II. ante Papatum Guido dictus, Imperante Conrado, successit Innocentio, omnium Cardinalium suffragiis. Obiit anno Christi 1144.

Cœlestino defuncto Cardinales 43. Gerardum Caccianimicum Bononiensem Papam crearunt, & Lucium II. appellarunt: qui in seditione ciuili exstinctus est. Anno Domini 1145.

Eugenius III. discipulus Bernardi, bellum gessit cum Romanis, & alia aggressus est parum conuenientia Episcopo. Quamobrem scripsit ad eum Bernardus: *Quid alienos fines inuaditis? Tibi falculo opus est, non sceptro.*

Anastasius IV. prius Conradus de Suburra dictus, Papa factus est, Anno Domini 1153. Eius tempore Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, libris sententiarum conscriptis Theologiam Romanam valde prouexit. Tunc etiam florebat Richardus de S. Victore, cuius scripta nunc exstant integra.

Hadrianus IV. natione Anglus, D. Nicolaus Broekspare, Latine Hastefragus ante papatum dictus, Pontifex Romanus factus est, anno Domini 1153, Hic legatos misit Würceburgum ad Fridericum Imperat. qui literas Pontificis ei reddiderunt, ex quibus non obscure intelligere potuit, velle Papam, vt Cæsar agnosceret, se potestatem omnem à Pontifice Roma-

Romano habere, tanquam feudum. Quod Cæsar, Ordinesque Imperii indigne tulerunt. Itaque mox abire cum indignatione iusserunt legatos ex Germania. Cæsarem enim, Ordinesque Imperii nequaquam Pontifici acceptam referre Imperatoriam Maiestatem, dixerunt; sed à Deo, liberoque Electorum & Ordinum electione eam pendere: Pontificis vero coronatione tanquam signo electionis legitimæ comprobari: vt scribit Radeuicus Frisingensis. Hinc simultas orta est inter Cæsarem & Pontificem, quam auxit Pontifex, eum Mediolanensibus, & aliis in Italia, author deficiendi à Cæsare extitit. Cum etiam in animo haberet excommunicare Imperatorem Fridericum I. muscam, quæ forte in os eius inuolarat, deglutiuit, quæ cum eximi nulla arte posset, ea suffocatus est: vt Abbas Vrspergensis scribit.

Alexander III. & Victor IV. Anno Christi 1159. per schisma horrendum simul electi sunt à Cardinalibus, quorum alter alterum excommunicauit. Quod malum cum sanari nulla ratione posset, requisitus est Imperator Fridericus, qui id temporis Cremam in Lombardia obsidebat. Is ergo authoritatem suam interposuit, & Concilio Episcoporum totius Christiani orbis indicto, rem æquis conditionibus componendam proposuit. Citatus ad id est vterque Pontifex; & Victor quidem IV. comparuit; Alexander vero venire recusauit. Ita-

que pro contumace damnatus, Concilii iudicio Pontificia sede deiectus est: Victor vero IV. in ea confirmatus. Hinc Alexander in Galliam fugiens, in Concilio Claremontano Cæsarem & Victorem excommunicauit. Cæsar vero diu multumque ab eo vexatus, pacem tandem fecit hoc modo. Venetiis in vestibulo S. Marci supplex sese ad pedes Pontificis abiecit. Pontifex vero pedibus eum calcauit, & versum ex Psalmo acclamari iussit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* Quanquam autem Imperator dixit; *Non tibi, sed Petro potestas hæc data est:* tamen respondit Pontifex: *Et mihi, & Petro.* Postea ad altare maius amboacesserunt, & accepta dataque salute fœdus fecerunt. Sedit Alexander annos XXI. menses XI. dies XXIII. Victor vero annos IV. menses VII. Lata est sub Alexandro lex, in Lateranensi Concilio, vt deinceps nemo, præter Cardinales, Pontificis eligendi potestatem haberet, quo vitari schismata possent.

Callistus III. sedit annos VII. menses V. Pontificatu se ipse abdicauit, & absolutionem ab Alexandro III. impetrauit.

Paschalis III. in locum Victoris *surrogatus*, anno Domini 1161. Sedit annos quinque.

Lucius III. in locum Alexandri electus, Anno 1181. sedit annos quatuor, menses duos, dies 28.

Vrba-

Vrbanus III. patria Mediolanensis, Lambertus Cribellus antea vocatus, sedit annum I. menses X. dies XV. Hunc (inquit Abbas Vrspergensis) multi Turbanum vocauerunt, eo quod quum esset Mediolanensis, in odium Imperatoris volebat turbare Ecclesiam, sed nutu Dei percussus interiit. Ad eundem Pontificem Gottifredus Presbyter Viterbiensis Historiarum ab orbe condito vsque ad tempora sua libros XVIII. misit; qui in Bibliotheca Vaticana asseruantur.

Gregorius VIII. purpuratorum consensu Vrbano successit, Anno 1188. Exspirauit Pisis venenata potione.

Clemens III. Paulus Scholaris antea dictus, post initum Papatum de bello in Saracenos gerendo edictum proposuit. Inde moti Principes arma sumserunt, & ex his præcipue Fridericus Imperator, Philippus Rex Franciæ, Richardus Rex Angliæ, & Otho Burgundiæ Dux: sequentibus multis Episcopis & Archiepiscopis. Sed nihil magnum peregerunt. Magna fuit illis temporibus pro recuperanda Hierosolyma Pontificum solicitudo; non adeo tamen pro Christianæ Reipub. commodo, quam pro ventrium impinguatione: vt exitus comprobauit. Senserant Principum arma non modico rerum suarum dispendio. Eos ergo ad vlteriores mundi partes transmittebant, vt interim suas ipsi artes exercerent domi.

Cœlestinus III. Hyacinthus antea vocatus, legatum misit Cardinalem in Poloniam & Bohemiam, vt sacerdotes ab vxoribus legitimis separaret. Sed is à Bohemis male acceptus est, ac vix vitæ periculum euitauit: vt scribit Mechouius.

Innocentius III. excommunicauit Philippum Imperatorem, & eius loco Othonem Saxoniæ Ducem designauit, eique obedire omnes Imperii Ordines voluit. Ex quo schisma horrendum ac bellum graue inter Philippum & Othonem natum est. Nihilominus vero Philippus Aquisgrani tandem coronatus est ab Adolpho Colonienſi Archiepiscopo, quem propterea Pontifex excommunicatum Episcopatu priuauit, Anno 1203. Non multo post etiam Othonem IV. prius à se coronatum excommunicauit, & imperio deiicere conatus est.

Honorius III. recepit & fouit contra Cæsarem ob contumaciam ex Lombardia & Tuscia eiectos. Vnde simultas inter Cæsarem & Pontificem orta est, quæ tamen interueniente matrimonio inter Imperatoris filium, & Regis Hierosolymitani filiam, sublata est.

Gregorius IX. prius dictus Hugolinus, Anno 1228. excommunicauit Fridericum II. Imperatorem, ob causas friuolas & falsas, sineque ordinario processu, neque præmonitum, neque auditum. De qua iniuria questus est Imperator grauiter in Epistola ad Principes Germaniæ,

maniæ, quæ in Chronico Abbatis Vrspergensis extat. Neque id solum, sed misit etiam Pontifex prædicatores in Germaniam, qui contumelioſe Imperatorem proclamarent. Ipse vero absenti Friderico, & sacrum bellum gerenti Apuliam ademit, & milites, qui secuturi illum erant in terram sanctam, retraxit. Imperator vero hæc terrena fulmina contempsit, & nihilominus rem in Palæstina feliciter gessit. Hoc odium Pontificis acerbissimum in Imperatorem durauit vsque ad Annum Christi 1230. quo Cæsar centies vicies mille vncias auri in ærarium Ecclesiæ retulit, & Pontifici reconciliatus est. Sed mala fuit gratia, quæ non multo post rescissa est. Cum enim Cæsar rebelles in Italia compressisset, Pontifex seditioſos ad se confugientes recepit, Cæsaremque iterum excommunicauit. Inde factiones Guelphorum & Gibellinorum diuturnæ & detestabiles ortæ sunt. Coniunxit se quoque Papa cum Venetis, contra Cæsarem facto fœdere. Iccirco in Italiam duxit exercitum Fridericus, & Romam obsedit. Papa vero crucem contra eum prædicauit tanquam aduersus infidelem, vitamque æternam omnibus contra illum pugnantibus promisit.

Cœlestinus IV. Gaufridus antea vocatus, Pontifex electus est, anno 1241. Doctus, sed senex admodum, & valetudinarius: qui etsi multa etiam contra Fridericum II. Imperatorem optimum moliri cogitauerat, ea tamen ob

vitæ breuitatem perficere non potuit. Post eius mortem vacauit Romana sella mensibus fere XXI.

Innocentius IV. Synebaldus antea dictus, sedem Pontificiam Lugdunum in Galliam, postea Genuam, tum Mediolanum transtulit, Cardinalibus pileum rubrum dedit, quo significari voluit, eos pro Ecclesiastica libertate vitam profundere, si necesse sit, paratos esse debere: vt Massæus in Chronico suo scribit. Concilium Lugduni habuit, in quo Imperatorem Fridericum II. excommunicauit, & Imperio priuauit. Interpretationes ad vetus Testamentum edidit, & Commentarios in Decretalium libros, quem Apparatum vocauit. Edidit etiam Nouellas, quas Authenticas vocant. Scripsit & librum de Pontificis Romani authoritate, & Imperatoris Iuribus, contra Petrum Vineam, qui imperium & rerum omnium profanarum arbitrium penes Imperatorem tantum esse profitebatur. Imperatorem à Pontifice deponi posse sanciuit.

Alexander IV. Rolandus antea dictus, ex Cardinali Hostiensi in Innocentii locum Papa Neapoli surrogatus est, Anno Christi 1255. Decretales epistolas edidit. Obiit Viterbii ex tædio animi, anno 1261.

Vrbanus IV. Iacobus Pantaleo ante Papatum dictus, sutoris veteramentarii filius, author est festi corporis Christi, h. e. circumgestationis consecrati panis in hierotheca cum pompa Persica. Sedit annos III.

Cle-

Clemens IV. ad Carolum Siciliæ Regem, cum in prælio Conradinum Sueuiæ, & Fridericum Austriæ Ducem cepisset, scripsit: *Conradini vita est Caroli mors, Conradini mors est Caroli vita.* Quo rescripto permotus Carolus vtrumque occidit. Mortuo Clemente vacauit sedes maximo Reipub. Christianæ malo & incommodo, propter Cardinalium discordiam, annos 2. Menses 9. D. 1.

Gregorius X. in Galliam proficiscens Anno Domini 1274. Lugduni Concilium celebrauit, in quo Michael Palæologus Imperator Constantinopolitanus cum Romano dogmate rursus conuenit, quum eius maiores duodecies antea conuenissent, semperque desciuissent. Rudolphum Habspurgensem Comitem, post longam Imperii vacationem, & bella ciuilia, Imperatorem approbauit, non creauit. Quanquam enim Rudolphi electioni annuit ea lege, vt Romam intra annum proficisceretur, diadematis caussa: Rudolphus tamen nunquam hoc fecit, publicas prætendens occupationes. Priuatim princeps sapiens dicere solebat: *Cæsarum vestigia lata ac magnifica videri in Italia introitu, sed in exitu tristia, misera, & luctuosa:* alludens ad illud Æsopicum de vulpe & leone, vbi vulpecula dicebat, se quidem videre multa introeuntium vestigia in speluncam leonis, sed exeuntium pauca.

Innocentius V. Petrus de Tarentesia prius appellatus, ad Papatum peruenit, Anno 1276. & eodem anno, quum multa facere proposuisset,

mone-

morte præuentus est. Genuenses & Venetos missa legatione conciliare studuit.

Adrianus V. Othobonus antea vocatus, sedit mensem tantum vnum. Rudolphi Imperatoris, opem implorauit contra Carolum Siciliæ Regem: sed id frustra fuit, cum Rudolphus occupatus esset bello Austriaco.

Iohannes XXI. Professione Medicus, & Logices cognitione apprime instructus, ruina noui cubiculi, quod Viterbii construxerat, misere oppressus est, anno Domini 1277.

Nicolaus III. Iohannes Caietanus ante appellatus, Romandiolam, Rauennam, & Exarchatum ab Imperatore traditum accepit ea conditione, vt sumptus ad bellum sacrum contra Saracenos præberet. Tum Romam ipsam in suam potestatem redegit, & se Senatorem perpetuum constituit.

Martinus IV. Papa designatus est anno 1281. Excommunicauit Petrum Arragoniæ & Siciliæ Regem, regnumque eius Valesio, Regis Galliæ & sororis Petri filio, tradidit: vt scribit Palmerius.

Honorius IV. Perusii Papatum sublimiter iniit, Anno 1285. Legatum misit in Germaniam ad conuentum Imperii Würceburgensem, per eumque neruos belli sacri contra infideles flagitauit; videlicet quartam partem omnium reditnum in Germania, ad annos quatuor: sed nihil impetrauit: vt scribit Aventinus. Obiit anno Domini 1287.

Nico-

Nicolaus IV. Pontifex renunciatus est, anno 1288. sedit annos IV. mensem 1. dies 14. Obiit anno 1292. prid. non. April. vacauit sedes annos 2. menses 3. dies 2.

Cœlestinus V. Petrus Moroneus ante vocatus, Pontifex declaratus est, an. 1294 Post menses 5. raro exemplo, dimissa sponte hac dignitate ad monasterium rediit.

Bonifacius VIII. Benedictus Caietanus antea nuncupatus, adeptus Pontificatum VI. Decretalium publicauit, & primus anni Iubilæi celebrationem instituit, in eaque plenam omnium delictorum indulgentiam, & remissionem peccatorum omnibus sanctorum Petri & Pauli limina Romæ visitantibus tribuit. Ad eam igitur ab omnibus partibus Christiani orbis concursus ingens factus est.

Tempore huius Iubilæi respondit Oratoribus Alberti Cæsaris, electionem non habere robur, quod sine sua authoritate facta esset. Hinc primo die se ostentauit in Pontificalibus: postero autem die habitu & infula Imperiali indutus gladium ante se nudum deferri iussit, & alta voce proclamauit: *Ecce duo gladii hic.* Qua voce publice professus est, se Cæsarem esse & Pontificem, veterum Augustorum Rom. imitatione, qui Imperatores simul & summi Pontifices erant. De hoc facto sic scribit Crantzius li. 8. Saxon. cap. 36. *Vide, ô Petre, successorem tuum, & tu salutifer Christe tuum cerne vicarium: Vide quo ascendit superbia serui seruorum tuorum.* Idem Bo-

nifacius Philippum Galliæ Regem excommunicauit, quod Papæ vasallus esse nollet. Philippus vero contempsit eius fulmen, & omnes reditus intercepit, ne Romam ex Gallia perferrentur. Pontifex contra Regnum ei in Concilio ademit, idque Cæsari Alberto tradidit. At Philippus indicto rursum Concilio hæreticum pronunciauit Papam, & vniuersale Concilium appellauit.

Incitauit etiam Sarram Columensem, vt noctu nihil metuentem opprimeret. Is ergo dormientem eum Anagniæ cepit, Romamq; adduxit, vbi paucis post dieb. dolore animi confect⁹ periit, an. 1303. De quo illud illud vulgo iactatum est: *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis:* qua formula loquendi Baronius sæpe vtitur de aliis etiam Pontificibus. Platina tanquam Epiphonema Historiæ Papæ Bonifacii Octaui, addit dignum memoria: *Moritur hoc modo Bonifacius ille, qui Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quã religionem iniicere conabatur, quique dare regna & auferre, pellere hoĩes ac reducere, pro arbitrio animi conabatur, aurum vndique conquisitum, plusquam dici potest, sitiens. Discant itaque huius exemplo Principes omnes, tam religiosi quam sæculares, præsertim clero & populis, non superbe & contumelioſe, vt hic de quo loquimur, sed sancte & modeste, vt Christus Rex noster, eiusque discipuli ac veri imitatores: & malint à populo amari quam timeri, vnde tyrannorum pernicies oriri merito solet.*

Bene-

Benedictus XI. post Cardinalatum & Episcopatum Ostiensem, ad Papatus apicem tandem peruenit, anno 1303. sedit menses nouem.

Clemens Quintus Episcopus Burdegalensis, author Clementinarum, quæ sunt septima pars Iuris Canonici, Pontifex Romanus electus est anno 1305. coronatus Lugduni. Eius coronationi interfuit Philip. Rex Franciæ, Carolus frater eius, Iohannes Dux Britanniæ, & quicquid nobilitatis Gallia tunc habebat. Dum vero pompa eius celebritatis ex more per vrbem duceretur, pinna muri pressura populi incubantis impulsa corruit; cuius casu Dux Britanniæ, multique ignotiores oppressi interiere. Carolus Regis frater debilitatus, & Pontifex ipse adeo in turbam præceps deturbatus est, vt mitra ex capite excussa Iaspidem precioſissimum amiserit. Hic Clemens V. quod Vasco esset, sub Alberto Austriaco Imperatore, sedem Romanam transtulit Auenionem in Galliam, quam tenuit ipse & eius successores annos continuos LXXI. vsque ad tempora Gregorii XI. qui sedem Romanam ex Galliis Romam reduxit. Obiit Clemens V. Anno Domini 1314. & vacauit sedes amplius biennio.

Iohannes XXII. Pontifex Lugduni creatus, Auenionem primus se cõtulit. Odium acerbum in Ludouicum Bauarum Imperatorem habuit, propter Gibellinos, quos ille contra Guelphos in Italia corroborauerat. Idque contineri tacitis discordiis non potuit, sed in fortunas

Cæsa-

Cæsaris & Imperii erupit. Nam & publico scripto Pontifex Cæsarem citauit, vt intra menses tres Auenione sese sisteret, factiq; sui rationem redderet, & vt interim Imperium deponeret, præcepit. Imperator vero Ludouicus adhibitis in concilium omnibus Academiis, ad generale Concilium prouocauit. Quod indigne ferens Pontifex, Imperatorem excommunicauit. Non multo post Romani à Pontifice postulant, vt Romam redeat. Quod cum facere is recusaret, Ludouicum Imperatorem accersunt; qui etiam anno 1327. cum exercitu accessit, & ab Italis honorifice exceptus est, Mediolanique coronatus. Rebus passim in Italia compositis, Romam venit: vnde missa Auenionem legatione coronationem à Pontifice petiit: quæ cum ab eo denegaretur, sequente anno nihilominus Romæ per Stephanum Columnam Cardinalem, inuito Pontifice, in Laterano, vna cum coniuge coronatus est, & Augustus appellatus. Mox de consilio Cardinalium, Episcoporum, & Cleri, Pontificem, Iohannem XXII. vicissim citauit, & coram dicere sententiam iussit; non Imperatorem ab Ecclesia, sed Ecclesiam ab Imperatore pendere, asserens: vt ait Onuphrius. Cum autem comparere Papa nollet, Pontificatu eum priuauit, & aliũ Nicolaũ V. in eius locum substituit, qui sedit Romæ annos 3. menses 3. dies 4. Mortuus Papa Iohañes XXII. dictus est ditissimus, eo quod in thesauris ducentas quinquaginta auri tonnas post se reliquerit.

Bene-

Benedictus XII. molitoris filius, Iacobus de Fumo antea vocatus, Avenione coronationis insignia suscepit, anno Domini 1335. Hic nihil in Ludouicum Imp. benignior, exsecrationes innouauit, honore illum regio spoliauit, ac Ducatu Bauarię sententiis priuauit. Imperialibus oppidis vicarios imposuit, Imperii ius ad se rediisse affirmans. Senatorum Romanorum munus ad se pertraxit, persuasitque ciuibus Romanis, vt relicto Imperatore se Pontificiæ potestati subiicerent. Hac iniuria incensus Ludouicus Imperator, in conuentu Francofurti ad Męnum acta Iohannis XXII. contra Cæsarem, de communi Imperii consilio, abrogauit, aperte demonstrans, Romanum Imperatorem non à Pontifice, sed à solo Deo, per legitimam Ordinum Imperii electionem, potestatem suam accipere; coronationem vero Pontificis neque addere, neque adimere quicquam Imperatoriæ maiestati; neque etiam conuenire Pontifici vllam iurisdictionem, aut potestatem Politicam: tum generale Concilium anteferendum esse iudicio Papæ. Hoc decretum factum & publicatum est Francofurti, assentientibus Episcopis & Prælatis, anno Christi 1338. Mortuus hic Benedictus, tale meruit Epitaphium:

Hic situs est Nero, Laicis mors, vipera Clero,
Deuius à vero, turba repleta mero.

Clemens VI. anno 1346. Ludouicum Imper. execratus est, hæreticumque ac schismaticum pronunciauit: tum Electores hortatus est, vt alium Imperatorem intra certum tempus crearent;

rent, alioqui sedem Apostolicam prouisuram esse, vt Ecclesia idoneum Imperatorem haberet. Causas reiectionis complures commemorat Nauclerus. Itaque mercede quidam conducti Principes Germaniæ, in villa Rens, diœcesis Treuirensis conuenerunt, & Iohannis Bohemiæ Regis filium, Carolum Quartum elegerunt: cuius electionem tamen non omnes approbarunt. Idem Clemens Sextus anno 1350. Iubilæum, quem Bonifacius Octauus anno centesimo celebrari iusserat, transtulit in annum quinquagesimum; quod diceret, ætatem hominum Iubilæum centum annorum raro attingere. Itaque hic fuit Iubilæus secundus, ex ordinatione Pontificia Romæ celebratus, ad quem multi vndique pro remissione peccatorum omnium impetranda concurrerunt, & pro remissione peccatorum mortem corporis reportarunt, vix decimo ex millenis superstite, adeo pestis grassata est.

Innocentius Sextus Pontificii Ciuilisque iuris vir consultissimus, Pontifex creatus est, Anno Domini 1352. 16. Kalend. Decemb. Eius iussu Carolus Quartus, Romæ à duobus Cardinalibus Imperii coronam accepit, sed *hac adiecta* conditione, vt neque Romæ, neque in Italia diutius moraretur. Obiit anno Domini 1362. die 12. Septembr. cum sedisset annis 9. mense 1. diebus 28. sepultus extra Auenionem, apud Carthusianos.

Vrbanus Quintus, Innocentio successit. Caroli

roli Quarti Imper. vxorem Romæ coronauit, & crucem contra Turcas prædicari iussit. Ad Italiam redire ei in animo fuit, verum dum in Gallias proficiscereturspe reducendæ in vrbem curiæ, anno 1370. Auenione 14. Kalend. Ianuar. rebus humanis excessit, non sine veneni suspicione. Sedit annos 8. Huius Vrbani Quinti tempore circa annum Domini 1369. Iohannes Wiclef, Anglus, in Anglia multa scripsit contra receptas seculi sui opiniones, & Papatum falsitatis arguit, ideoque inter hæresiarchas numeratus est. Huius discipulus fuit Iohannes Hussus, qui Wiclefi libros & dogmata in Bohemiam transtulit: vt infra pluribus dicetur. Sub eodem Pontifice surrexerunt Ordines Iesuatarum, & Scopetinorum.

Gregorius Vndecimus, Vrbano suffectus, & Pontifex renunciatus est, anno 1370. Kalend. Ianuar. Hic sedem Pontificiam ex Auenione Romam, reduxit, anno 1377. id est anno 71. post, quam illa ex Italia in Gallias translata fuerat per Clementem Quintum. Dedit contra Wiclefum literas ad Richardum Angliæ Regem. Obiit intolerabili vesicę dolore, siue excolatione vrinæ vexatus, anno 1378. die 27. Martii. In ipsa mortis hora, in Auenionensi palatio ignis accensus dicitur, qui nec exstingui potuit, donec maior eius pars esset exusta; sequutumque est in Papatu schisma omnium maximum, & longissimum, quod durauit annos 40. vsq; ad Constantiense Concilium, ac ingentium malorum materies fuit.

Huius

Huius schismatis inter Papas Historiam bona fide descripsit Theodoricus à Nyem, aliquot Paparum intimus scriba, Episcopus Verdensis & Cameracensis, vir suo tempore eminentissimus.

Clemens VII. à Gallis electus, vt anteceſſores, sedem suam habuit Auenione, & præfuit annis 15. mensibus 11. diebus 18.

Romæ vero in demortui Gregorii XII. locum designatus est Vrbanus VI. qui studia habuit Italorum, Germanorum, Hungarorum, & Anglorum. Clemens vero VII. Gallorum, Hispanorum, & Scotorum. Sic Papa & Antipapa simul regnarunt, alter in Gallia, alter in Italia.

Clementi Auenione succeſſit in schismate Benedictus XIII. Petrus de Luna prius dictus, Arrago Hispanus: qui sedit annos ferme 30.

Vrbano succeſſit Romæ, anno 1381. Bonifacius IX. quo tempore bombardæ ad hominum perniciem inuentæ & excogitatę sunt à Bertholdo Nigro, Monacho Germano: & à Venetis primum vsurpatæ. Sedit Bonifacius annos 14. menses 11.

Innocentius VII. Cosmatus de Perusio antea nuncupatus, tumultuante Italia tota, post Bonifacium IX. Romæ Pontifex creatus, & renunciatus est, anno 1404. sedit annos 11. dies 22.

Greg. XII. Venetus, antea Angelus Corrarius nominatus, Romæ in demortui Innocentii locum surrogatus est, anno 1406. Ex Concilii Pisani sententia pontificatu priuatus, Insignia tamen vsque ad Concilium Constantiense retinuit,

nuit, & tum demum Pontificatu abiit.

Alexander V. Cretensis, Petrus Philargus, vel de Candia prius dictus, in Concilio Pisano, omnium Cardinalium consensu, abrogatis Benedicto XIII. & Gregorio XII. Pontifex substitutus est, & Pisis coronatus, anno 1409. Mortuus Pontificatus sui mense octauo. Sepultus Bononiæ, anno 1410. ætatis 71. vbi sedem elegerat, ob Hungarorum violentiam. His temporibus vixit Henricus de Hassia Germanus, qui scripsit de Antichristo, & schismate.

Iohannes XXIII. Balthasar Cossa prius appellatus, Alexandrum antecessorem veneno sustulit, & Papatum violenter potius vsurpauit, quam liberis assumsit suffragiis, anno 1410. Sedit annos 5. menses 10. cum Gregorio & Benedicto, vsque ad Concilium Constantiense. Fuerunt igitur hoc tempore Pontifices tres: Iohannes XXIII Romæ: Gregorius XII. Arimini, apud Malatestas; & Benedictus XIII. in Hispaniis, qui se veros Pontifices esse affirmabant. Atque ita Sedes Pontificia triceps facta. Vocati sunt ad Constantiense Concilium omnes, sed solus Iohannes XXIII. comparuit, cui plusquam 40. crimina, & quidem grauissima, obiecta sunt & probata, in sessione secunda, anno 1415. Cum autem Pontificatum deponere, quemadmodum ab eo postulabatur, nollet; vim metuit, & mutato habitu noctu fugere clanculum cœpit, primo Scaphusium, & inde Friburgum. Sed ex fuga retractus in eas angustias redactus est, vt Pontificatu se abdicaret. Ne autem seditio aliqua inde orire-

oriretur, ex decreto Concilii Constantiensis Ludouico Barbato, Electori Palatino ad custodiendum traditus est, qui Manhemii in carcere eum detinuit per triennium, nullis ei assistentibus, nisi solis Germanis, Latinæ atque Italicæ linguæ ignaris. Liberatus è carceribus, pro 30000. ducatorum, anno 1419. ad Martinum Quintum, qui ei successerat, peruenit, eiusque pedes osculatus, vt suum papam agnouit. Qua eius humilitate permotus Martinus, post aliquot dies ipsum in Cardinalium assumsit numerum, & sedem eius prope suam paulo eminentiorem fecit. Verum Iohannes post aliquot menses animi dolore exspirauit.

Gregorius vero Duodecimus, per legatum in Concilio Constantiensi Pontificatum renunciauit, cum omnibus iuribus, quæ ad illud tempus habuerat.

Reliquus erat Benedictus Decimus tertius, qui vt pertinax hæresiarcha, periurus, & inobediens Ecclesiæ Dei, publico decreto & voce Pontificatu priuatus & excommunicatus est: omnesque, qui ad illud vsque tempus eum secuti fuerant, ab obedientia illius absoluti sunt.

Cum ad hunc modum schisma pontificium, toti orbi Christiano pernicioſum, esset sublatum, & pax concordiaque restituta: Martinus Quintus, Otho Columna prius nuncupatus, auctoritate Concilii Constantiensis, abrogatis tribus papis, Benedicto, Gregorio, & Iohanne, crea-

creatus est, anno 1417. Hic Germanos concitauit ad arma aduersus Bohemos, & Waldemum Carmelitam Anglum ad scribendum contra Hussitas & Wiclefistas inuitauit. Eiusdem iussu Iohannis Wiclefi Angli corpus exhumatum, ac publice crematum est, anno 41. ab obitu eius, Christi 1428.

Idem Martinus decreta pontificum in ipso schismate facta damnauit. Sedit annos 13. Mortuus est apoplexia Romæ, anno 1431.

Eugenius Quartus, Gabriel Condelmerius antea nominatus, Martino successit. Anno 1432. quum negasset ad Basilienſe Concilium venire, quod diceretur Concilium præesse papæ, & citatus deberet super obiectis sibi criminibus respondere; papatu depositus est, surrogato Amadæo, Sabaudiæ Duce. Eugenius vero vt hoc Concilium dissiparet, alterum primum Ferrariæ, postea Florentiæ celebraui.

Idem pontifex Vladislaum Hungariæ Regem iuuenem compulit, vt Amurathi Turcarum Regi fidem, quam ei inito secum fœdere dederat, non seruaret. Cui tanquam patri sanctissimo dum Rex 22. annos natus incaute obedire studet, debitas pœnas violati fœderis Amurathi persoluit. Concitauit etiam in Basilienses, multa indignatione permotus, Ludouicum Delphinum, Caroli Septimi Francorum Regis filium, vnde mala infinita sequebantur. Scholas quasdam instituit, ac Gymnasia Sophisticis Doctoribus fouit. Monachos omnes mirum in modum dilexit, & mendicantes frater-

fraterculos priuilegiis & gratiis auxit. Floruit circa annum Christi 1430. Thomas Rhedonius Carmelita Gallus, in Ducatu Britanniæ natus, celebris concionator, qui per Galliam & Italiam docebat, Romæ magnas abominationes fieri, Ecclesiam magna reformatione indigere; & quod prælati deposito fastu ac luxu deberent modestius instar Christi & Apostolorum viuere; iniustasq; papæ excrationes non esse timendas: de sacerdotum quoque coniugio benesensit. Hunc Eugenius Quartus, Romæ anno 1436. terribili corporis incendio post varios cruciatus sustulit.

Felix V. dictus Amadæus, Sabaudiæ Dux primus à Sigismundo Imp. factus, vxoratus, & duos habens filios, in Concilio Basilienſi pontifex Romanus electus est, anno Domini 1439. Eugenii vero factione impeditus, Romanã sellam ascendere nunquam potuit, sed Lausannæ resedit. Exortum inde schisma nouem annis durauit, aliis Eugenio obtemperantibus, aliis neutralibus appellari gaudentibus. Quærebatur etiam seditiose: *Num Papa esset Ecclesiæ caput? num generali Concilio esset subiectus?* Tandem Felix V. hortatu Friderici Imperatoris, depositio papæ *nomine* cessit Nicolao V. anno 1447. publicæ tranquillitatis & commodi causa, vt schisma pestiferum tolli ex Ecclesia posset. Vitam finiuit Lausannæ, ibique in Cathedrali sepultus est.

Nicolaus V. Genuensis, patre Chirurgo, Thomas Lucanus Sarzenus antea dictus, pontificatum non appetiuit, sed delatum inuitus suscepit.

anno

anno 1447. & literas earumque Professores mirifice dilexit, auxit, honestauit. Nam & arte doctrinaque liberali eruditus fuit, & ingenia fouit, præmiisque dignis affecit. Inde ex omnibus locis literarum scientia, & eloquendi elegantia perpoliti viri, ad eum, tanquam ad portum atque præsidium, confugerunt: Georgius Trapezuntius, Georgius Valla, Demetrius Græcus, Nicolaus Perottus, & id genus alii; quorum opera & studio multi authores è tenebris eruti & illustrati sunt: non pauci in sermonem Latinũ è Græco conuersi: nonnulli etiam libri de integro compositi. Huic igitur Nicolao Pontifici ex maiori parte acceptum referimus, quidquid splendoris Latinæ & Græcæ literæ in Italia primum, postea in Germania etiam acceperunt. Idem Pontifex Bibliothecam Vaticanam magnifice instituit, & plurimis libris instruxit. Fridericum Tertium, vna cum coniuge Leonora, Imperiali diademate cinxit. Ex Felice V. Cardinalem ac legatum fecit. Febri ac podagra demum vexatus, ex hac vita decessit, anno 1455. Kalend. April. sub hoc Pontifice Nicolao Quinto Constantinopolis, Orientalis Imperii caput & sedes, post 50. dies obsidionis, vi & armis expugnata, capta est à Mahumete, Turcarum Imper. tyranno immanissimo, anno Christi 1453. cum vrbs illa à Constantino Magno condita stetisset annis 1122. Constantinus Palæologus, postremus Græcorum Imperator, vt honestius occumberet, inter confertissimos hostes dimi-

cans, cæsus est, & paludamento agnitus. Dehinc Orientis Imperium penes Turcas fuit.

Calixtus Tertius Hispanus, Alfonsus Borgia antea nuncupatus, Nicolao Cardinalium suffragiis successit, anno 1455. Expeditionem in Turcas, quam vouerat, molitus, Lesbum expugnauit: paulo post tamen eius classis à Turcis disiecta est. Extremo senio confectus, obiit anno 1458.

Pius Secundus Senensis Etruscus, Æneas Syluius Picolhomineus antea nominatus, ex paupere adolescente in tantum virum euasit, vt inter doctos Papas longe doctissimus haberetur, scriptorq; diligentissimus. In Basilienſi Concilio Scriba pontificis erat, impugnabatque Orationibus & Epistolis Eugenii auctoritatē. Mox ab Imp. Friderico III. Poeta laureatus factus est, & in eius aulam vocatus, Epistolarum magister atque consiliarius. Præterea legatus hucillucq; ad diuersos mundi Principes missus, à Nicolao V. Episcopus Tergestinus, postea Senensis fiebat, & à Calixto III. in Cardinalium numerum referebatur. Ambitionis vitio diu grauiter laborans, ad pontificatum peruenit, anno 1458. Conuentum Mantuæ habuit, & omni cura cogitationeque in bellum Turcicum incubuit, sed morte præuentus, non peregit. Dietherum Isenburgicum, Moguntinæ sedis Archiepiscopum, deiecit & excommunicauit, eo quod promittere noluisset pontifici, se nunquam conuocaturum Germaniæ Principes, nisi consulto prius & assentiente Papa. Substituit autem in locum

eius

eius Adolphum, Comitem Nassouium, ex quo bellum graue ortum est. Priuatus olim de actis Concilii Basilienſis ſumma cum diligentia duos libros ſcripſit, quos Pontifex factus ipſe ſuppreſſit & damnauit: quamobrem ſcomma de eo iactatum eſt; *Quod Aeneas probauit, Pius damnauit.* Quum Anconæ eſſet, ad bellum profecturus, lenta febre percuſſus diem clauſit extremum, 17. Kal. Septembr. anno 1464. ætatis 58. De ſcriptis & operibus huius Pontificis vide Ciaconium. Apophthegmata eius memoria digna ſunt, quæ recitat Platina.

Paulus Secundus Venetus, Petrus Barbus antea nominatus, ac Eugenii Quarti, ex ſorore nepos, electus eſt anno 1464. Maieſtatem ſuam tum auctoritate, tum armis augere conatus, toto ſuo Pontificatu bella per inſidias in Italia ſuſcepit. Pii prædeceſſoris decreta & acta ſtomachoſe odiebat. Gregorium Podiebracium, Bohemiæ Regem, Huſſitarum doctrinæ fauentem, excommunicatum regno priuauit, quod Hungarorum Regi Matthiæ dono dedit. Vitam finiit, apoplexia correptus, anno 1471. ſedit annis 6. menſibus 10. diebus 29. Cœlibatum eius Ianus Pannonius his verbis commendat:

Pontificis Pauli teſtes ne Roma requiras,
Filia, quam genuit, ſat docet, eſſe marem.
Sanctum non poſſum, poſſum te dicere Patrem,
Quum video natam, Paule Secunde, tuam.

Concilium illum cepiſſe de reſtituēdo ſacerdotum coniugio ferunt, q̄ tamen morte præuen-

tus exsequi non potuit. Huius morte etiam historia Bartholomæi Platinæ de vitis Pontificum terminatur, qui à Paulo II. in carcerem coniectus, & totis quatuor mensibus detentus fuit, cum Pomponii Læti, aliorumque eruditorum causam, (qui coniurasse aduersus eum dicebantur) defendendam suscepisset. Opus suum dedicauit Xysto, seu Sixto IV. à quo p̃fectus erat Bibliothecæ Vaticanæ. Obiit Romæ peste extinctus, anno 1581. ætatis 60. A Sixto IV. Pontificum XIV. historiam vsque ad Pium V. Platinæ adiecit Onuphrius Panuinus.

Sixtus Quartus, Franciscus Ruerius antea dictus, Paulo Secundo successit, anno 1471. Ad arma conuersus, quibus maxime deditus fuit, initium à bello Turcico fecit, sed nihil laude dignum perfecit. Romæ admodum nobile lupanar exstruxit, & meretricum cohortes, exemplo Heliogabali, aluit. Aduersus Vitellium Tiphernatem, Florentinos, Venetos, Columenses, Ferdinandum Siciliæ Regem, Calabriæ Ducem, & alias gentes ac Principes, expeditiones iniustissimas fecit. Reges pro suo voto aut exaltauit, aut depressit. In Longobardos exsecratos igne ferroque concitauit suos tunc confœderatos Heluetios, quos diplomate ac vexillo donauit, vt sanguinem audacter effunderent. Ferdinando & Isabellæ Hispaniæ Regibus Catholicum nomen attribuit, inquisitionisque officium cõtra Antipapistas hæreticos in Hispania instituit. Bibliothecam Vaticanam coluit. Obiit anno Dom. 1484. prid. Id. Aug. cum sedisset an. 13.

Inno-

Innocentius Octauus Genuensis, Iohannes Baptista Cibo antea nuncupatus, ex Cardinale Papa creatus est, anno 1484. 29. Septembr. Vir omnibus blandus, nemini benignus, auarus, & amulus. Primus palam spurios suos diuitiis atque honoribus auxit. Leopoldum, Austriæ olim Ducem, Sanctorum Catalogo inseruit. Venetos, Sixti censura damnatos absoluit; & indulgentias viuis ac mortuis vendidit. Vltimo sui Pontificatus anno tres exercitus ingentes aduersus Turcas destinauit, sed inter disponendum in grauem morbum incidens excessit, anno 1492. 8. Kalend. August. cum sedisset annos 7. menses 10. & 27. dies. Eius Epitaphium tale circumfertur:

Spurcities, gula, auaritia, atque ignauia deses,
Hoc, Octaue, iacent, quo tegeris, tumulo.

Alexander Sextus, Rodericus Borgia alias dictus, papa electus est, anno 1492. 3. Id. Aug. cuius inaudita & obscœna facta scriptores enarrare reformidant. De eo extant hi versiculi:

Vendit Alexander Sacramenta, altaria, Christum,
Emerat ille prius, vendere iure potest.
Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iste,
Semper sub Sextis perdita Roma fuit.

De filia eiusdem Alexandri Lucretia tale Epitaphium composuit Actius Sannazarius:

Hic iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Pontificis filia, sponsa, nurus.

Tandem Alexander papa per ministri incuriam

cum filio epoto veneno, quod Cardinalibus quibusdam, vt filio regnum parare posset, propinari debuerat, mortuus est, anno 1503. die 18. August.

Pius III. Franciscus Picolhomineus antea vocatus, post contentiones Cardinalium Alexandro successit. Sed ex vlcere eruris, quo diu laborauerat, non tamen sine suspicione 26. post suam creationem die, decessit, anno 1503.

Iulius II. Genuensis, Sixti IV. Nepos, si non filius, Iulianus Ruerius antea dictus, Iulio Cæsari, quam Petro Apostolo similior, ex Cardinale in Papam assumptus, sedit annos 9. menses 10. fax bellorum & discordiarum omnium, quibus compluribus annis misera Italia vexata est. Non enim tam de Ecclesiæ animarumq; salute, quam de secularibus negotiis sollicitus, grauissimorũ bellorum procellis totum mundum, vt Onuphrius ait, subuertit. Quam quidem ad rem tanta consiliorum varietate vsus est, vt instar Protei aliam atq; aliam formam idẽtidem induerit. Modo in Gallos, modo in Venetos arma expediuit, modo cum Venetis contra Gallum sese coniunxit. Cum contra Gallum duceret exercitum, dicitur Romæ in Tiberim proiecisse clauem Petri, his vsus verbis: *Quia clauis S. Petri non amplius valet, valeat gladius S. Pauli.* Ob hanc diram imperandi ac bellandi cupiditatem Cardinales nõnulli ab eo defecerunt, & Imperatoris Maximil. I. Regisq; Galliæ Ludov. XII. auxilio Concilium generale Pisis indixerũt, ad q̃ etiam Iulium Pontificem citarunt, vt tot malefactorũ suorum rationem redderet. At is Cardinales vi-

cissim

cissim citauit, & cum non comparerent, dignitatibus cunctis eos priuauit. Ne vero detrectare Concilium videretur, aliud Romæ celebrandum fallaciter indixit, quo durante adhuc, ex hac vita decessit, anno 1513. die 21. Febr. Successit Leo Decimus Florentinus, antea Iohannes Medices dictus, sub quo incœpit docere Martinus Lutherus.

SCHOLASTICI DOCTORES.

GVitmundus ex Monacho Archiepiscopus Auersanus factus, Berengario certamine, Capernaita crassissimus, post Lanfrancũ Berengarii doctrinam impugnauit.

Anselmus, Lanfranci discipulus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, Wilhelmum Angliæ Regem, ob Ecclesiastica bona, quæ in fiscum suum redigebat, obiurgauit, & propterea in exilium ire iussus est. Sed reuocatus tamen in Angliam rediit, summa totius populi gratulatione, à Regina & optimatibus perhonorifice exceptus. Clericorum coniugia ad id vsq; temporis in Ecclesia Anglicana passim vsurpata, homo cæteroquin bonus ac sanctus, magna vi prohibuit. In languorem tandem incidit apud Cœnobium Edmundoburgi, vnde Cantuariam deportatus, æger longo tempore decubuit, & Aprilis die 28. anno Christi 1109. ætatis 76. vitam cum morte commutauit, cum sedisset Archiepiscopus annos 19. Collocata sunt ossa eius ad caput antecessoris sui Lanfranci, sed amota postea ad Orientalem illam partem Ecclesiæ, q̃ structura magnifica multum ille auxerat & ornarat.

Opera ab illo exarata non opus est commemorare. Christiano orbi satis nota sunt, & à studiosis vbique leguntur.

Petrus Cluniacensis, Abbas istius loci, fuit æqualis Bernhardi.

Hugo de S. Victore, natione Saxo, professione Carthusianus Parisiensis, illustri laude eruditionis celebratus, scripta plurima reliquit, mortuus anno Christi 1140.

Richardus de S. Victore, amicissimus Bernhardi & Hugonis, natione Scotus, Monachus Parisiensis, ambitione tanta fuit, vt in Theologia Prophetis & Apostolis sese anteposuerit. Allegoriis plæraq; inuoluit, & superstitiones non solum approbauit, sed etiam auxit. Mortuus est anno Christi 1148. & sepultus Parisiis in templo S. Victoris. Sepulchro luculentum in laudem eius Pentastichon inscriptum est, quod refert Baronius ad annum 1140. Posteriore dicitur Richardus Anglicus. Præter plurima, quæ sacram spectant Theologiam, Chronicon posteritati reliquit, quod à primordiis ad sua vsque tempora perduxit.

Huc aliqui referunt Gratianum, Bononiensem Monachum, authorem voluminis Decretorum, quod ex diuersis patrum sententiis, decretis, & scriptis variis compilauit, & ad Papam Eugenium Tertium attulit, à quo etiam approbatum illud est, & vt publice prælegeretur, concessum. Volumen illud dictum est postea decretum Gratiani, siue ius Canonicum.

Gratiani exemplum ad imitandum sibi proposuit

posuit Petrus Lombardus, ex Scholastico factus Episcopus Parisiensis; sed in dissimili plane argumento. Nam in Theologia versari ipse maluit, quam in forensibus, litigiosisq; quæstionibus. Itaq; Scholasticæ Theologiæ, qualis tunc erat, fundamenta in 4. libros, qui Sententiarum dicuntur, congessit; ordinem illum in vniuersi operis distributione secutus, qui in 4. libris Damasceni de fide Orthodoxa, nunc quoq; apparet. Hi libri 4. fuerunt postea totius Scholasticę doctrinæ velut basis & κυρίαι δόξαι, vnde ipse Magister sententiarum vulgo in Scholis est appellatus. Scripsit autem Lombardus circa annũ Domini 1154. tanti habitus, vt aduersus eum ne hiscere quidem vllis licuerit. Nam quum post annum Domini 1190. Ioachimus Abbas Florẽtinus P. Lombardi sententiam impugnaret, ab Innocentio Tertio, statim Lateranensi Concilio, ad quod 1215. Prælati conuenerant, damnatus est. De Petro Lombardo ita sentit & iudicat Lambertus Danæus, eum, si in feliciora tempora incidisset, minusque corruptam fidei Christianæ doctrinam didicisset, potuisse multum prodesse Ecclesiæ Dei. Fuit enim diligens & acutus: atque etiam sui operis instituendi scopus non modo honestus, sed etiam necessarius fuit, vt ex Augustini doctrina, ad quem vnum fere prouocat Lombardus, receptæ opiniones & emendarentur & iudicarentur. Porro autem hos sententiarum libros, primus omnium ausus est attingere, i. e. difficultates difficultatibus augere, Alexander Alesius, dictus de Ales; quem se-

cuti statim sunt in eodem argumento, & Commentariis in libros sentẽtiarũ scribendis: Iohannes de Rupella: Eustathius, qui & Bonauentura de balneo dictus est: Albertus M. Thom. Aquinas, Petrus de Tharantesia, Vdalricus de Argentina, Haimo Anglus, Iohannes Valens, Gulielm. Lugdunensis, Gulielm. Lamarensis, Ioannes de parma, Hanibaldus Romanus, Henric. de Gandauo, Hugolinus patriarcha Constantinopolitanus, Richardus de media Villa, Bonauentura, Gulielmus Varro præceptor Scoti, Richard. de noua Villa, Ioannes Scotus, Gregorius Ariminẽsis, Franciscus Marronis, Gulielmus Occam celeberrimus Scholasticus, Durandus à S. Porciano, Matthæus de Aqua Sponta, Nicol. IV. papa, Alanus de Insulis, Alexander de Alexandria, Petrus de Verberia, Michael de Cesena, Gerardus de Bononia, Nicol. de Lyra, & infiniti alii, quales Holcot, Tricot, & Bricot: postremus omnino Thomas Caietanus. Tot nimirum calami & miserum Lombardum exagitarunt, & scintricatissimis quæstionibus cruciarunt. Obiit Lombardus, Magister ille sententiarum, anno Domini 1164. die 20. Augusti. Gulielmus antẽ Abbas S. Theodorici, circa annum Dom. 1140. primus scripsit de fide, hoc titulo: *Sententiarum fidei liber vnus*. Hinc *Sententia*, & *Sententiarum libri*, & *Sententiarii Theologi*, voces, audiri cœperunt, & vsurpari. Gulielmi Abbatis exemplum & titulum imitatus P. Lombardus, scripsit libros IV. Sententiarum.

Eodem fere tempore, imperante Frid. Barbarossa, floruit Petrus, presbyter Trecẽsis, cogno-

mento Comestor, historiam vtriusq; testamẽti Ecclesiasticam consarcinauit, eamq; glossis illi⁹ ætatis tum falsis, tũ insulsissimis referciuit, quæ tamen ita tum vbiq; obtinuit, vt ipsi Scripturæ sacræ nudæ & puræ pœne præferretur. Opus suũ dedicauit Gulielmo, Archiep. Senonensi. Passiua ac vulgaris fabella est, Petrum hunc, & Lombardum Magistrum Sententiarum, atq; item Gratianum, canonum Ecclesiasticorum collectorẽ, fratres fuisse vterinos: quod multimodis refelli potest; ac inter alia eo, ꝙ Comestor patria fuerit Trecensis, Lombardus sit Nauarrensis, Gratian⁹ vero Hetruscus Historiam Comestoris compẽdio constrinxit Gualtherus Hunterus, Anglus, professione Carmelita, qui & Venãtius vocabatur, & ex hac vita decessit decrepita ætate, anno Christi 1478 temporibus Eduardi IV. Petrus v. Magister ille historiæ Scholasticæ, dictus fuit Comestor, quia tam crebro in suis concionibus & scriptis allegauit Scripturam, vt eam veluti comedisse videretur.

Cyrillus, impurus Monachus mõtis Carmeli, scripsit nouum Evangelium, circa an. D. 1200. quod à Monachis vehementer probatum est, eo quod dogmata Scholastica confirmabat, ritus superstitiosos Romanæ Ecclesiæ approbabat, ac Monachorum ordines, regulas, & instituta, ex ipsa, si Deo placet, Apocalypsi, impie deriuabat. Atq; hæ mundi tenebræ, teterrimusq; tunc Ecclesiæ status erat, in quo Scholastica doctrina & Theologia maximos tamẽ faciebat progressus. sed Dominus tandem tantarum Ecclesiæ suæ calamitatum misertus, Ioannem Valdonem ex-

citauit, ciuem Lugdunensem opulentum, qui verum Evangelium Domini nostri Iesu Christi ab Euangelistis scriptum curauit fideliter sibi in Gallicum sermonem conuerti, & conuersum ita assidue & attente legit, vt veram fidei doctrinã, Dei gratia, ex Evangelio Christi consecutus, falsum illud, & blasphemum Cyrilli Monachi Evangelium primus omnium ipse Valdo publice cõfutaret. Valdoni statim plures; ita eos, impellente Spiritu S. sese adiunxerunt, atq; in tam honesto pro Dei veritate certamine succenturiatores accesserunt. Deniq; à Gulielmo de S. Amore, viro pro illa ætate doctissimo, anno Dom. 1254. maledictum illud Cyrilli Monachi suppositumq; Evangelium assiduis concionibus impugnatum est, & tandem euersum.

Gulielmus Antisiodorensis, Episcopus eius loci, scripsit *Summam Theologiæ*, Scholastico more, circa annum Domini 1200. post Lombardũ, & Rupertum Linconiensem Episcopum. primus autem Hugo de S. Victore, habitus sua ætate doctissimus, circa annum Dom. 1120. librum edidit, quem *summam suarum sententiarum* inscripsit. Hinc *summæ*, & *summarum Theologicarum*, & *summistæ Theologi*, qui & iidem *Scholastici*, vocabulum nouum increbrescere cœpit.

Gulielmus Parisiensis, Episcopus eius loci, varia scripsit.

Gualterus, Episcopus Pictauiensis, primus edidit librum *Quodlibetorum*, magno orbis miraculo, circa an. Dom. 1240. Hunc titulum & argumentũ alii ex eadẽ hac Schola postea imitati sunt. Inde quoq; *Quodlibetariæ quæstiones* natæ.

Eodem hoc tempore cœpit Alexander de Ales, siue Alensis, natione Anglus, Præceptor Bonauenturæ, & Thomæ, Irrefragabilis Doctor appellatus, commentari in libros IV. Sententiarum, à P. Lombardo ante istius ætatem annis prope centum editos. Hic quidem velut alter Alexander Macedo ausus est primus nodos illos Gordianos, qui sunt apud Lombardum, non soluere, sed disrumpere & secare.

Atque hi quidem quasi gradum quendam, & aditum ad Scholasticæ Theologiæ inquinamenta iecerunt. Sequitur Media Scholastica, quæ cœpit ab Alberto Magno, i. e. anno 1250. & durauit vsque ad Durandum de Sancto Porciano, qui vixit Anno Domini 1320. Habuit igitur hæc Media Scholastica Albertum Magnum, primum parentem & authorem, à quo orta est prima Scholasticorum secta, quæ dicitur Albertistarum. Albertus hic natus fuit ex nobili Bolsatensium familia Sueuica, Patre carpentario, ciue Lauingano. Monachus Ordinis Prædicatorum, in Theologia & Philosophia eruditissimus, factus est Episcopus Ratisbonensis in Bauaria, Anno 1259. ætatis 66. Lectionum adeo appetens fuit, vt Ratisbonensi Episcopatu se abdicarit, & priuatus Coloniæ viuens publicis prælectionibus tantum vacarit. Philosophiam Aristotelicam, iam quidem in limen S. Theologiæ impudenter & temere à superioribus introductam, in intima & adyta ipsa sacrarii Christi intromisit, illique in ipso illo templo principem locum & primariam se-

dem collocauit. Superiores enim Scholastici Patrum quidem, sed Ecclesiasticorum duntaxat, dicta ipsi sacro & diuino verbo exæquabant, (quandoquidem in toto P. Lombardo ne nomen quidem Aristotelis legitur) Albertus vero, & qui ab eo profluxerunt, omnes scripta Aristotelis Philosophi diuino ipsi verbo vbiq; compararunt: adeo vt quæ vestigia exiguæ reuerentiæ erga Dei verbum restabant, à Media Scholastica prorsus exstincta, & ex hominum animis deleta perierint. Obiit Albertus Magnus, Anno Domini 1280. ætatis 87. sepultus Coloniæ.

Ex eius Schola multi prodierunt discipuli, qui doctrinam Scholasticam late dissemina-runt. Horum præcipuus & eminentissimus fuit Thomas Aquinas, Italus, qui Alberti Præceptoris sui vestigia secutus, eodem modo in Theologia tractanda versatus est: & sic deinceps alii. Eius discipuli appellantur Thomistæ. Euocatus ad Concilium Lugdunense, cum ad illud proficisceretur, è viuis excessit, Anno 1274. die 7. Martii, ætatis 50. Mortuum Iohannes XXII. Pontifex retulit in numerum diuorum, quinquagesimo circiter anno post, quam è vita decesserat. Vulgo vocatur *Doctor* Angelicus, ob acumen ingenii. Commentarii & disputationes eius subtiles quidem sunt & argutæ, sed duo sunt, quæ in iis improbantur: Primum sermonis genus, omni ex parte barbariem redolens; deinde confusio doctrinarum, cœlestis & humanæ, Theologiæ & Philoso-

phiæ.

phiæ. Abusus in Ecclesiam inuectos non probauit solum, sed etiam stabiliuit, & cumulauit: Pontificiam dignitatem mirifice propugnauit. De indulgentiis quoque passim multa scripsit, in iisque largiendis Pontificem plane Regem constituit.

Bonauentura, dignitate Cardinalis, ex Franciscano ordine Balneo-regio in Etruria natus, obiit in Concilio Lugdunensi, Anno 1274. ætatis 53. Dictus fuit Doctor Seraphicus. Prælegit sententias Parisiis. Eum Sixtus V. Pontifex, iampridem circa annum Domini 1482. inter sanctos à Sixto IV. relatum, Ecclesiæ Doctorem pronunciauit, & Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Gregorio P. P. quintum adiunxit, ac omnia eius scripta vndique conquisita & approbata, Constantii Samani Cardinalis studio ac cura edi, & tanquam canonica sine censura dimitti voluit.

Petrus de Tarentesia, Cardinalis Hostiensis, floruit Anno 1265. Vir in sacris literis doctissimus, Papa creatus est, nomine Innocentius V.

Vdalricus Argentinensis scripsit in Magistrum sententiarum.

Ægidius Romanus, acerrimus Thomista, floruit Anno 1290.

Henricus Gandauensis, Doctor solennis appellatus, circa annum Christi 1299. primum Parisiis Philosophiæ studia coluit, deinde Archidiaconus Tornacensis factus est.

Iohannes Scotus, nomine Duns, cognomento

mento Doctor Subtilis, nobiliſſimæ Scoticæ ſectæ author & Dux longè clariſſimus, Ordinis S. Franciſci Monachus, inprimis curam & ſtudium ad illuſtrandum ſententiarum Magiſtrum contulit, & acumine diſputationum, doctrinæque ſublimitate omnes ſuperauit. Thomæ Aquinatis perpetuus impugnator fuit: adeo vt quod de Carneade & Chryſippo ſcribit Cicero: idem de iſto & Thoma poſſit affirmari; nihil vel dicturum, vel ſcripturum fuiſſe hunc Scotum, ſi nihil Thomas prius vel dixiſſet, vel ſcripſiſſet. Tanta fuit iſtorum diſcordia fratrum. Qui Thomæ auſpicia ſequebantur, Thomiſtæ & Nominales: qui Scoti, Scotiſtæ & Reales dicebantur. Cæterum apoplexia correptus Scotus, Doctor ſubtiliſſimus, nimis feſtinanter pro mortuo humatus eſt. In tumulo autem, natura vim morbi diſcutiente, reuixit, & mugitu miſerabili opem implorauit. Cum vero nemo eſſet qui ſubueniret, capite ad lapidem ſepulchri alliſo, tandem periit, Anno Domini 1308. ſunt tamen, qui ſcribant, eum à diſcipulis, qui in mortem illius conſpirarant, graphiis confoſſum eſſe Coloniæ. Eius Sectatores dicti ſunt Scotiſtæ. Fideliſſimum diſcipulum reliquit Antonium Andream, qui inter plurima alia ingenii ſui monimenta, magno compendio in breuem epitomen omnem Scoti doctrinam, quæ plurimis & maximis voluminibus continetur, redegit: præclariſſima methodo, & inſigni ſcribendi perſpicuitate cuncta complexus, vt omnes difficultatum,

& quæ-

& quæstionum Sphynges prorsus sustulerit.

Habuit quoque hæc ætas media Alanum de Insulis, qui Doctoris Vniuersalis titulum consecutus est.

Augustinum item de Ancona, qui scripsit in Magistrum.

Nicolaus de Lyra, ex Iudæo factus Christianus, & Monachus Franciscanus, scholiis siue Commentariis perpetuis vtrumque Testamentum illustrare aggressus est, Anno 1322. Ad quam rem magnum adiumentum illi attulit literarum Latinarum, Græcarum, & Hebraicarum scientia. Ad Postillam Lyrani additiones scripsit Paulus Burgensis, ex Iudæo Christianus Episcopus factus, qui claruit Anno 1430.

Gulielmus Occamus, natione Anglus, Ordinis Minorum, Ioannis Scoti discipulus, scriptor acutissimus, excommunicatus est, Anno 1324. quod quædam aduersus Papam scripsisset. Profugiens ad Ludouicum Bauarum Imperatorem, æque tum excommunicatum, dixisse fertur: *O Imperator, tu me gladio defende à Papæ iniuriis; & ego te verbis ac scriptis defendam.* Acerrime etiam impugnauit dicta ac scripta Magistri sui Scoti. Initium dedit quartæ sectæ Scholasticorum, qui vocantur Occamistæ.

Durandus de Sancto Porciano, Ordinis fratrum Prædicatorum, & postea Aniciensis Ecclesiæ Episcopus, scripsit in IV. libros sententiarum. Ei Thomæ doctrina & Sophistica displicuit, quasi omnis mali fons & caussa.

Sequi-

Sequitur Noua Scholastica, i.e. vltima & peſſima certe quidem iſtius Theologiæ ætas, quæ poſt Durandum, circa annum Chriſti 1330. cœpit ab Hereno de Boio, Britone & Carmelita, illius Cyrilli nebulonis, qui nouum Euangelium ſcripſerat, blaſphemo diſcipulo: & magno Eccleſiæ malo propagata eſt vſque ad annum Domini 1514. quo primum à Martino Luthero euerti cœpit, & ab iis, qui poſtea ſequuti verum Euangelium docuerunt. Hæc ætas longe fuit impudentiſſima. Nam quæ modeſtia in ſuperiori & Media Scholaſtica adhuc manſerat, ne temere de quibuſdam ritibus & quæſtionibus adhuc dubiis affirmaretur, iſta ætate ſublata eſt. Et de rebus etiam abditiſſimis, & maxime arcanis, immò verò ſoli ipſi Deo notis, magiſtraliter affirmari cœptum eſt. Sic malum malo additum eſt, vt iam nihil pene iſta poſtrema Scholaſtica eſſe potuerit deterius, niſi vniuerſa Chriſtiana doctrina funditus euerteretur.

NOVÆ SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ Doctores præcipui hi fuerunt.

ROBERTUS Holkoth, Anglus, Ordinis Prædicatorum, Profeſſor Theologiæ olim in Academia Oxonienſi celeberrimus, & doctiſſimus, multa præclara ingenii ſui monimenta protulit, & poſteris reliquit. Claruit ſub Ludouico Bauaro Imp. Peſte demum exſtinctus eſt, anno 1349. ſub Eduardo III. Anglorum Rege. Licet vero eius doctrina non ſit omni ex

parte

parte sincera, est tamen eruditione non mediocri plerisq; in locis referta: inquit Iohannes Balæus, in III. Centuria scriptorum Britannicorum.

Gregorius Ariminensis, Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini Prior generalis, scripsit super sententias lib. IV. A Scholasticis adeo tamen dissensit, vt eos asseruerit esse Pelagianis deteriores. Floruit Parisiis circa annum Domini 1350.

M. Marsilius ab Inghen, S. Theologiæ Doctor, attiumque liberalium Magister præstantissimus, almam Vniuersitatem Heidelbergensem, ingenio, studio, & labore fundando plantauit, & Commentarium edidit in quasdam materias Magistri sententiarum. Mortuus est anno Domini 1396. 20. Aug. & ad D. Petrum sepultus, cum annos ferme nouem Heidelbergæ docuisset, & quintum Rector Academiæ fuisset.

Iohannes Capreolus, Ordinis fratrum Prædicatorum, patria Tholosanus, scripsit super sententias lib. IV. Anno 1415.

Petrus de Alliaco, Gersonis Præceptor, Episcopus Cameracensis, vir fuit magni nominis inter Doctores Scholasticos. Interfuit Concilio Basiliensi. Obiit anno Domini 1425. scripsit Commentarios super sententias, & libellum de emendatione Ecclesiæ.

Iohannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, scriptis Theologicis nomen immortale sibi parauit. In Concilio Constantiensi non voce solum

lum coram, sed postea etiam scriptis confirmauit decretum Concilii, quod Papam infra Concilium & Ecclesiam collocat. Itaque in odium offensionemque tantam incurrit, vt à Sorbonistis Lutetia pulsus, propinquisque, amicis, dignitatibus, & fortunis omnibus spoliatus, Lugduni in exilio mori coactus sit, Anno 1429. 12. Iul. ætatis 66. Fuit vir pius ac eruditus, qui licet multis Monachorum & Sophistarum erroribus fuerit infectus, multos etiam nihilominus errores & abusus Papatus animaduertit, eosque & taxauit, & tolli ex animo optauit; vt ex eius scriptis non vno in loco apparet. Aliquos tamen, procul dubio metu Pharisæorum, aut penitus dissimulauit, aut etiam lenius, quam tantum virum decuisset, & res ipsa postulasset, reprehendit. Cognominatus est Doctor Christianissimus. Scripsit quoque librum de defectibus Ecclesiasticorum, in quo corruptam spiritualium vitam accusat. Reprehendit etiam doctrinæ corruptelas, quod alius vult esse Thomista, alius Scotista, alius Occamista. Videatur Thuanus Hist. lib. CXXXVII.

Ioannes Capistranus, Ordinis S. Francisci Monachus, Bernardini Senensis olim discipulus, à Papa ex Italia in Germaniam missus, Anno 1451. passim concionatus est in Morauia, Misnia, Silesia, & Polonia. Infestus inprimis fuit Bohemis, Hussitis, quos vsum sacri calicis impie, nefarieque laicis concedere contendit. Populum ad expeditionem in Turcas animauit: ac ipse vna cum Huniade Mahumetem Tur-

Turcarum Imperat. ab obsidione Belgradi repulit: paullo post in Hungaria diem suum obiit, Anno 1456. Videatur Æneas Syluius, Hist. Bohem. cap. 65.

Iohannes de Turrecremata, Ordinis fratrum Prædicatorum, Episcopus Sabinensis, claruit anno 1460

Nicolaus Cusanus Cardinalis, & Episcopus Brixiensis, floruit anno 1440. Refutauit vanitatem donationis Constantini, & alios Pontificios errores, in libris de Concordia Catholica. Suo seculo, ob literarum cognitionem, propemodum pro miraculo mundi est habitus. Fuit enim Theologus, Rhetor, Mathematicus, & Philosophus insignis. Obiit Romæ anno Domini 1464. ætatis 63. Futuram religionis mutationem ante mundi finem, prædixisse dicitur.

Gabriel Biel, Germanus, Theologus doctissimus, & inter Sententiarios scriptores præcipuus, in Tubingensi Academia obiit, anno Domini 1495.

Ioannes de Lapide, Cartusianus, doctriuam de realibus Lutetia Basileam attulit, circa annum Christi 1496.

THEOLOGI ET TESTES veritatis præcipui.

IN tanta caligine, nihilominus multi inuenti sunt singulis ætatibus, qui diuinitus oblata luce veritatem perspexerunt, & seruile Pontificis

ficis iugum à ceruicibus suis repellere conati sunt.

Petrus Waldus, Lugdunensis ciuis doctus, & prædiues fide atque opibus, circa annum Domini 1160. crescentes doctrinæ deprauationes auersatus miranda occasione, (de qua Catalogus testium veritatis videatur) sacerdotum superstitionibus & tyrannidi sese opposuit, & errores indicauit atque refutauit. Ab eo dicti Waldenses, qui se Waldo adiunxerunt. Pulsi Lugduno in variis Galliæ partibus, præsertim in Narbonensi prouincia, atque citeriore Gallia, quam Lombardiam vocant, consederunt. In Germaniæ quoque Marchia & Austria cœtus aliquando habuerunt. Inter articulos eorum, de Sacramentis hi duo referuntur. 1. *Tantum duo esse Sacramenta, Baptismum & Communionem.* 2. *Omnes Missas, & præcipue eas, quæ pro mortuis canuntur, esse impias, eoque abolendas.* Refert etiam Sleidanus, non modo articulos Waldensium Francisco II. Regi Galliarum exhibitos, sed & immanem aduersus eos Pontificiorum crudelitatem ad Merindolam, in historiam anni 1545. Videatur etiam Petri Wesenbecii, IC. celeberrimi, Oratio de Waldensibus & Albigensibus Christianis, Ienæ publice habita, Anno 1585. & Iac. Aug. Thuanus, Histor. lib. VI. cap. 26. fol. 168. 169. 170.

Ne sim longior, alios prætereo veritatis testes: & venio ad tempora Wiclefi.

Inter

Inter alios veritatis testes præcipue Iohannes Wiclefus, Angliæ Theologus, & in omni Philosophiæ genere non minus, quam in S. Theologia exquisite versatus, suo seculo fuit celebris. Is in Angliæ Academia Oxoniensi Pontificios errores professione & scriptis refutare cœpit, Anno Domini 1371. Ex eius scriptis aduersarii excerpserunt varios articulos, partim integros, partim calumniis detortos, quos postea Concilium Constantiense damnauit: in quibus articuli de Eucharistia etiam recitantur. Atque hanc quidem Wiclefi doctrinam, ex Augustino & Orthodoxa vetustate, ipsaque scriptura sacra repetitam, Romani Pontifices per Episcopos Anglicanos variis Conciliabulis oppugnabant, ipsumque Wiclefum hæreseos damnatum, & eiectum in exilium hostiliter persequebantur. Nihilominus is diuinitus seruatus, & restitutus suæ Ecclesiæ, piorum Principum, ac præcipue Iohannis Lenclastriæ Ducis authoritate, tandem in constanti professione veritatis, diem suum placide obiit, anno Domini 1387. Mortuum sæpius anathemate percusserunt, tandemque anno 1428. Martini Pontificis iussu refossum concremarunt, ac libros eius exusserunt: verum doctrinam eius opprimere non valuerunt. Extat quidem à Monacho quodam mercenario, Wilhelmo Widefrodo, conflata articulorum eius refutatio, sed elumbis & barbara.

Nec multo post in Bohemia publice iterum defensa & propagata fuit in Wiclefo damnata veri-

veritas à Iohanne Huſſo, & Hieronymo Pragenſi, Doctoribus ac teſtib. veritatis conſtantiſſimis; tandemque, vtriuſque ſanguine obſignata. Vocati hi à Concilio Conſtantienſi ad dicendam cauſam, cum ſaluo conductu Imperii, ſeſe conſeſſui Patrum ſtiterunt. Cum vero doctrinam veritatis Conſtantiæ conſtantes tuerentur, inaudito perfidiæ exemplo, vterque damnati, & flammis exuſti fuerunt. Iohannes quidem Huſſus, contra ſaluum conductum ab Imperatore Sigiſmundo datum, primum in domo Cantoris Conſtantienſis Eccleſiæ, à primo ad octauum vſque Decembris, anno 1414. ſub arctiſſima armatorum cuſtodia fuit. Inde in monaſterium Prædicatorum ad Rhenum perductus, & carceri eius monaſterii, ipſi latrinæ (ſit honos auribus) proximo mandatus eſt: in quo cum infeſtiſſima hyeme aliquandiu delituiſſet, incidit ex loci iniuria in grauiſſimam febrim, adeo, vt de vita eius deſperatum eſſet. Ne vero in ipſo carcere vulgari mortis genere periret, attribuit ei Pontifex Romanus aliquot ex ſuis Medicis, qui eum curarent. In hoc fœtidiſſimo carcere vſque ad diem Mercurii proximum ante diem Palmarum, anni 1415. (quo die Iohannes XXIII. Papa clam habitu mutato Conſtantia ſe ſubduxit atque aufugit) h. e. totos 114. dies detentus fuit. Cognita vero Papæ fuga, Cęſar & Cardinales, de ſententia Concilii, tertio carceri Epiſcopi Conſtantienſis Huſſum manciparunt, qui per ſatellites armatos curauit eum non procul à Conſtantia trans Rhe-

Rhenum in arcem quandam deportari: vbi in turri quadam interdiu compedibus vinctus incedere poterat; noctu vero manica ferrea iuxta lectum parieti est alligatus, vsque ad diem martyrii, qui fuit 6. Iulii, Anni 1415. quo rogo impositus & crematus est. In saluo itaque conductu Imperatorem Sigismundum Husso prohibuisse fugam sub pœna capitis, Hussum aufugisse, ex fuga retractum, incarceratum, iureque damnatum fuisse; impudens mendacium est, ad tegendam Concilii Constantiensis perfidiam & crudelitatem inuentum; quod primus Historiæ inseruit Nauclerus, Gener. 48. ex quo Cochlæus, Molanus, Becanus, & alii Iesuitæ hauserunt. De fide Husso violata grauissime conquesti leguntur Domini Bohemi, in supplicatione sua ad Concilium, 14. Maii, 1415. Etiam Vniuersitas Pragensis præclaro Hussum testimonio ad Concilium ornasse, & de saluo conductu contra omnia iura violato, grauiter conquesta esse in Actis legitur. Ipsum denique Hussum fidem in Imperatore Sigismundo sæpius desiderasse, literæ eius testantur.

Hieronymus Pragensis, Husso secundo adhuc carcere detento, sponte, non vocatus, ad defensionem veritatis venit Constantiam, 4. April. Anno 1415. Ibi cum sibi insidias strui intelligeret, postridie Iberlingam se recepit, oppidum Imperii Constantia non amplius vno milliari distans, ne se sciens ac prudens periculo obiiceret. Inde literis ad Imperatorem Si-

gismundum, & Concilium datis, saluum conductum sibi dari petebat, vt libere sibi Constantiæ causam dicere, atque aduersariis respondere liceret. Renuit Imperator. Concilium saluum conductum à violentia, salua (vt loquebantur) iustitia, h. e. potestatem veniendi, sed non redeundi, manifesto præiudicio, et per citationem 17. April. decreuit, sed nec significari, nec insinuari curauit. Cum Hieronymus nihil proficeret, impetratis saltem à Bohemis proceribus literis de sua innocentia, in Bohemiam reuerti statuit: in itinere vero ab hostibus interceptus, Constantiamq; missus fuit in carcerem. Postulatus, cur fugisset, in ius vocatus non venisset? respondit: *Quando nec ab Imperatore, nec à vobis extorquere potui fidem publicam, quemadmodum Baronum ad me scripta testantur: atque etiam hic mihi infestissimos esse hostes sensi: cedere visum fuit, ne temere solus, & non vocatus, tantum discrimen subiisse viderer. Sed si mihi aliquid de vestra citatione significatum fuisset, proculdubio me haud piguisset vel è Bohemia Constantiam proficisci.* His dictis ingens Sacerdotum mox aduersus eum ortus tumultus, postque modicam actionem exclamatum: *Exuriat hominem.* A lictoribus igitur in fœdissimum carcerem tractus, cum (Poggio Florentino teste) totos 340. dies inter squalores & sordes in eo tantum non contabuisset, causamque nihilominus cum hostium stupore dixisset, tandem nefarie damnatus fuit, atque exustus, 30. Maii, Anno 1415. non aliquot diebus post Hussum,

vt scribit Martinus Becanus, historiam ignorans, vel deprauans: sed integro prope anno. Vacillauit Hieronymus quidem terrore mortis, vt cum Petro Christum negaret, cum Paulo neci Iohan. Hussi subscriberet: sed cum vtroque mox resipuit, vitamque & sanguinem pro Christi gloria fortiter profudit. De Hieronymi obitu & supplicio videatur Poggii Florentini ad Leonhardum Aretinum Epistola: huiusque ad illam responsio, & Sleidanus lib. III.

Quamuis autem cineres Hussi & Hieronymi, ne vltionem exposcerent, à carnificibus in profluentem Rheni fuerint proiecti: tamen non multo post Clerus, qui necis Martyrum architectus exstiterat, per vniuersam Bohemiam, & vicinas prouincias, vindicem Dei manum horribilibus exemplis experiri, multoque suo sanguine innoxiis manibus litare coactus fuit. Eadem Nemesis etiam Imperatorem Sigismundum, Bohemorum Regem, & Imperii Proceres, stupendis modis est persecuta, quorum potentissimos exercitus ad delendos hæreticos, vt ferebantur, Hussiticos, variis vicibus, variisque locis ac partibus Bohemiæ simul infusos, exigua Hussitarum manus, non modo ad miraculum intrepida sustinuit; sed auxiliatrice Dei manu quasi cœlitus porrecta, mox Panico exanimatos terrore, in turpem fugam adegit, mox vltore gladio horribilibus cladibus affectos concidit, magnaque parte deleuit. Testis Æneas Syluius in Historia Bohemica, cap.

54.57.58. Tantum videlicet Martyrum innoxiorum cineres Rheno demersi potuerunt.

Etsi autem Hussus præcipue Transsubstantiationis errorem, & Sacramenti mutilationem oppugnauit contra Pontificios: de Eucharistiæ autem doctrina, & controuersias alias disputando in Bohemia nondum attigerat, quas olim in Anglia Wiclefus mouerat: tamen de eius consensu cum Wiclefo nullum est dubium. Nam, teste historia, omnes articulos Wiclefi vel approbauit, vel non erroneos iudicauit. Et ideo inter articulos Hussi à Concilio damnatos etiam is fuit, quod esset sectator Wiclefi, & condemnationem articulorum à Concilio factam iniquam pronunciaret.

Hussi doctrinam retinuerunt in Bohemia & Morauia Ecclesiæ, quas Fratrum Bohemicorum vocant. Vulgus odiose Picardos appellat, sed falso. Nam teste Ænea Syluio, Hussitis parum propitio, in Hist. Bohemica, cap. 41. fœdam, h. e. Adamiticam Picardorum sectam, à Picardo siue Pegardo quodam ex Gallia, Belgica in Bohemia disseminatam, Ziska, Hussitarum Dux fortissim⁹, internecione vno die concidit, funditusque deleuit. Sunt igitur Fratres Bohemici, germani Hussi discipuli. Post mortem enim Hussi Ecclesiæ Hussiticæ, quæ abiecto Pontificis iugo in Vrbe Pragensi, & passim in Regno Bohemiæ, maxime vero in oppido Tabor recens constructo, (vnde Taboritarum nomen acceperunt) sedes habebant, aduersus Pontificiorum violentiam atque oppressionem ali-

aliquandiu se, Duce Ziska, non sine multis Dei miraculis defenderunt. Victoriæ enim Ziskæ, & Successorum, Pontificem Romanum Basiliense Concilium cogere coegerunt, ad quod Bohemi euocati, Duce Procopio, vna cum M. Rokezana, Hussita, viro diserto, sed ambitioso, & Archiepiscopatum Pragensem affectante, in Papæ verba per omnia iurarunt, ea saltem conditione, vt ipsis in Eucharistia vsus calicis & sermonis vernaculi, nec non coniugium sacerdotum permitteretur, quæ Bohemi hodie Compactata vocant. Istam suorum defectionem à doctrina Hussi cum Hussitæ reliqui omni ægre ferrent; itum est in partes, & schismate facto Magistri quidem Pragenses cum suis sectatoribus dicti fuerunt Calixtini, qui ex doctrina Hussi præter vsum calicis vix aliquid reliquum habent: In cæteris Pontificiorum ritus, superstitiones & errores, contra quos disputando Hussus sanguinem profudit, prorsus tuentur, Hussi spuria proles, quantumuis solos se Hussitas esse glorientur. Alii vero deserta Praga Taboritarum nomen vulgò adepti, calicem & cætera vniuersa Hussi retinuerunt, γνήσιοι quoad fidem Hussi discipuli, licet tunc necessitas plærosque cogeret magis esse militares, quam probos. Sed hi tam Calixtinorum quam Pontificiorum mutuo conspirantium infestissimis odiis, direptionibus, atque armis perpetuo expositi, non multo post ab iisdem partim vi cæsi sunt, partim fraudibus oppressi. Ex horum clade, quæ superstites manserunt reliquiæ,

fuerunt Fratrum Bohemicorum Ecclesiæ, quæ non armis, sed doctrinæ vacantes paulatim fermento, quod reliquum erat, Papali expurgato, etiam rituum priscorum simplicitatem cum disciplina strictiore receperunt, ac variis fortunæ procellis iactatæ ex Bohemia tandem in vicinam Morauiam, indeque in Poloniam atque Boruſſiam sese propagarunt. Horum Fratrum Bohemicorum Confessio cum Apologia de omnibus fidei articulis, & de Eucharistia, pia, Orthodoxa, & ingenua, exstat ad Vladislaum Regem Anno 1507. & ad Ferdinandum Regem anno 1535. scripta. Legatur Cl. V. Ioachimi Camerarii Pabepergensis, Historica Narratio, de fratrum Orthodoxorum Ecclesiis, in Bohemia, Morauia, & Polonia.

Fuit quoque tunc temporis Hussi socius Petrus Dresdensis, Scholæ Pragensis moderator, qui Anno 1410. primus sub vtraque specie corpus sanginem Dominicum ministrandum esse profitebatur, Ecclesiam inscitiæ insimulans, quæ sub vna tantum specie sumendum esse edixerat. Æn. Sylu. cap. 35.

Hieronymus Sauonarola, Ferrariensis, Monachus Dominicanus, Concionator celeberrimus, communionem sub vtraque specie defendit, indulgentias damnauit: Papæ, Cardinalium, omniumque spiritualium turpem sceleratamque vitam, & officii neglectionem grauissime est accusare solitus: Negauit etiam primatum Papæ. Claues docuit Ecclesiæ toti, non vni Petro traditas. Adhæc Papam nec vi-

tam

tam nec doctrinam CHRISTI retinere dicebat, qui plus suis indulgentiis & traditiunculis, quam CHRISTI merito tribueret. Asseruit quoque, Papæ excommunicationes timendas non esse. Prædixit item futura quædam; nempe vastitatem Florentiæ, & Romæ, atque tandem instaurationem Ecclesiæ. Itaque acerbis quæstionum cruciatibus excarnificatus, iussu Alexandri VI. Pontificis Romani, vna cum duobus sociis, Syluestro Florentino, & Dominico de Pisis, Ordinis Prædicatorum, Florentiæ laqueo suffocatus & crematus est, Anno Domini 1498. 23. Maii, ætatis 46. A Iohanne Francisco Pico Mirandulano, & Marsilio Ficino, scripto contra Papam defensus, & tanquam Propheta celebratus est. Defenderunt & alii quidam docti viri Sauonarolæ eiusdem innocentiam. Philippus Cominæus lib. III. de bello Neapolitano, recitat suum cum Sauonarola colloquium, & vaticiniorum eius meminit. Item in fine libri V. de Hieronymi extremo supplicio.

SYNODI CELEBRATÆ SVB HENRICO IV. Imp. & aliis, vsque ad tempora Caroli V.

ANno 1059. Romæ sub Nicolao II. Papa Concilium Lateranense celebratum est, in quo Berengarius Turonensis suam sententiam de Eucharistia reuocauit, ea verborum

forma, quæ extat in Decreto Dist. 2. de Consecr. Atque hanc Confessionem Berengarii Romę coram 114. Episcopis editam misit Papa Nicolaus per Vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad alia loca, vt Ecclesiæ, quæ prius doluerant de auerso atque peruerso, postea gauderent de reuerso atque conuerso. Berengarium refutarunt etiam Lanfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis, & Guitmundus Episcopus Auersanus, qui illo tempore vixerunt, & quorum hodie contra Berengarium scripta leguntur.

Anno 1074. Schisma ortum est propter Sacerdotum matrimonia, à Gregorio VII. Pontifice inhibita, quam prohibitionem alii bonam ac piam, alii impiam & Euangelio contrariam esse contendebant. Scribunt ea de re Sigebertus, Nauclerus, & Schaffnaburgensis mirabilia. Gregorius frequentes Synodos in Italia indixit, & cum Episcopis tandem hoc decretum fecit, vt ad sacerdotium nemo admitteretur, nisi cœlibatum profiteretur. Qui vero vxores haberent, vt eas vel dimitterent, vel sacerdotium desererent. Publicauit hoc decretum per omnem Italiam, & Galliæ etiam Episcopos crebris literis hortatus est, vt idem & *ipsi* ratum haberent. Sed offensi eo clerici fremere, & repugnare totis animis atque viribus cœperunt: indeq; grauissima in Ecclesia oborta sunt dissidia.

Archiepiscopus quidem Moguntin⁹ eodem hoc anno 1074. Erphurdiæ conuentum egit, vt cle-

clericis cœlibatum iussu Pontificis obtruderet; sed magna fortitudine clerici repugnarunt, & Episcopus re infecta coactus est discedere.

Anno 1076. ortum est schisma inter Gregorium VII. & Henricum IV. Imp. quo Romana Resp. totaque Ecclesia misere turbata est. Henricus IV. Imp. Synodum conuocauit Wormatiæ, & Gregorium VII. siue Hildebrandum Pontificem, propter veneficia & alia scelera, Pontificatu indignum & remouendum pronũciauit: cui decreto subscripserunt Episcopi XXVI. Papa contra conuocata Synodo Romam caput mundi pronunciauit, & suę potestatis dixit esse, Imperatorem constituere. Distributis etiam viritim quindecim fere millibus aureorum, odium Imperatori conciliauit, eumque excommunicauit, & ab Imperio remoueri mandauit: omnesque Principes ac subditos Germaniæ absoluit ab obedientia Imperatori promissa. Interim deficiunt ab Imperatore Saxones, & alii, & à Principibus Imperii Comitia agitantur Triburiæ, de deponendo Henrico, & alio eligendo Imperatore. Imperatorem vehementissime accusant Episcopi & alii: Imperator se excusat, & omnia promittit, septem diebus contenditur; tandem concludunt Principes, negotium Imperatorium tractandum esse Augustæ, arbitro Pontifice Romano: interim Henricus curaret se absolui ab excommunicatione, ante annum vertentem. Mense igitur Decembri cum coniuge & filio, ac paucis comitibus, iter Henricus ingreditur in Italiam,

petiturus absolutionem excommunicationis ab hoste suo infensissimo Pontifice. Post multas intercessiones, & tridui inediam ac frigus, quo nudus pedibus sub dio conflictabatur, tandem absoluitur Canusii, die 28. Ian. Anno 1077. interposito iuramento, se Pontifici in omnibus concessurum. Interim Papa mandat Principibus Germaniæ, vt, si vellent, alium Imperatorem eligant. Principes Forchemiæ conueniunt, vnanimique consensu, repudiato Henrico IV. eligunt die 20. Febr. Rudolphum, Sueuiæ Ducem, cui Papa coronam misit, hac inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Delusus ad hunc modum à Pontifice Imperator Henricus, clam ex Italia in Germaniam rediit, & certamina cruenta cum Regni æmulo subiit. Anno 1080. Concilium Brixiæ Noricæ conuocauit, ad quod multi Episcopi ex Italia, Gallia, & Germania venere. In hoc Hildebrandus, licet absens, damnatus ac depositus est: in eiusque locum constitutus Rauennæ nouus Episcopus Wibertus, qui dictus est Clemens III. Hildebrandus contra Romę Concilium agitauit, & Henricum Imp. iterum excommunicauit: multis etiam propositis indulgentiis instigauit Saxones contra Imperatorem. Imperator vero magno animo occurrit in Missnia ad Elistrum fluuium prope Geram; ibi Saxones victi, Rudolpho in prælio dextera, qua fidem Imperatori datam fefellerat, amputata: quam cum Mersburgi moriturus abscissam intueretur, grauiter suspirans dixisse fertur

ad

ad Episcopos, qui aderant: *Spectate dextram, legitima supplicia expendentem, quæ fidem sacramento munitam, & Henrico Domino meo datam, vobis vrgentibus, præter æquum & fas temere violauit. Videte, qui me contra Dominum meum solium ascendere feciſtis, vt recta via me vestra monita sequentem duxeritis.* Quibus dictis, Rudolphus expirauit, Anno 1080. die 16. Octob. Sepultus Mersburgi, regio ritu: quod cum ægre ferrent quidam, & dicerent, non decere hostem Imperatoris ita honorari mortuum; respondit Imperator: *Sinite eum regiis insignibus ornatum sepeliri: vtinam omnes mei aduersarii hoc ornatu sepulti iacerent.* Sublato Rudolpho, Henricus IV. Imper. totam belli molem in Italiam aduersus Pontificem conuertit: & Roma capta, Hildebrandoque elapso, Wibertum, qui se Clementem III. appellarat, Pontificem constituit, Anno 1083. à quo magna solennitate consecratus est. Inde in Germaniam rediens, in Thuringia Synodum conuocauit, vbi omnes controuersiæ tandem componerentur. Anno igitur 1085. Garstungi in Thuringia Synodus agitur die 22. Ian. in qua Conradus, Traiectensis Episcopus, copiose adhortatur Ordines Imperii ad pacem, & ostendit, Imperatori factam iniuriam. Qui contrariæ erant sententiæ, Quedlinburgæ conueniunt, confirmant Acta Hildebrandi, & Episcopos, qui ex partibus Cæsaris erant, excommunicant. Alia igitur indicitur Synodus ab Imp. celebranda Moguntiæ, in qua præsentibus & consentientibus Episcopis Ita-

lis, Gallis, & Germanis, acta Hildebrandi aduersus Cæsarem reprobantur, contraque Cæsaris approbantur: omnes item Episcopi, qui seditiosis se aggregarant, dignitate priuantur: deponitur etiam Cæsar Hermannus Lucemburgius, à seditiosis Saxonibus Imp. electus. Paullo post Gregorius Hildebrandus moritur mœrore animi Eligitur à Cardinalibus contra Clementem III. ex præcepto quorundam Ducum in Italia, Victor III. qui acriter Imp. partes oppugnauit. Sed hic paullo post mortuus est, & succeſſit Vrbanus II. qui acta Hildebrandi iterum confirmauit, & Clementem III. anathemate feriit.

Anno 1086. Moguntiæ Episcopi conueniunt cum Principibus, & communi consensu Papam Vrbanum II. declarant sacrilegum, & Pontificatu indignum.

Anno 1094. Wilhelmus Angliæ Rex, Anshelmo Epis. Cantuariensi, controuersiam mouit, iusque inuestituræ, quod Imper. Henricus habebat in Imperio, id se in suo Regno obtinere contendit: quod cum Anshelmus concedere nollet, abiit ad Pontificem Vrb. II. Romam, vbi interfuit Concilio, in quo anathemate feriebãtur Episcopi, qui inuestituram à laicis fieri paterentur. Prius tamen idem Anshelmus contra Græcos disputarat in Concilio Barensi.

Anno 1095. Vrbanus II. Papa apud Clarummontem in Aruernia Galliæ Concilium egit Regum & Episcoporum, in quo pronunciauit, Ecclesiam ab omni seruitute Regum libe-

liberam; ideo inuestituram ab ipsis recipiendam non esse. Acta item Hildebrandi confirmauit, & Regem Galliæ Philippum, propter pellicem, anathemate feriit. Concilio fere transacto, mense Nouembri, prolixam instituit adhortationem ad Principes Europæ, eosque ad expeditionem vltra marinam pro recuperanda Terra Sancta excitauit. Anno igitur sequenti 1096. celebris expeditio in Palæstinam, à Duce Godefrido Bulionæo, Principe Lotharingiæ, & aliis Christianis Principibus suscepta est, studio recuperandi terram sanctam: Tantoque numero Christiani mare transierunt, vt Occidens vniuersus demigrare visus sit in Orientem. Appellatur Bellum sacrum, quod pio zelo susceptum est, sed piorum sanguine multo gestum. Describitur breuiter & magna cum fide à Fucherio Carnotẽsi, qui fuit Capellanus Balduini, fratris Godefridi Bulionæi: itemque à Gulielmo Tyrio, Blondo, & rerum Gallicarum Germanicarumque scriptoribus.

Anno 1102. Anshelmus, Episcopus Cantuariensis, Concilio Londini conuocati, primus Pontificis edictum promulgauit de cælibatu sacerdotum. Sequenti anno innumerabiles Sodomitas inuenit.

Eodem anno Paschalis II. Papa Concilio indicto Hildebrandi & Vrbani II. antecessoris sui, acta confirmauit, & Henricum IV. Imp. iterum diris deuouit. Itaque anno 1105. Henricus V. filius Henrici IV. aduersus patrem arma sumsit, & adiunctis sibi quibusdam Germaniæ proceri-

bus, bello eum persecutus est. Northusiæ etiam in Episcoporum conuentu publice se purgauit, quod patri bellum faceret, non regnandi cupiditate, sed studio obedientiæ erga sedem Apostolicam declarandæ.

Anno sequenti 1106. Henricus Quartus Imper. decreto Paschalis Papæ excommunicatus Imperio deiicitur, & insignibus atque ornamentis Imperialibus spoliatus à Moguntino, atque in custodiam à filio coniectus, mærore animi extinguitur, Leodii. 7. Augusti, ætatis 56. Cadauer eius, vt hominis excommunicati, toto quinquennio sarcophago lapideo inclusum, extra templum Spirense inhumatum steterit, & sepulturæ honore caruit: cuius rei narrationem prolixam habet Abbas Vrspergensis.

Anno IIII. Paschalis Pontifex Henrico Quinto Imper. concessit ius & priuilegium Imperiale conferendi Episcopatus, & Abbatias vel Prælaturas (vt vocant) per annulum & baculum. Sed paulo post Romæ in Concilio Lateranensi, anno 1116. 6. Martii congregato priuilegium illud de inuestitura Episcoporum antea traditum Henrico Quinto reuocauit, damnauit & abrogauit, illudque nominauit *Prauilegium*. Imperatorem etiam anathemate ferijt. Quæ res multos Episcopos & Principes Germaniæ ad rebellionem aduersus Imperatorem commouit. Nouæ itaque turbæ, schismata & scandala in Ecclesia repullularunt. Albertus enim Moguntinus totum Imperium fere contra Imp. Henricum Quintum commouit, quod

cum

cum Imperator tempestiue persentisceret, Moguntinum cepit, & triennali carceri mancipauit.

Anno 1115. Imperator Henricus Quintus, Moguntiam profectus Synodum egit, & seditione ciuium exceptus est, quam sedare non potuit, nisi liberato Episcopo Moguntino ex carcere.

Anno 1116. Paschalis Papa Romæ, die 6. Martii, Synodum iterum celebrauit, & Imperatorem Henricum V. quod de suo iure cedere nollet, iterum excommunicauit. Imperator contra exercitum coegit, & in Italiam profectus est, armis experturus, quod precibus & iure, perficere non poterat. Papa igitur fugit, & in Apulia conuocato Concilio Rogerium in Henricum Imp. armauit.

Anno 1118. Gelasius II. Pontifex Capuæ Concilium celebrauit, vbi Imperatorem cum suo Gregorio VIII. Antipapa damnauit, & hunc Idolum Cæsaris appellauit.

Anno 1120. Calixtus II. Papa Concilium celebrauit, in quo Hildebrandi Papæ acta in Imperatores Germanicos confirmauit, & sacerdotum coniugia abrogauit.

Anno 1122. Calixtus II. Pontifex Rhemis Cõcilium celebrauit, statuitque, Papam à nemine iudicari debere, & misit Cunonem in Germaniam, qui vbiuis locorum Episcopos cogeret, & excommunicationem Imperatoris vrgeret. Huius violentia Imperator Henric. Quintus coactus, petiit sibi inducias dari, quo

cum

cum Principibus consultaret. Indicitur itaque hoc anno Concilium Wormatiense, die 23. Septembr. vbi tandem pax facta inter Papam & Cæsarem, & Pontifici omne ius inuestituræ, permissum: Cæsari concessum, vt electio Episcoporum & Abbatum in eius præsentia fieret, & tam Episcopi, quam Abbates regalia per sceptrum ab Imperatore reciperent. Tabulæ huius pacti publice in Laterano suspensæ sunt.

Anno 1126. Honorius II. Papa, Concilio Trecis habito, confirmauit Templariorum Ordinem, ipsisque præscripsit regulam, ex consilio D. Bernhardini, & vestitu albo ipsos à reliquis distinxit: postmodum vestitui huic albo addiderunt crucem rubram, post annos fere 20.

Anno 1131. Innocentius II. Papa Italia expulsus, Rhemis Concilium egit, Ludouicum Regem Galliæ consecrauit, & legatum ad Imp. Lotharium misit colloquii causa, quod Leodii habitum fuit. Inde in Germania Concilia indicta, de expeditione in Italiam instituenda.

Anno 1179. Concilium Romæ in Laterano actum, conuocatis 310. Episcopis, in quo multa ad stabiliendum Pontificatum ordinata sunt: inter cætera Petrus Lombardus hæreseos iniuste damnatus, 36. annis ità damnationi subiacuit; donec restitutus fuit ab Innocentio III. Pontifice.

Anno 1215. Papa Innocentius Tertius, Lateranense Concilium maximum Romæ celebrauit, cui interfuerunt Patriarcha Hierosolymitanus & Constantinopolitanus, Metropolitani 70. Epi-

70. Episcopi, 400. Abbates, [illegible] Priores conuentuales 800. Græci & Romani Imperii Legati, & Oratores Regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri. Acta sunt alia multa, tum inprimis Transsubstantiatio panis & vini in cœna Domini approbata & confirmata est. Item, libelli quidam Abbatis Ioachimi condemnati. Petrus vero Lombardus in loco de Trinitate defensus est, & eius accusatores damnati. Decreta etiam expeditio in Syriam, pro terra sancta recuperanda. Ex hoc itaque tempore per omnes fines Christiani Orbis emissi Doctores, innumerabilem hominum multitudinem exhortationibus suis excitarunt, vt pro liberatione terræ sanctæ, crucis signo notati, militiæ sacræ nomen darent.

Anno 1245. Concilium generale Lugduni celebratum est, in quo Fridericus Secundus Imp. tanquam schismaticus & hostis Ecclesiæ, excõmunicatus est, & imperio priuatus, ab Innocentio Quarto Pontifice. Contra eundem electus est Henricus, Hassiæ ac Thuringiæ Landgrauius, qui tamen anno 1247. occisus est sagitta prope Vlmam, sepultus Isennaci. In eodem Cõcilio Lugdunensi Rex Angliæ conquestus erat de exactionibus Pontificiis in suo Regno, id quod Pontificem adeo male habuit, vt iuberet Regem Galliæ Anglo bellum inferre.

Anno 1274. Concilium Lugdunense celebratur, cui interfuerunt Episcopi quingenti, Abbates & Prælati mille fere: pro recuperanda terra sancta. Legati etiam Constantinopolitani adfuerunt,

fuerunt, qui obedientiam Pontifici Romano promiserunt, tantummodo auxilia non subministrarentur Balduino, Regi profugo. Cũ Thomas Aquinas in itinere morruus esset, Bonauentura, in præsentia Michaelis Palæologi Imper. Græcorum, Gregorio Decimo præsidente, cum Græcis contulit de processione Spiritus S. Ibidem genuflexio ad mentionem nominis Iesu instituta est. Rudolpho Habspurgensi confirmatum Imperium.

Anno 1296. Parisiis Synodus acta contra Bonifacium VIII. Papam, quem multorum scelerum arguit. Causa fuit, quod Papa Philippum Regem regno deiicere conaretur.

Anno 1311. Concilium Viennense generale celebratum fuit per biennium, in quo promulgatæ sunt Clementinæ, & suasu fere Philippi Pulchri Regis Galliæ, Ordo Templariorum, qui annis ferme 184. steterat, à Clemente Quinto, Pontifice condemnatus fuit, eorumque bona Hospitalariis D. Iohannis, qui tunc vocabantur equites Rhodii, collata. Vno itaque die per vniuersum orbem hic ordo deletus & extirpatus est, anno 1312. Causa deletionis subitæ fuit, vel religionis ethnicæ inductio, vel effusa in omni intemperantia libido, vel perfidiæ & conspirationis cum Turcis suspicio, vel potentiæ nimiæ metus.

Fuerunt autem Templarii fratres militię templi Hierosolymitani, quorũ ordinẽ confirmauit Honorius Pontifex, vt scribit Volaterranus. Vide Gul. Tyrium, libro duodecimo, cap. septimo, & Æmi-

& Æmilium libro quinto. Memorabilis etiam est constitutio in hoc Concilio Viennensi edita, de discendis linguis, Græca, Hebræa, Chaldæa, & comprobatis gradibus in Academiis.

Anno 1408. Concilium Pisis celebratum est, propter schisma Pontificum Romanorum, in quo tam Benedicto Decimotertio, qui in Galliis hærebat, quam Gregorio Duodecimo, qui Romæ sedebat, Pontificatus abrogatus est, & in vtriusque locum electus Alexander V. qui ob Hungarorum violentiam Bononiæ sedem elegit. Sed neuter voluit parere Concilio Pisano, & vterque tenuerunt Pontificatus insignia: Benedictus quidem, vsque ad mortem; Gregorius vero vsque ad Concilium Constantiense.

Concilium Constantiense, inchoatum est, anno 1414. mense Nou. finitum anno 1418. circa mensem Maium. Interfuerunt ei Balthasar Cossa, Pontifex Rom. appellatus Iohan. XXIII. Sigismundus, Imp. Rom.

Hic Iohan. XXIII. authoritate sua priuauit, & ab officio suo abdicauit, suffecto in locum eius Martino V. Totum vero ex periuris fuit cõflatum, & manifesta periuria stabiliuit. Nam duos sanctissimos Martyres, Iohan. Hussum, & Hieronymum Pragensem, contra saluum conductum Husso ab Imperatore Sigismundo datum, inauditos incarcerauit, neq; vllius hæreseos ex verbo Dei conuictos exuri curauit.

Decretum quoque fecit erroris & blasphemiæ plenum. Prohibuit enim populum sub vtra-

vtraque ſpecie communicare, & anathema iis denunciauit, qui hoc auderent facere: quæ tamen Chriſti inſtitutio à primitiua Eccleſia obſeruata fuit. In eodem Concilio Conſtantienſi improbata fuit illa authoritas, quam Papa ſibi vendicat Statuerunt Patres, ſeſſ. 4. & 5. *Concilium eſſe ſupra Romanum Pontificem:* Et Papę principatum ſupra omnem Eccleſiam, etiam ſupra Concilium damnarunt. Quod decretum etiam renouatum poſtea eſt in Concilio Baſilienſi. Ideoq; hæ duo Concilia à Bellarmino & aliis pontificiis reprobantur.

Concilium Baſilienſe inchoatum anno 1431. die 7. Decembr. extractum eſt in annum vſque vndecimum, finitum 1442. Primis duobus annis nihil actum, præterquam quod Eugenius IV. pontifex citatus & accuſatus non comparuit. Actum poſtea de reformatione omnium ſtatuum in Eccleſia, & de Huſſitis. In eodem definitum eſt, Romanum pontificem ſeſe Concilio ſubiicere debere.

Anno 1438. Concilium Ferrarienſe inſtitutum poſtea Florentiæ celebrabatur: ad quod profectus eſt Eugenius pontifex; qui *cum Imperatorem* Conſtantinopolitanum eo aduentare intellexiſſet, diſſidentes Eccleſias, Latinam & Græcam, in vnum corpus redigere cupiens, Cōcilium vna cum Imperatore Græcorum Iohanne VIII. Palæologo, & Patriarcha Byzantino Ioſepho ingreſſus, ſedente Imperatore Græcorum condigna ſede, aliiſque Græcis è regione

Ponti-

Pontificis, primo quæsitum est; Vellentne tam Latini quam Græci ex duabus Ecclesiis iampridem dissidentibus vnam fieri? succlamarunt omnes, placere & velle, modo rationibus illa pri⁹ confutarentur, quæ tantæ discordiæ causa fuissent. Disputabatur quotidie ab his, qui ad tantam rem delecti fuerant. Verum cum pestis Ferrariam inuasisset, ibique non sine periculo viueretur, Florentiam Concilium translatum est.

Interea Eugenius, cum à Concilio Basilienſi bis terue citatus non comparuisset, Pontificatu priuatus est, anno 1439. 25. Iunii, inque locum eius Pontifex creatus Amadeus Sabaudiæ Dux, appellatusque est Felix IV. Hinc magnæ seditiones ortæ, cum Ecclesia trifariam diuisa, aut Felicem aut Eugenium sequeretur, essentque qui Neutrales vocarentur, quod neutri obtemperarent, Græci, post multas disputationes, in Concilio Florentino cum Latinis concordiam inierunt de processione Spiritus S. de pane azymo in Cœna Domini, de Purgatorio, & de Romani Pontificis potestate. Sed legatis domum reuersis, Græci facti sunt à Romano Pontifice longe quam antea alieniores, & priores sententias suas mordicus retinuerunt.

Concilium Lateranense vltimum, habitum est anno Domini 1516. sub Leone X. Pontifice, vno anno antequam Lutherus emersit. In hoc Concilio plenaria potestas in totam Ecclesiam Papæ concessa est, quæ in nullo prius Concilio fuit confirmata. Reclamatum tamen est huic constitutioni, Nam Theologi Parienses ab hoc Conci-

Concilio ad Concilium generale appellarunt, quæ appellatio typis edita est, & ab Ortuino Gratio citatur in libro, qui inscribitur, Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum. Defendunt hi Theologi Concilium Basilieus, Leonis vero illud negant legitime in Spiritu S. congregatum fuisse; & abusus Ecclesiæ Romanæ intolerabiles commemorant.

IMPERATORES ROMANI à Carolo V. vsq; ad Ferdinandum II.

MAximilianus I. Imperio successorem reliquit, se suaque gloria dignum Carolum V. suum ex filio Philippo Nepotem, Archiducem Austriæ, Regnorum 28. Regem, qui anno Christi 1519. die 28 Iunii, ætatis 20. Francofurti ad Mœnum Imperator Romanorum electus est; cum antea Electores principes Imperium detulissent ad Fridericum, Saxoniæ Electorem, cognomento Sapientem, qui multis de causis dignitatem illam repudiauit, vt scribit Erasmus in Epistolis libr. 13. Epist. 4. In huius Caroli Quinti tempora incidit mutatio *religionis*, & reformatio Ecclesiarum pontificiarum: qua de causa Imperator multos & celebres conuentus habuit.

Historia breuiter sic habet. Cum Martinus Lutherus contra impias nundinationes indulgentiarum pontificiarum, anno 1517. Witeberg-

gæ

gæ disputasset, indagandæ veritatis gratia, ab Eccio professore Heidelbergensi, Sylvestro prieriate, palatii Romani Magistro, Dominicano Monacho, nec non à Iacobo Hochstrat acerbissime excipitur: sed ille mascule pro veritate depugnat. Eadem de causa Romam citatur, sed venire eo, propter periculum, recusat, & per intercessionem Electoris Saxoniæ à Papa impetrat, vt non Romæ, sed Augustæ, apud Caietanum causam dicat.

Cum vero Caietanus ad minas descenderet, Lutherus, post vnum & alterum cum ipso conflictum, Augusta discedit, relicta ad Romanum pontificem appellatione. Sed cum videret, & pontificem serio hoc agere, vt Lutherum violenter opprimeret, & Romæ de ipsius scriptis, & tota causa iniquissime iudicaret, Lutherus à pontifice ad Concilium legitimum prouocauit. Interea scriptis aliquot neruosissimis veritatem cœlestem asseruit. Paulo post pontifex Romanus bullam ad Electorem Saxoniæ misit, qua Lutherum pro deplorato hæretico declarauit, & excommunicauit; vbi Lutherus denuo ad Concilium pium & liberum prouocauit.

Tandem Wormatiæ anno 1521. die 17. Aprilis à Carolo Quinto Imperatore, in frequentissimo consessu procerum Imperii, inter Lutherum & Eccium, de agnoscendis & propugnandis ab illo editis libris, institutum fuit colloquium. LVTHERVS summa cum modestia periit, sibi errores obiectos

ex

ex verbo Dei demonstrari. Sed prævaluit Pontificis authoritas, vt Lutherus à Cæsare 8. die Maii, tanquam manifestus hæreticus, publico Imperii decreto, proscriberetur. Addidit insuper Cæsar edicto mandatum omnibus, vt finitis 21. diebus, per salui conducti codicillos, Luthero ad reditum concessis, operam darent, quo ille caperetur, & in Cæsaris potestatem redigeretur. Hæc finalis clausula proscriptionis procul dubio effectum suum fuisset sortita, nisi Fridericus Elector Saxoniæ eius rationem habuisset: quia viderat illum, non de re ipsa & doctrinæ qualitate esse in Comitiis auditum, sed vnum hoc cum eo actum, vt sententia sua cederet. Non deerant etiam in iisdem Comitiis Wormatiensibus, (teste Sleidano lib. 3.) qui Constantiensis Concilii decretum & vestigia secuti, fidem Luthero minime seruandam esse ducerēt: sed huic sententiæ tum alios, tum Ludouicum Palatinum Electorem restitisse vehementer aiunt, quod ad Germanici nominis labem atque dedecus sempiternum ea res pertineret. Quapropter non modo seruandam ei fidem, sed neque temere damnandum esse plæriq; censebant, eo quod magni res esset futura momenti, quicquid demum Cæsar decreuisset, quem in hac ætate positum, à Pontificiis administris impelli videbant aduersus Lutherum, & exacui. Quod igitur Luthero fides fuit seruata Wormatiæ, constantiæ Imperatoris Caroli V. (licet ad instantiam Ecclesiasticorum non parum nutantis) acceptum ferendum est, & Principum Electorum, præcipue

pue Ludouici Palatini, qui labem Constantiensem meliore fide eluendam censuerunt. Hinc illa vox Caroli Quinti Imperatore digna: *Fidem rerum promissarum, etiamsi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere oportere.*

Interea proscriptus Lutherus, iussu Friderici Electoris Saxoniæ, à quibusdam fidis Nobilibus interceptus, ad locum quendam solitarium secreto deductus fuit. Ibi cum aliquantum delituisset, Witebergam, inscio Electore, rediit, & varia scripta edidit, quibus passim tenebras Pontificias in apricum protulit. Id Carolus Quintus ægerrime ferens, Ordinibus Imperii Norimbergæ, anno 1523. mense Martio, denuo seuere iniunxit, vt edictum illud Wormatiense, communi consilio promulgatum, in futurum magno studio seruari curent. Idem seueriſſimum mandatum paulo post, nempe Idibus Iulii repetiit, datis ab Hispaniis ad Proceres Imperii literis, quibus ipsorum in non seruato Wormatiensi decreto siue incuriam, siue inconuenientiam grauiter incusauit. Verum cum Ferdinandus, Cæsaris legatus, anno 1526. in Comitiis Spiræ celebratis animaduerteret, Cæsaris voluntati, sine magnis motibus, in isto turbulento rerum statu, morem geri non posse, decretum illud Wormatiense sic attemperatum fuit, vt interea, donec Nationale vel Oecumenicum Concilium, instinctu Cæsaris, haberetur, ita sese gererent omnes in sua quisque prouincia, quo facti sui probabilem rationem Deo & Cæsari reddere possent. Quia vero querimo-

niæ à maleuolis passim spargebantur, sub hoc autonomiæ operculo, noua horrenda dogmata ab Euangelicis cudi, & receptum securum parari; aliud decretum factum est in Comitiis Spirésibus, anno 1529. cuius capita habentur apud Sleidanum lib. 6. quod tamen Principes quidam & ciuitates Sueuicæ, per oppositam protestationem contrariam, & interpositam appellationem ad Cæsarem melius informandum, ad Concilium legitimum, ad omnes denique Iudices minime suspectos, directam, impugnarunt, eo quod libertatem, superiori conuentu Euangelicis permissam, impediri dicereut. Hæc Protestatio Cæsari Carolo 12. die Sept. anno 1529. fuit exhibita Placentiæ, & Nomenclationi isti, qua Euangelici vocantur Protestantes, originem præbuit. Nam vt Thuanus scribit lib. 1. *Nomen hoc Protestantium ad omnes postea, qui eorum, quæ perperam in religionem inuecta sunt, emendationem amplecti se professi sunt, ob idque à Romana Ecclesia defecere, ab ea origine, dimanauit.* Huius dissidii in religionis negotio exorti componendi gratia, Carolus V. Imperator in Italiam profectus est, cum Clemente VII. Pontifice Bononiæ ea de re locutus. Dehinc, ne suo officio deesse videretur, Comitia Augustæ Vindelicorum habenda *indixit*, ad annum 1530. Eo frequenter conuenerunt Protestantes, & suæ doctrinæ Confessionem scripto comprehensam Cæsari exhibuerunt, vtque ea in publico consessu recitaretur, tandem impetrarunt.

Hæc

Hæc Confessio Augustana, authoribus Luthero & Melanchthone confecta, à Protestantibus constantissime retenta, & publice diuulgata, in omnem oram orbis Christiani sparsa, & velut vltima tuba Euangelii Christi, ante extremum ipsius aduentum emissa est. A Cæsare vero & Pontificiis Principibus non fuit admissa; sed Cæsar aliquoties Protestantes hortatus est, vt donec Concilium cogeretur, interim eandem, quam ipse, & alii quoque Principes, religionem sequerentur: Tandemque in illis Comitiis Augustanis vltimum finale decretum fecit, vt in iis, quæ pertinent ad fidem atque Dei cultum, nihil quicquam immutetur; qui contra fecerint, corporis atque vitæ seu bonorum discrimen subeant.

Exinde Lutherus, cum omnia bellum spirarent, edidit librum monitorium ad suos Germanos, in quo eos hortatus est, ne impio edicto obedirent, neve pro idolis & libidinibus Pontificiorum pugnarent. Dissoluto etiam conuentu Augustano, Protestantes Principes cum sociis fœdus ineunt Smalcaldiæ, vt essent tutiores, si forte propter Euangelii Professionem armis peterentur. Sed lapsu temporis, paulatim rigor istius decreti Augustani, remisit, cum enim Turca, immanissimus Christiani nominis hostis, Germaniæ immineret, authoribus potissimum Alberto Moguntino, & Ludouico Elector Palatino, pax religioni Protestantium cõcessa fuit, vsq; ad futurum Cõcilium; sancitũq;, ne interea liceret cuiquam ob religionem litem

mouere. Inita est hæc pax exoptata, inter Cæsarem & Protestantes, primum Sueinfurti; postea vero Norimbergæ in Comitiis, anno 1532. promulgata; magna omnium gratulatione: donec post multos annos, bellum Germanicum conflatum est, anno Christi 1546. quod Protestantium, Smalcaldicum, & Germanicum bellum dictum est. Illud bellum Germanicum, (inquit Thuanus histor. lib. 11.) mole maximum, confectu facilimum, euentu felicissimum, Cæsar cum Principibus fœderatis, & ciuitatibus Augustanæ Confessionis sociis, intra anni curriculum gessit. Fœderis Smalcaldici Duces fuerunt Ioh. Friderieus, Elector Saxoniæ, & Philippus Landgrauius Hassiæ, qui contra Cæsaris proscriptionem se armis defendentes; succubuerunt, an. Christi 1547. dissipata magna peditum & equitum in Saxonia ad oppidum Mulbergam, & Syluam Lochanam copia: vbi Saxoniæ Dux Ioh. Frider. captus, & Cæsari Carolo V. adductus in custodiam datus est. Witeberga voluntate & iussu Ducis Iohannis Friderici Electoris captiui Carolo Victori se dedit: Philippus Landgrauius Hassiæ Cæsari supplex factus Halæ Saxonum, præter opinionem in custodia detentus est: Saxoniæque Electoratus à Iohan. Friderico ablatus, & Mauritio Duci traditus solenniter: ciuitates & alii fœderis Smalcaldici socii multati, ingenti depensa vi auri, & argenti, tormentisque plurimis hinc inde à Cæsarianis conquisitis. Hunc exitum eo anno bellum Germanicum habuit: cuius historiam fusius complexi sunt Sleidanus & Thuanus.

Cum

Cum de Germaniæ libertate iam triumphare videretur Carolus V. Augustæ Vindelicorum Comitia celebrauit, sed armata; vt terrorem incuteret Ordinibus Imperii. Præcipuum eius postulatum fuit, vt Principes omnes Concilio Tridentino se submitterent. Iisdem in Comitiis, Cæsaris iussu, Protestantibus inuitis ac reluctantibus, scribitur liber de Religione, qui postea Interim dictus est, & Formula illa Religionis vsque ad Concilii finem seruanda publicatur, anno 1548. 15. Maii. Liber ille, (vt Thuanus l. 4. hist. vere narrat,) capita complectebatur receptæ hactenus Pontificiæ religioni prorsus consentientia, nisi quod Sacerdotum coniugium non penitus damnabat, nec carnis & sanguinis Christi sub vtraque specie communionem omnino reiiciebat, sed vtrumque tolerandum esse proponebat, donec de tota re ex Concilii sententia decerneretur. Quo factum est, vt is liber, quantumuis Cæsar grauissimis verbis id vetuisset, contrariis editis scriptis ab vtraq; parte impugnatus sit. Et quidem ex Ecclesiis reformatis nonnullæ prorsus Interreligionem istam repudiarunt: aliæ vero metu Cæsaris perculsæ humani aliquid passi sunt. Hinc bellum Adiaphoristicum inter Theologos natum ex deliberationibus, an & quomodo liber Interim recipiendus, vel repudiandus sit. Hoc fuit primum schisma post Lutheri mortem inter Theologos Evangelicos exortum, Matthia Flaccio, eiusq; sociis litem mouentibus Melanchthoni, & aliis, qui de Adiaphoris, i.e. cæremoniis ac ritibus

externis, ex præscripto Interimisticæ formulæ, admittendis aut recipiendis; minus acriter pugnauisse illis videbātur, Ioh. Fridericus Elector Saxoniæ captiuus, cum ei offerretur restitutio dignitatis amissæ, si assentiretur doctrinæ Interimisticæ, spreta conditione, suam religionem abiicere noluit: vt scribit Thuanus, hist. lib. 5. c. 8. f. 131. ob hanc constantissimam recusationem inter suos Constantis nomen ac laudem meruit.

Cęsaris quoque edicto de recipienda religionis formula, Magdeburgum, celebris Saxoniæ ciuitas, parere recusabat. Iccirco à Cæsare proscripta, eiusque iussu, a Mauritio Saxone, & Lazaro Suendio obsessa, obsidionem arctissimam fortiter pertulit anno vno, & mense vno. Tandem ex his difficultatibus Magdeburgenses anno 1551. emerserunt, & mense Nouembri celebre illud bellum feliciter confectum est. Historia integra petatur ex Sleidano, Thuano, & aliis libris editis.

Post pacem cum Magdeburgicis factam, vbi vidit Mauritius fidem de Hesso socero liberando datam non præstari, & religionis Evangelicæ, in Augustana Confessione comprehensæ, adeoque libertatis Germanicæ iugulum aperte peti: occasionem, quæ se offerebat, arripuit, & summam, quam Cæsar illi & Imperii ordines in Germanicas copias concesserant, potestatem in Cæsarem ipsum vertit: quem immortali cum nominis sui gloria, post longas disceptationes, permouit ad transactionem pacificam, Passaui anno 1552. tractatam, & à Cæsare obsignatā, qua

recel-

recessum cautũq; fuit, vt religionis causa pacata maneret, neq; ob eam in posterum cuiquam molestia crearetur: vt est apud Sleidanum li. 24. vbi conditiones huius transactionis Passauiensis memorat: & Thuanum lib. 10. Atque hæc est secunda pax religionis: & ita liber Interim, exacto quatuor annorum spatio exspirauit. Eodem hoc bello Concil. Trid. dissipatum est. Ioh. Fridericus Elector Saxoniæ ex captiuitate dimissus, die 19. Maii, antequam Cæsar Oenipontem profugeret: Landgrauius vero 4. Sept.

Cum vero in transactione illa Passauiensi inter cætera decretum esset, vt intra sextum mensem Cæsar ageret Imperii conuentus, ac tũ, qua potissimum ratione dissidium religionis cõponi debeat, deliberaretur: Comitiis quidem istis in annum 1555. dilatis, tandem tamẽ Augustæ Vindelicorum habitis, imperante adhuc glorioſissimo Cæsare Carolo V. & ipsius vices gerente Ferdinando fratre, Romanorũ Rege augustissimo, pax religionis inter Romano-Catholicos, & Augustanæ Confessionis socios, etsi in doctrina conueniri non posset, sancita est: nec non posteris temporibus, in omnibus fere Comitiis Imperii, religiosè confirmata, cum renunciatione omnium beneficiorum iuris, & constitutione pœnæ seueræ, violatoribus huius pacificationis certo infligendæ: sicut hac de pacificatione legi potest recessus Imperii, anno 1555. & qui compendio illam refert, Sleidanus li. 26. Pro quo insigni beneficio, & Palladio Germaniæ merito ingentes DEO gratias agimus, eumque deuote oramus, vt posthac pacem illam inuio-

latam, & contra tot machinamenta hominum irrequietorum firmam præstare velit.

Cæterum Carolus V. Imperator glorioſiſſimus, plura alia bella geſſit, de quibus dixi in hiſtoria noſtræ profanæ Medulla: maiora haud dubie feciſſet, niſi à Pontificiis odio religionis rebus matæ ardentibus, incitari ſeſe & armari aduerſus Euangelium profitentes paſſus eſſet, latiſque de religione leges nouas ſeuerius exequi cœpiſſet. Compertum eſt, victoriam de Iohanne Friderico Saxone omnis felicitatis illius finem ac quaſi terminum fuiſſe. Nec poſt oppugnationem Magdeburgicam vllum fortunæ proſperæ flatum expertus eſt. Quare à Mauritio Saxoniæ Electore ex Oeniponte Vrbe, in qua pro Concilio Tridentino excubabat, fugatus, tanquam exiturus è mundo, & Deo vacaturus, relicta Germania in Hiſpaniam nauigauit, anno Chriſti 1566. Imperii vero gubernationem omnem fratri Ferdinando, Romanorum Regi, anno 1558. commendauit, nec multo poſt in Monaſterio Ordinis S. Hieronymi ad S. Iodocum, inter pias preces placidiſſime exſpirauit, die 21. Sept. ætatis 59.

Ferdinandus Primus, Caroli Quinti frater, delatum ad ſe ab Ordinibus Imperium, Francofurti ad Mœnum plenarie ſuſcepit, anno reparatæ ſalutis 1558. die 18. Martii; ſed Pontifex Paulus Quartus, Ferdinandum, quoad vixit, pro Imperatore agnoſcere noluit, quod ſe inſcio Imperium accepiſſet, & pacem Lutheranis dediſſet.

Eo

Eo enim regnante, anno 1552. Passauiensis tractatio obtenta est, in qua Pax profitentibus Augustanam Confessionem concessa est. Hæc transactio (vt paulo ante dixi) Concilium Trid. dissipauit, pacem in religione constituit, captiuis Principibus libertatem reddidit, & libro Interim finem attulit. Hanc anno 1555. secutum est decretum pernobile, ne Principi, Comiti, aut ciuitati Imperiali vlli bellum inferatur, aut quocunque modo vis adhibeatur, aut noceatur, doctrinæ aut religionis causa. Quod anno 1559. Augustæ in conuentu Imperii renouatum & cõfirmatum est, cum exequiæ funeris Carolo V. factæ sunt. Sub hoc igitur Augustissimo Imperatore Ferdinando Germanania alta pace Passauica quieuit. In Gallia vidit intestinum bellum enasci, ob religionis mutationem, Guisio & Condæo Principibus grauissime inter se dissidentibus: vnde multæ cædes, vrbium vastationes, & alia incommoda nata sunt, præsertim Euangelicis. A Pio Quarto Pontifice integrum vsum cænæ Dominicæ pro suis impetrauit. Tandem tabe catarrhali consumtus obiit, anno 1564. ætatis 61. Imperii 7.

Ferdinando successit Maximilianus II. filius, Hungariæ & Bohemiæ Rex, pari pietate, moderatione, æquanimitate, fide atque humanitate, præditus Princeps: qui cum Religionem distractam & laceratam tot opinionibus ac sectis videret, ex animo quidem dolebat, sed æquum tamen sese his, qui Euangeli ũ profitebantur, præbebat, nec cursum eius vllo edicto duro retar-

dabat. Religionem enim Christianam armis propagari, aut inuitos ad eam cogi, dictis factisque improbauit. Vnde audita est eius præclara ad Olomucensem Antistitem Gulielmum vox hæc: *Nullum peccatum grauius esse, quã conscientiis vllo dominari.* Addidit etiam hoc; *qui in conscientias sibi Imperium sumunt, eos cœli arcem inuadere; nec non potestatem, quam in terris habent, amittere.* Itaque pacificationem Passauiensem non minori studio & cura, quam pater Ferdinandus adiuuit, tutatus est, & custodiuit: tum Austriacæ etiam Nobilitati Confessionis Augustanæ doctrinam anno 1568. permisit. In Belgio & Gallia motus vidit magnos, post introductam Hispanicam Inquisitionem, & Trident. Concilii executionẽ. His tamen turbis & persecutionibus sese implicari nunquam passus est. Tandem continuis doloribus, ex palpitatione cordis, aliisq; corporis infirmitatibus, Ratisbonæ, Principum Imperii agens conuentum, ipso die Maximiliani, inter pias & ardentes preces, firmaq; fide in Christum seruatorem, animam, vnde erat, beatus beatis reddidit, anno 1576. 12. Octobr.

Successorem Imperio reliquit Maximilianus, filium Rudolphum II. Ratisbonæ in *Comitiis* Imperatorem designatum, & antea Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorũ Regis titulo condecoratum: sub quo multa etiam memorabilia in Ecclesiasticis acciderunt. In Belgio enim motus ob religionem continuati sunt, ad Antuerpiam, & alia loca. Aquisgranı etiam, Coloniæq; ob libertatem religionis diu multumq; dimicatum est,

tandem

tandem submotus Gebhardus Trucsesius, qui religionis vtriusque libertatem iuxta pacificationem veterem subditis concesserat. In Gallia non minus periculosa bella gesta fuerunt, ob religionis dissidium. In Germania tranquillus sic satis fuit status sub optimo hoc Imperatore Rudolpho; nisi quod ob Calendarium Gregorianum anno Christi 1582. introductum, Augustæ Vindelicorum, & alibi tumultuatum est; itemq; in agro Colonienſi; & Argentinensi, vbi decedente è viuis Iohanne à Manderscheid, Episcopo, ob duos simul diuerso Canonicorũ calculo electos Præsules, bellum exortum est: Evangelicis Iohannem Georgium Brandenburgicum, Pontificiis Carolum Lotharingiæ Cardinalem, non sine magno totius prouinciæ damno, defendentibus: quibus malis tamen, bonitate, cõsilio, prudentia, virtuteq; Cæsaris obuiam itum est, & remedia allata. Sub hoc etiam Imperatore Rudolpho, circa annum Domini 1610. Halæ Suevicæ conuentum egerunt Principes Evangelici, in quo conuentu Vnio præcipuorum Electorum, Principum, Comitum, ciuitatumque Protestantium, firmata est. Male habuit ea Vnio Pontificios, nescio quid factiosum illi subesse suspicantes. Itaque ex parte Catholicorum, ab Ecclesiasticis & politicis personis quamplurimis, eodem anno conuentus Herbipoli celebratus est: & Ligæ vulgo dictæ fundamenta iacta. Cuius occasione bellum intestinum in Germania enatum esse videtur.

Posteaquam vero Imperator Rudolphus, felicis reminiscentiæ, anno 1612. die 10. Ianuarii, Pragæ in fata concessisset. Dei benignitate, ac concordi Principum Electorum suffragio, ad supremum Imperii fastigium euectus est, Serenissimus Hungariæ & Bohemiæ Rex Matthias: qui anno 1610. mense Martio, in Austria religionis exercitium quarto etiam seu plebeio statui permisit. Sub eodem Iubilæum Evangelicũ non solum in Saxonia, sed & aliis Protestantiũ, Reformatorumq; Regionibus, Prouinciis & ciuitatibus, magna solennitate celebratum fuit, anno 1617. sub initium Nouembr. Qua de re legatur Iubilæus Academicus, in Academia Heidelbergensi, & Argentinensi celebratus.

Viuo adhuc Cęsare Matthia, gubernacula regni Bohemici & Hungarici suscepit, Ferdinandus II. Archidux Austriæ, Ferdinandi I. Imp. nepos: anno 1617. Is statim atque prouincias suas Austriacas possidere cœperat, Evangelicos in Styria vehementissime persecutus est, & iuramentum præstitit, quo se religiose ad Evangelicos omni conamine exstirpãdos obstrinxit. Post susceptionem & coronationẽ Regni Bohemiæ, Sectæ Loiolitanæ instinctu, diuersis in locis regni istius & incorporatarum prouinciarum, Status Evangelicos per Vicarios suos ferro & flamma persequi aggressus est, eosq; rebellionis accusauit, templa Evangelicis clausit & solo æquauit, alios proscriptos, patria, aris, focisq; expulit: carceribus deniq;, vinculis, compedibus, aliisq; tormentorum generibus ad necem vsque macerauit.

Post:

Post mortem Imperatoris Matthiæ, Anno 1619. Francofurti à Sacri Imperii Electoribus in Regem Romanorum & Imperatorem electus & euectus est. Status interea Regni Bohemiæ, & Incorporatarum prouinciarum, repudiato Ferdinando, ad noui Regis Bohemiæ electionem processerunt: Et diuina sic moderante prouidentia, electio ad Fridericum V. Electorem Palatinum, potissimum deuoluta est: qui eodem etiam anno 1619. Pragæ coronatus, ad Regni Bohemiæ Diadema, Regiæque Maiestatis fastigium peruenit. Quam deplorandæ hinc seditionum, ac intestinorum motuum flammæ, quæ rapinæ, cædes, vastitates, Regnum non tantum Bohemiæ & Hungariæ, sed & Palatinatum, totamque adeo Germaniam, inundarint, ac extremis calamitatibus inuoluerint; notius est, quam vt longiori commemoratione refricandum videatur. Nemo est, qui non summo cum commiserationis affectu, velut oculis subiectam, spectet squalidam & afflictam charissimæ Patriæ nostræ faciem.

PONTIFICES ROMANI A LEONE X. vsque ad Vrbanum VIII.

LEO X. Florentinus, Ioannes Medices ante Papatum dictus, Iulio II. suffectus est, Anno Domini 1513. Inuitauit sua liberalitate viros doctos è Græcia profugos, & literarum instaurationem in Italia plurimum adiuuit. Doctissimis enim præceptoribus vsus, Angelo

præsertim Politiano, deinceps eruditos homines semper amauit. Euangelium vero Regni Dei, vt alter Caiphas, implacabili odio, in Luthero atque aliis prosecutus est. Nam cum alioqui ad omnem licentiam sponte sua ferretur, Laurentii Puccii Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, vt pecuniam ad immensos sumptus vndique corrogaret, missis per omnia Christiani orbis regna diplomatis, omnium delictorum expiationem ac vitam æternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisque pro peccati grauitate penderet; in eamque rem per prouincias quæstores & ærariа ordinauit, quibus additi præcones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiose compositis, propositisque palam libellis, rei efficaciam immoderate extollerent. Quod licentiose nimis à Pontificiis ministris passim, atque in Germania præcipue fiebat, vbi qui redimendam pecuniã Romæ à Pontifice conduxerant, per lustra & popinas quotidie sine pudore in aleæ lusum vsusque turpissimos potestatem extrahendi animas defunctorũ ex igne expiatorio profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus, electum illud Dei vas, Monachus tunc Augustinianus in Eremo, Wittembergæ in Academia Theologiam professus, qui Anno 1517. Themata quædam de pœnitentia & indulgentiis, turpissimis Romanensium quæstorum, nundinationibus opposita, pridieque pro foribus templi arcis publice ad discutien-

dum

dum proposita, ad Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum Albertum direxit, cum literis, quibus impostúras nefandas, quorundam Prædicatorum circa Indulgentias Leonis X. Pontificis Romani, Episcopali censura coherceri petebat. Hoc fuit primum classicum totius mutationis in religione, quæ postea secuta est. Nondum tamen Lutherus Indulgentias, vel Papatum, vel Papæ Regnum, (quippe magnus tunc, quod de se fatetur ipse, Pontificiæ Maiestatis Zelotes, & Ecclesiæ Romanæ Saulus, præ quo multi alii Papatus defensores glacies & frigus merum essent) improbabat: sed tantum opera pietatis & charitatis in infinitum esse Indulgentiis meliora statuebat; fraudesque Indulgentiariorum nimis crassas accusabat: præsertim cuiusdam Iohannis Tezelii, Dominicani Monachi, Pirnensis Misnii, Indulgentiarum præconis impudentissimi; qui, vt pecunias liberalius emungeret, publice prædicabat, vulgoque persuadebat:

1. *Eos, qui literas Indulgentiarum argento redimerent, de salute sua securos esse.*

2. *Animas statim, vt nummi in cistam conjecti tinnierint, de Purgatorio euolare in cœlum.*

3. *Tantas Indulgentiarum gratias esse, vt nullum esset adeo grande peccatum, etiamsi (per impossibile) quis matrem Dei violasset, quin solui posset.*

4. *Hominem per tales Indulgentias ab omni pœna & culpa absolui, liberumque esse.*

Rationes, quibus vsi sunt, tum Tezelius, tum plani Indulgentiarii, sunt compendiose,

pro-

pro more illius sæculi, certis rhythmis comprehensæ.

Hic des deuote, cœlestibus associo te,
Mentes ægrotæ per munera sunt tibi lotæ,
Ergo venitote gentes à sede remotæ,
Qui datis, estote certi de diuite dote,
Te, precor, accelera, spargas hic, dum potes, æra,
Et sic reuera secure cœlica spera.
O si tu scires, quantum data prosit ibi res,
Tu iuxta vires donares, quod dare quires,
Te miser à pœna, dum tempus habes, aliena,
Vt tibi sit pœna venia, sit aperta crumena,
Consors cœlestis fabricæ, qui porrigit, est is.
Ex hoc, sum testis, vos hic mundare potestis.
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde,
Nam pro mercede Christo dices, mihi crede,
Hic datur exponi paradisus venditioni,
Currant ergo boni rapientes culmina throni,
Vis retinere forum, mihi pendas pauca obulorum,
Pro summa quorum reserabitur aula polorum,
Hic si large des, in cœlo sit tua sedes:
Qui serit hic parce, parce comprendit in arce:
Cur tardas? tantum nummi mihi des aliquantum,
Pro solo nummo gaudebis in æthere summo.

Cæterum cum Moguntinus Cardinalis Albertus Lutherum cum suis Thematis, querelis & precibus contemneret, nec responso dignaretur, neque Impostores cohiberet: Monachi vero & Aduersarii alii in eum, quasi Apostatam, Ecclesiæque hostem, acerbis vndique chartis insur-

insurgerent, Pontificisque Leonis X. iram & fulmen in caput eius concitarent: Luthero non solum Themata sua defendendi ansa præbita, sed & de aliis abusibus & abominationibus Papatus paulatim cogitandi & dubitandi necessitas fuit imposita. Vnde sensim variæ de capitibus aliis, de Purgatorio, de Papæ potestate & Monarchia, de Missæ sacrificio, præsertimque de fundamentali articulo Iustificationis coram Deo per fidem absque operibus, exortæ sunt controuersiæ, tantoque feruore inter partes dissidentes, concionibus & scriptis coram vulgo agitatæ; vt inde quasi ex ferri siliciſq; collisione flammula veritatis elicita excussaque, plurimorum passim oculos irradiare, animosq; in spem magnam erigere inciperet.

Hæc lucis Euangelicæ scintilla, aduersariorum non voluntate quidem, sed importunitate, quin nec Lutheri consilio, sed magno DEI omnipotentis, Ecclesiam oppressam respecturi, miraculo, Lutheri Thematis atque Apologiis excussa, breui tempore in tantam sese flammam longe lateque diffudit, vt primum in plerisque Germaniæ prouinciis, mox & in vicinis Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Suetiæ, Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæque Regnis, per Lutheri parastatas, à Deo excitatos, Ecclesiarum ex verbo Dei repurgatio, Papisticæ Missæ & Idololatriæ abolitio institueretur: maxime cum sub idem temp° in Heluetia Huldricus Zvvinglius, & Iohannes Oecolampadius: paullo post in Allobrogibus, Farellus, Viretus, Caluinus,

nus, alii, Euangelii doctrinam è tenebris Papatus magno zelo atque successu eruerent, fortiterque prædicarent.

Cæterum Leo X. Pontifex, cum admiraretur pecuniam ex indulgentiis collectam, ferunt ad Cardinalem Bembum dixisse: *Bembe, quantum nobis profuit fabula de Christo.* Idem, cum Bembus aliquem locum ex Nouo Testamento ad eum consolandum adduceret, dixit: *Apage istas nugas de Christo.* Ecce sanctorum Pontificum Romanorum pietatẽ & religionem. Mortem oppetiit anno 1521. Calendis Decembris, ætatis suæ 47. Quamuis autem tertiana febri correptus fuisset, & simul fluxio capitis incidisset; tamen quod & firma corporis temperatura præditus esset, & aliæ nonnullæ coniecturæ occurrerent; multi suspicabantur, veneno sublatum esse.

Sexta post Leonis X. mortem hebdomada, quarto Idus Ianuarii, congregatis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de nouo Pontifice eligendo, Comitia admodum factiosa habebantur. Nam Iulius, è familia Medicea Florentinus, Leonis X. frater patruelis, & Alexander Farnesius Romanus, pro sua vterque parte, non sine ambitus crimine, callidis consiliis ad Pontificatum adspirare nitebantur. Sed dum magno feruore in Collegio Senatorum hæc ita agitantur: ecce Hadrianus VI. homo Batauus Traiectensis, valde humili loco natus, Academiæ Louanienſis Cancellarius, suffragatione factiosorum Cardinalium, & absens, & Romæ

parum

parum notus, præter omnium fere hominum exspectationem, Pontifex Maximus renunciatur. Fuerat is antea Caroli V. Præceptor, ad cuius auum Ferdinandum cum in Hispania legatione fungeretur, Episcopatum Dertubiensem est adeptus; ac deinde anno salutis humanæ 1517. à Leone X. in Collegium Cardinalium adscitus. Postea quoque Carolo V. in Germania absente, ob Imperii insignia accipienda, vna cum Conneſtablio & Amirante summæ rerum fuerat præfectus; ac prius de Pontificatu nuncios accepit, quam in Hispaniam Carolus reuerteretur. Pontifex designatus, multis Cardinalium, & totius Romanæ ciuitatis precibus rogatus, ex Hispania transmare Genuam, inde Liuornam applicuit; vbi eius aduentum præstolabatur Iulius Cardinalis Medices, aliique purpurati Senatores Hetrusci, & Florentinorum legati. Ille Cardinalibus subsequi iussis, secunda & prospera nauigatione, Anno 1522. sub exitum mensis Augusti, Romam venit. Postea corona accepta, cum se ad Rempub. capessendam instruxisset, mense Decembri ad status Imperii, Norimbergæ congregatos, ex Vrbe Roma legatum misit Franciscum Cheregatum, Episcopum Abrucienſem, cum literis prolixis, quas ibi offerret, & formula actionis, quomodo in Lutheri causa sese gereret. Quas vero Ordines Imperii, quamque graues querimonias tunc temporis habuerint, æquitate ipsa suadente, necessitate impellente, de oneribus & difficultatibus, quibus à Pontifice, eiusque

aula

aula Romana premerentur & implicarentur: ex Historia Sleidani notum est. Sedit Hadrianus Pontifex annum tantum I. menses VIII. Dies VI. non sine veneni suspicione è viuis sublatus Romæ ad Idus Septembris, Anno 1523. Constat enim, Italos huic Pontifici, tanquam peregrino, nunquam beneuolos fuisse; tum quod ipsis suspecta esset summa illius cum Cæsare & amicitia, & arcanorum consiliorum communicatio, cuius fortuna non omnes pari candore gaudebant: tum etiam, quia in vulgus fama manasset, ipsummet affirmasse, à se aliquando deprauatos dissolutæ aulæ Romanæ mores correctum iri, quæ veluti lacuna foret omnis impietatis, omnium scelerum atque flagitiorum, sine numinis diuini hominumve respectu. Accessit & tertia causa; quod nimirum in Comitiis Norimbergæ habitis, per suum legatum apud Status Imperii confessus sit, aulam Romanam probrosis vitiis scatere, eamque inde à multis annis Germaniæ aliisq; Christianis nationibus multiplicia damna importasse, pecunias emungendo, aliaque incommoda inferendo: se autem daturum operam pollicitus sit, vt ab his sordibus Romana aula repurgetur. Ex hisce atque aliis causis facile colligitur, eius Pontificium Imperium Romæ compluribus fuisse inuisum, ideoque consilia inita de ipso è viuis tollendo.

Vndeuigesimo die Septembris, Anni 1523. Iulius, ex familia Medicea Florentinus, Leonis X. patruelis, in demortui locum electus, Clemen-

mentis VII. nomen adeptus est. Capta & direpta Roma, Anno 1527. 980. postquam à Totila postremo vastata fuit, in mole Hadriani, siue Castello Angeli, vti nunc appellant à Cæsarianis, Duce Carolo Borbonio, 6 die Maii obsessus, & mense Decembri demum ex custodia dimissus est: quod contra fidem Cæsari datam cum Gallis & Venetis sese coniunxisset. Vide Epistolam Erasmi, lib. XXII. Epist. 25. 26. vbi ait: Pontificem Clementem inclementissime tractatum esse. Sub hoc etiam Pontifice in Anglia ingens facta est rerum mutatio, ob diuortium Regis Henrici, qui Catharina repudiata duxerat Annam Boleniam, quæ dicebatur Lutheranorum doctrinæ fauere. Cum itaque Anno 1534. die 23. Martii Clemens VII. Papa sententiam contra Regem Henricum tulisset; è contrario Rex paullo post, non sine grauissima Pontificis offensione, eiusmodi decretum in tota Anglia promulgauit, vt ipsum solummodo secundum Christum pro capite Ecclesię Anglicanæ agnoscerent; & sub mortis pœna istam potestatem Romano Pontifici ne assignarent: vt annuum tributum, quem Petri Nummum appellant, olim ab Ina Rege nimis religiosa adeoque superstitiosa quadam deuotione, anno à nato Christo 740. concessum, in posterum Pontificiis quæstoribus ne largirentur: vt denique omnis potestas, omnis dignitas, omnis obseruantia Romani Pontificis in Anglia penitus sit abrogata; & vero reditus illi, quas Annatas vulgo vocant, ac item decumæ præfecturarum

rarum Ecclesiasticarum, soli Regi dependantur. Ea ad hunc modum omnibus Regni Proceribus congregatis decidebantur, sub initium Novembr. Tum etiam librum Rex Henricus VIII. in lucem edebat, cuius erat Inscriptio: *De potestate Christianorum Regum in suis Ecclesiis, contra Pontificis tyrannidem & horribilem impietatem.* VII. Calend. Decembris Anni eiusdem, 1534. mortuus est Romæ Clemens VII. ætatis suæ 38. vel circiter. Constanti hominum opinione confirmatur, veneno extinctum esse: quemadmodum compluribus aliis ante eum Pontificibus sæpenumero acciderit. Anno sequenti 1535. Thomas Morus, eruditione præstantissimus, Regni Angliæ Cancellarius, Henrici VIII. iussu, ob improbatum eius diuortium, securi percussus est Londini, 2. Iulii. De quo lege Erasmi Epist. lib. 27. Epist. 8. 9. 10. 26. Iohannes quoque Fischerus, Episcopus Roffensis, Anglus, qui multis editis libris Lutherum impugnauit, post diuturnum carcerem, in quo à Pontifice Cardinalis creatus fuerat, iussu Henrici VIII. Regis, capite mulctatus est, 22. Iulii, (alii 17. Iunii) quod Catharinæ Reginæ repudium, & Annæ Boleniæ nuptias, Romanique Pontificis dignitatem abrogatam *probare* nollet.

In demortui Clementis VII. locum, vndecimo die Octobris, Anno 1534. electus est Alexander Farnesius Cardinalis, nobili Romana familia prognatus, ac Paulus III. nominatus. Is (inquit Thuanus Histor. lib I. cap. 16.) sobrie-

brietate, vultus grauitate, doctrina, ac postremo corpusculi adfectata imbecillitate, profundam ambitionem diu celauerat, quam mox adepta dignitate manifestam omnibus fecit. Euocato è Germania Petro Paulo Vergerio, quisnam ibi rerum status sit, explorauit; eoque explorato, cum suis Senatoribus consultauit, quid de Concilio generali statuendum esse videatur.

Eo tempore in Gallia quam sagacissime obseruabantur ii, qui Lutherani dicuntur, in deprehensos grauissima sæuitia adhibebatur, hanc præcipue ob caussam, quod Lutetiæ, & alibi, in ipso etiam Regis palatio, noctu literæ affixæ essent, quibus tum alia doctrinæ Pontificiæ capita, tum præcipue Missarum nundinatio exagitabatur. Habita Inquisitione, quidam ex indicio, quidam ex mera suspicione comprehensi, & in vincula coniecti, partim torturis, partim quæstionibus examinati, si vel paululum Lutheri sententiam redolerent, horribili supplicio viui concremati sunt.

Petrus Paulus Vergerius, Legatus Pontificius, in Germaniam ad omnes Imperii Ordines profectus, nunciabat, Pontificem de Concilio ipsis assensum esse, idque Mantuæ velle celebrare. Idem Pontifex Paulus III. Concilium Tridentinum inchoauit, Anno 1546. Legatos etiam misit in Germaniam, quibus mandata dedit de integro vsu Sacramenti Cœnæ Dominicæ permittendo, cum quibusdam

dam cibis lege Papali vetitis, pro personarum & locorum conditione concedendis omnibus, qui ab hæresi Lutherana ad Ecclesiam Romanam redire vellent. Ab eodem Pontifice Paulo III. Anno 1547. iussu Caroli V. Cæsaris proscriptus & loco motus est, Hermannus, Archiepiscopus Colonienſis, ex illustri Vedensium Comitum familia; qui iamdudum à Pontificia religione abhorrebat, & Concilium Cæsaris auspiciis celebratum repudiabat. Surrogatus ei est Adolphus, Comes Schavvenburgensis. Rursus igitur fiebat religionis immutatio in tota illa ditione, & quicquid vna cum Melanchthone Bucerus instituerat, abolebatur. Tandem Paulus III. Pontifex febre violenta correptus est, ex qua intra triduum decessit, Anno 1549. 4. Eid. Nouembreis, cum annum 82. ageret, & iam 15. annos, dies 19. sedem tenuisset. Mortuo plurima editis libris, & per Italiam sparsis vitio criminose data sunt: vt scribit Thuanus Hist. lib. VI. cap. 16.

Sub hoc Pontifice Paulo III. Iesuitarum Societas initium sumsit, & ab eodem approbata est, Anno Christi 1540. Sectæ huius author communiter constituitur Ignatius Loiola. Fuit is genere nobilis, patria Hispanus, affectione homo superbiæ, & corporis voluptatibus deditissimus, qui ex ephæbis egressus, non veritus est dicere, se manu sua dextra, qua gladium tenebat, vel inuitis Diis hostes suos omnes comminuturum. Natura ipsum fuisse ferocem, sæuum, durum, truculentum; ipsi fatentur Pontificii.

tificii. Quod fuerit miles, vanis iactatus in armis, testatur carmen, quod ipsius effigiei subiicitur. Qualis per totam fuerit vitam, propria ipsi conscientia dictauit, quæ, narrante vitæ Ignatii decantatore, ipsum adegit, vt semetipsum detestabilem dixerit, & professus fuerit, se indignum, qui honeste sepeliretur. Ferox igitur iste homo in obsidione arcis Pompeiopolitanæ dextro crure bombardæ ictu læso, sinistro etiam lapide de muro excusso grauiter vulnerato, vindictam diuinam sensit. Diuinitus vero pœna illa affectus, & iam ad negotia militaria politica cum grauitate perficienda ineptus, de alia cœpit cogitare vitæ ratione. Desperatio fecit Monachum. Primum temporis fallendi caussa lectioni profanorum librorum totum sese tradidit. At a nobilibus ridebatur iam claudicans, hostes ipsi insultabant: ad res politicas perficiendas ineptum se esse, ipse intelligebat. Legendas igitur Sanctorum singulari studio euoluere cœpit, vnde ipsum superstitiosa religio incessit. Cœpit agere vitam duram & rigidam, deuotionis singularis ergo Hierosolymam proficiscitur. Quia vero ad illam vitæ rationem, quam inire cogitabat, literarum cognitionem plurimum conducere intelligebat, primum in Hispania Compluti, & Salamanticæ literis incubuit: Post Lutetiam Parisiorum se contulit, vbi per decem annos in studiis versatus, decem nouæ suæ religionis socios sibi adsciuit. Exacto vero decennio, cum nouis suæ religionis sodalibus, anno CHRISTI

1536. in Hiſpaniam rediit. Anno vero 1537. Romam acceſſerunt, impetraruntque poteſtatem Hieroſolymæ loca peragrandi. Sed ob Turcicum bellum mutarunt conſilium, & inſtitutum ſuum ad docendas Eccleſias conuerterunt. Venetiis igitur ſeptem ex illis ſacris ſunt initiati, qui iſtis in locis prædicare cœperunt. Deinde anno 1538. Romam coniunctim ſe contulerunt, & de noui ordinis confirmatione ſollicitarunt. Narrat Haſenmullerus, multos eruditos viros ipſis reſtitiſſe, & iudicaſſe, innumeros Monachorum ordines potius vel partim abolendos, vel ad minimum reformandos, quam orbem nouo ordine aggrauandum eſſe: Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis ferre noluit, vt miles adeo impius & profanus nouum ordinem inchoaret, aperte contra eum ſcribens, ac decernens, priſtinam religionem potius in ordinem eſſe reuocandum, quam nouas religiones inſtituendas. Verum nihil ipſe obtinuit. Nam Ignatius de reliquorum clericorum negligentia conqueritur, de ſua diligentia & obedientia ampliſſimas promiſſiones facit, ſe cum ſociis ſuis Eccleſiam Romanam pro virili conſiliis & ſcriptis adiuturum iurat. Quare Anno 1540. intercedente Cardinali Cõtareno, à Paulo III. inſtitutum ipſorum eſt confirmatum, ſed hac cum conditione, ne plures, quam 60. viri Societati adſcriberentur. Verum animaduertens ipſe, vel ſolam hanc Societatem, ob maximam aſtutiam, labaſcenti Pontificiæ Eccleſiæ mederi poſſe, decreuit Ann. 1543.

ne

ne vllis vel locorum terminis, vel personarum numero, societas hæc circumscriberetur: idque confirmatum est à Iulio III. Paulo IV. ad Pontificatum euecto, societas hęc multum creuit, sub eoque ipse Ignatius, vigiliis & ieiuniis maceratus, cum LXV. ætatis annum ageret, post confirmatam Societatem XVI. decessit. Anno Christi 1565. Hæc Societas posteà in tantum creuit, vt Principibus ipsis formidolosa esse cœperit.

Cæterum post nouendinales preces, quæ nono post Pauli III. mortem die ceptæ sunt, itum est in conclaue, ad eligendum nouum pro more Pontificem. Tres omnino erant Cardinalium factiones, Cæsariana, Gallica, & Farnesiana. Tandem in Iohannem Mariam Montanum, Arretinum, Farnesianæ factionis, humili loco ortum, omnes consensere: qui Anno 1550. VI. Eid. Febr. tertio vacantis sedis mense iam pœne transacto, præter omnium exspectationem, Pontifex renunciatus est, & 8. Kal. Mart. ab Innocentio Cibo susceptis insignibus inauguratus, Iulius III. nominari voluit. Is (inquit Thuanus Histor. lib. VI.) soluti ad omnem licentiam animi homo, statim adepta dignitate, qualis esset, omnibus manifestum fecit. Nam cum antiquæ consuetudinis sit, vt nouus Pontifex galerum, cui velit, suum largiatur: eum iuueni cuidam, qui, quod in familia simiæ curam gereret, Simiæ etiam post adeptam dignitatem nomen retinuit, cognomine etiam suo atque insignibus attributis, donauit. Quærentibus

tibus vero Cardinalibus, quod indignum hominem ad tantum fastigium euexisset? non inurbane respondit: *Et vos, quid tandem in me meritorum comperistis, quem Christianæ Reipub. principem constitueretis?* Initio sui Pontificatus Iubilæum annum instituit. Ac ne quid deesset ad declarandum suum in Euangelicos odium, Cardinalem Reginaldum Polum in Angliam misit, qui ad exercendam aduersus Euangelicos sæuitiam author fuit. In delitiis habuit pauones, & cum aliquando in prandio pauonem asseruari vsque ad cœnam iussisset, nec in cœna eum reperisset, ira exarsit, & execrari ministrum cœpit. Admonitus autem à Cardinali assidente, ne propter rem tantillam tantopere commoueretur, respondit: *Si potuit Deus vsque adeo irasci propter vnum pomum, vt propterea ex Paradiso eiiceret primos parentes: cur non liceat mihi eius vicario succensere propter pauonem, qui pluris est multo quam pomum?* Reliquam vitam à negotiis vacuus cum amicis sui similibus, inter ludos, aleam, comœdias, & quæ talia comitari amant, sacro fastigio indigna oblectamenta, continuatis nocti diebus, transegit, & totum se voluptatibus mancipauit: ac tandem 9. Kalend. April. Anno 1555. intemperantia vitæ magis, quam senio effetus, fato concessit: cum per quinque annos, & sesqui mensem Pontificio munere esset functus.

Posteaquam Cardinales congregati, in electione noui Pontificis, vetusto more, quem Sleidanus libro XXI. exponit, per agenda dies ali-

aliquot consumsissent ; pluribus tandem suffragiis, Marcellus Ceruinus, Romanus Pontifex, nono mensis Aprilis die, Anno 1555. designatus est. Et quia nomen suum, vt alii solent, mutari nollet, Marcellus II. appellatus, insequenti die diadema suscepit. Is satis humili loco in Senensis Reipubl. oppido quodam ortus, & aliquando ludimoderatoris munere functus erat. Cumque Paulus III. nepotem suum Alexandrum Farnesium, vix dum XII. annos natum, in Collegium Cardinalium asciuisset, Marcellinum Ceruinum doctrinæ & morum formatorem ipsi adiunxit. Is postea, licet Episcopus Nicastrensis factus, nihilominus tamen in aula Romana permansit, & Paulo III. ab occultis consiliis fuit. Etenim cum Alexander Cardinalis Farnesius, ab auo Pontifice in Belgium ad Cæsarem, plane adhuc adolescens, missus esset : ille tanquam præcipuus consiliarius ipsi est adhibitus ; inque ea absentia Cardinalis S. Crucis Hierosolymitanæ appellatus.

Post etiam cum aliis duobus Cardinalibus, Theatino & Burgensi, primarius Inquisitor hæreseos creatus ; ac deinde cum Iohanne Maria Montano, & Reginaldo Polo Cardinalibus, Pontificia legatione in Concilio Tridentino functus est : atque ita tandem ad Pontificiam dignitatem peruenit. Sed perbreuis illa eius dignitas fuit : siquidem XXII. tantum dies istis honoribus potitus, Calendis Maii interiit. Nonnulli veneno extinctum aiunt ;

iunt; quod de aulæ Romanæ emendatione quædam protuliſſet. Id quod & Hadriano VI. eandem ob cauſam euenit.

Marcello itaque Pontifice paucis diebus ſua dignitate mortis interuentu priuato, Cardinales in conclaue reuerſi, ſuo quiſque loco, 23. Maii die, Iohannem Petrum Caraffam, Neapolitanum, antea Cardinalem Theatinum, natum iam annos LXXIX. in Pontificem elegerunt: atque is Pauli IV. nomen aſſumpſit. Hic Pontifex recuſauit confirmare Ferdinandum Imperatorem, Anno 1558. electum; propterea quod pacem Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis conceſſiſſet. Senio effetus, aqua intercute laborare cœpit, ex qua creſcente morbo, tandem deceſſit, Anno 1559. 15. Kalend. Septembr. ætatis ſuæ anno 84. Pontificatus vero IV. ſupra menſem ſecundum, & diem 24. Mortem eius ingens apud Romanos commotio, quod bellis & exactionibus variis eis moleſtus admodum fuerat, ſecuta eſt: quin immo dum animam adhuc ageret, furore quaſi correpti plurimi, cuſtodias aperuerunt, domum Inquiſitoriam incendio deformarunt, & in Capitolium irruptione facta, Pontificis ſtatuam confregerunt, caput eius trunco abſciſſum in Tiberim volutarunt, inſignia monumentaque Carafarum, ex quorum familia Pontifex iſte fuerat, omnia vndique deiecerunt, multaque alia licenter admodum & furioſe, quaſi memoriam eius funditus deleturi, patrarunt: vt ſcribit.

bit Thuanus Histor. lib. XXIII. cap. 42. fol. 645. Interim demortui Pauli IV. Pontificis cadauer in basilicam Vaticanam tenui pompa illatum est, & præter morem militari manu metu populi aliquandiu seruatum, ac latericio tandem tumulo ad tempus conditum. Demum septimo post mortem eius anno, Pius V. vt bene de se merito Pontifici gratiam referret, magnificum è nobili marmore monumentum in maiorum suorum sacello exstruendum curauit. Fuit vir ætate grauis, & insigniter doctus. Et est ille ipse, (inquit Sleidanus libr. XXVI.) qui nouam quandam sectam instituit eorum, qui Iesuitæ vocantur, & non in Italia modo, verum etiam in Germaniæ locis aliquot nidificarunt.

Sub initium insequentis anni 1560. Romæ à purpuratis Senatoribus, Iohannes Angelus Medices dictus, in Pontificem electus, Pii IV. nomine voluit appellari. In coronatione eius, cum solenni ritu nummi spargerentur, necati sunt in turba homines 18. supra 40. luxati & elisi. Mense Martio Cardinalem Caraffam in ipso carcere laqueo suffocari, eiusque fratri Friderico Duci Palliano caput palam detruncari iussit. Ferdinando Cæsari Imperium firmauit, quod Paulus IV. improbauerat. Archiepiscopo Salisburgensi potestatem dedit in Bauaria & Austria laicis vtramque speciem Eucharistiæ permittendi, certis tamen conditionibus. Concilii Tridentini, quod sub eo finitum est,

decreta, Anno 1564. 7. Kalend. Februar. obsignato publicatoque diplomate, confirmauit. Tum in Belgio author fuit mandati regii de inquisitione, quæ Hispanica appellatur, & Concilii Tridentini executionem, efflagitauit. Quæ res Henrico à Brederoda, & coniunctis Nobilibus Geusiis causam dedit, vt impetrandæ libertatis caussa in religione supplices literas exhiberent. Inde factum est, vt cum exercitu missus in Belgium Dux Albanus, lanienam horrendam in Euangelicos exercuerit, Egmondanum & Hornanum Comites capite truncarit, & vastitatem ingentem per omnem Brabantiam effecerit. Tandem Pius IV. Pontifex, manibus pedibusque articulari morbo debilitatis, ex hac mortali vita abiit, Anno 1565. 5. Id. Decemb. cum annos LXVI. exegisset, Pontificatum tenuisset, Annos V. menses XI. Dies XV. Corpus eius Basilicæ Vaticanæ illatum, & lateritio ad tempus solio conditum fuit. Eo Pontifice, inquit Thuanus Hist. lib. XXXVI. cap. 51. fol. 272.) Italiæ pax, Vrbi & prouinciis eius ditioni subditis quies, rerum ad vitam necessariarum copia, publica incommoda, vel pauca vel nulla fuere. Moribus variis, quamdiu priuatus, vel sub Pontificibus in prioribus magistratibus vixit, egregius fama vitaque habitus est. Mox creatus Pontifex, magistratu mores prodente, mutauit. Concilio Tridentino absoluto, cum omni metu ac sollicitudine solutus, ingenio suo libere vtens, in multa,

quæ

quæ non ita ab omnibus probabantur, prorupit: palam iracundus, occulte inuidus, ad audiendum impatiens ac difficilis, in responsis acerbus, dominandi cupidus, vafer, & summus dissimulandi artifex, cum tamen simplex & hebetior haberi vellet: natura timidus, promptus tamen ad occultandam audaciæ specie formidinem, parum beneficiorum memor, pecuniæ auidus, & ad eam vndique corradendam vel cum aliena iniuria attentus, in seruanda parum cautus, vt quo Pontifice ℍ$̄$, bis millies hausturn sit, quorum tamen maior pars in opera publica ac fabricas expensa est. In victu, cibi vinique profusus, & in voluptates pronus, quæ ei supremum diem acceleraſſe creduntur.

Ab hoc Pontifice Pio IV. Anno 1565. Sodalitium equitum San. Lazari Hierosolymitani, quod origine antiquissimum paullatim obsoleuerat, ac plane iacebat; excitatum, & multis amplissimisque priuilegiis, honoribus, immunitatibus, ad instar Orbis Christiani militiarum, ornatum ac donatum est: diplomate ea de re facto, 4. Non. Maias, quod postea Pius V, altero Pontificatus sui anno, constitutione 7. Kalend. Febr. & altera 3. Eid. VI. til. partim reuocauit, partim moderatus est. Huius initia repetit Thuanus Histor. lib. XXXVI. cap. 52. fol. 273.

Cum Pius IV. Romæ è vita migrasset, Cardinales post nouendiale sacrum in conclaue inclusi sunt, vt nouum Pontificem eligerent. E-

rant inter eos factiones. Tandem frequenti Cardinalium concursu, Cardinalis Alexandrinus, professione Dominicanus, 7. Eid. Ianuar. Anno 1566. in Pontificem electus, Pius V appellari voluit. Huius vitam ac mores descripsit Hieronymus Catena, & Thuanus Histor. lib. XXXVII. & XXXIX. Catechismum Romanum, Breuiarium, & Missale, ex decreto Concilii Tridentini edidit. Elisabetham, Anglorum Reginam, publico diplomate, 5. Kalen. Mart. Anno 1570. Romæ proscripsit ac tanquam sectariam, & sectariorum fautricem, omni regni iure priuauit, subditosque, qui ei iuramenti ratione obsequium debebant, à sacramenti religione soluit. Ab initio anni 1571. cum febre lenta tentatus esset, tamen morbum contempsit, & nihil de solita victus ratione mutauit, orationibus & negotiis attentus. Dein mense Martio cum renum dolores magis intenderent, & putridam vrinam egereret, ad familiare sibi remedium confugit, lacte asinino per aliquot dies sumpto, cuius copiosiore vsu cum ventriculus admodum debilitatus esset, in acutam febrem incidit, & abiecta negotiorum cura se ad mortem composuit: ac tandem, Kalend. Maii vltimum vitæ diem clausit, anno ætatis LXVIII. sacri Magistratus VII. haud obscura populi lætitia, qui licentiæ assuetus austeros morosi senis mores in occulto oderat, & intolerandam liberis hominibus in Inquisitionis munere exercendo seueritatem detestabatur.

Post-

Postquam Cardinales conclaue post nouendiales preces ingressi sunt, summo omnium consensu Pontifex renunciatus est Hugo Boncompagnus, Bononiensis, Iuris vtriusque doctrina clarus, qui Gregorius XIII. appellari voluit. Durantibus Comitiis Augustanis, quæ Rudolphus II. Imperator Anno 1582. celebrauit, Kalendarii emendationem publicauit, & exemplaria quædam misit Augustam. Recepta est emendatio ab iis Imperii Statibus tantum, qui Pontifici addicti sunt, Sed ne idem fieret in Germania, Augustus Saxoniæ Elector vehementer dissuasit: vt scribit Thuanus Hist. lib. LXXVI. fol. 519. Idem Pontifex Gregorius XIII. Anno 1583. Romæ Kalend. April. diploma publicauit, quo multa de potestate & pastorali cura sibi commissa præfatus, Gebhardum Trucsesium, Archiepiscopum Colonienſem, qui se Augustanæ Confessioni addictum palam professus erat, tanquam sectarium publicum, Ecclesiæque Romanæ perduellem, & à communione Christiana separatum, tanquam putridum membrum ab eius vnione amputauit, eique ius omne, quod in Colonienſi Archiepiscopatu obtinebat, ademit: Ernestum vero Bauariæ Ducem surrogauit, qui armis, non baculo diœcesin occupauit. IV. Eid. April. Anno 1585. Gregorius subita infirmitate correptus à prandio, antequam sacra Synaxi sumpta ad transitum se munire posset, decessit, anno ætatis 83. cum sedi præfuisset annos XIII. mensem I. in Basilica San. Petri, in sacello à se extructo,

magnifice sepultus. Mortuum laudauit Stephanus Tuccius, Iesuiticæ Societatis Sodalis, habita ad sacrum Collegium oratione in Vaticano, XV. Kal. Maias.

Post nouendiales preces, M. Antonius Muretus ad Patres habuit grauem orationem, qua eos hortatus est, vt eum Pontificem deligerent, in quo nec Pii V. pietatem, nec Gregorii XIII. cum pietate coniunctam prudentiam, orbis Christianus desideraret. Inde itum in conclaue ad eligendum nouum Pontificem. Quatuor tunc in sacro Collegio factiones erant: Farnesiana à Paulo III. Altempsiana à Pio IV. Alexandrina à Pio V. instituta; & vltima Gregoriana. Prævalente vero Alexandrina, Felix Perettus, 8. Kal. Maias, anno 1585. Pontifex renunciatus Sixti V. nomen sumpsit. Hic publico Senatus Cardinalium decreto, Henricum IV. Borbonium, Nauarræ Regem: alterumque Henricum Borbonium, Condæum Principem, publico diplomate proscripsit, 5. Id. Septembr. Anni huius 1585. eosque tanquam sectarios, & in errorem delapsos, sectariorum fautores ac defensores publicos, & manifestos, diuinæque Maiestatis reos, & fidei Catholicæ hostes, excommunicauit, & inhabiles ad successionem coronæ Gallicæ declarauit; ac omnia eorum regna, ditiones & bona, subditis, à iuramento obedientiæ absolutis, prædæ exposuit; & Galliæ Regi Henrico III. ac cæteris confœderatis executionem mandauit: vt scribit Thuanus Hist. lib. LXXXII. fol. 44. 45. Verum Henri-

cus,

cus III. à Guisianis exagitatus, cum Rege Nauarræ rediit in gratiam, anno 1589. & militem coegit: sed die 22. Iulii à Iacobo Clemente Senensi, Monacho ordinis prædicatorum, literas confictas sibi offerente, cultello oblongo & acuto in ventre inferiori vulneratus, sequenti die decessit: cum paulo ante hæredem ac successorem coronæ legitimum Henricum IV. Nauarræum Regem, sororium suum designasset. Monachus Regicida multis à satellitibus regiis vulneribus confossus trucidatus est. Sixtus V. pontifex Romanus, exhibitis 2. Septembr. lætitiis publicis, parricidium Henrici Regis laudauit, tanquam singulari Dei prouidētia factum, Monacho Iacobita in numerum Diuorum relato. Idem pontifex S. Bonauenturam in Ecclesiæ Catholicæ Doctores retulit. Postquam pontificatum annos V. menses 4. & dies 3. administrasset, Romæ 27. Augusti die, anno 1590. vitam cum morte commutauit, ætatis 70. tanto plebis odio, ob intolerabiles exactiones, & noua imposita tributa, vt vacante sede concursus ad euertendam statuam, ei viuo à S. P. Q. R. in Capitolio erectam factum sit: quod occasionem decreto dedit, quo sancitum est, vt si quis priuatus, aut in dignitate constitutus, de ponenda viuo pontifici statua mentionem deinceps faceret, in perpetuum infamis, & publicorum munerum expers esset. Famæ ad vanitatem vsque cupidus hic pontifex, plurima maioraque, quam quisq; decessorum suorum fecit: quæ breuiter commemorat Thuan. lib. hist. centesimo, f. 117. & seqq.

Mortuo Sixto V. & peractis nouendialibus precibus, itum in conclaue est, more solito: & cum per continuos sex dies crebra de M. Antonio Columna mentio fuisset, subortis repente difficultatibus, summa verborum concordia in Iohan. Baptistam Castanæum Cardinalem consenserunt, eumque Pontificem renunciarunt, 17. Kalend. Octobr. anno 1590. qui Vrbanus VII. dictus, statim XIII. pontificatus sui die annum 70. agens, vita functus est. Mortuum laudauit luculenta oratione Pompeius Hugonius. Eiusdem honestam facit mentionem Iac. Aug. Thuanus, hist. lib. 100. f. 122.

In successore deligendo magnus Comitiorum æstus fuit. Cùm igitur bimestre amplius patres in conclaui triuissent, & se mutuis impedimentis alter alterum excluderet: tandem de Nicolao Sfondrato, Cardinali Cremonensi, assensum est: factoque mox concursu, nonis Decembribus, anno 1590. cuncti ad eius pedes prouoluti eum pontificem renunciarunt: qui post inaugurationem Gregorius XIV. appellatus est, sub hoc post incredibilem annonæ in Italia penuriam, morbus inusitatus, & valde pernicioſus secutus est. Erat febris acutissima cum tussi, continuo fluxu & phreneſi coniuncta. Ferunt, in sola Vrbe Roma ea peste plus quam LX. hominum millia periisse. Inter eos autem & Pontifex, ipse Gregorius XIV. fuit: qui 22. Septemb. anno 1591. hoc morbo correptus, & 15. Octobris die extinctus est. Mortuum laudauit Vincentius Blasius Garsias Valentinus.

Thua-

Thuanus scribit, libr. histor. 102. fol. 195. fuisse eum credulo, simplici, ac facili ingenio, ex incepta rictum diducendi & renidendi consuetudine plane ridiculum: alioqui & pium, & liberalem, & abstinentem, qui cum nulla vnquam muliere consortium habuisse creditus sit. Vixit annos 57. sedit mensibus 10. diebus 10. quo tempore quinquies decies cētena millia aureorum, magna parsimonia & auiditate à Sixto V. congesta, absumpsit: maiorem partem in belli Gallici sumptus. Sedes post eius mortem vacauit 16. dies.

Nouendialibus precibus exactis, altero, postquam in conclaue itum est, die, Ioan. Antonius Facchinetus Cardinalis, Bononia natus, magno omnium consensu, pontifex renuntiatus est, 4. Kalend. Novembr. anno 1591. & Innocent. IX. dici voluit. Verum honos iste diuturnus ei minime fuit. Die enim 23. Decem. in grauissimam itidem febrim incidit, quæ virum corpore gracilem, & ieiuniis effetum, intra octiduum confecit. Obiit 4. Kalend. Ianuar. anno 1591. cum 72. annos vixisset, sedemque menses duos tenuisset. Fuit in victu sobrius, & tantum semel in die cibum sumebat sub vesperam, grauis in moribus ac sermonibus, in colloquio nihilominus comis, & adeuntibus affabilis: meditabatur & scribebat multa: lucubrationes etiam suas quasdam publico dare constituerat, corpore procero & macilento cum esset, purioris aeris aspiratione, & subdialibus deambulationibus gaudebat: de cætero ad corrigendam imbecillitatem, (nam

inferio-

inferioris corporis partes fere in eo frigebant) in lecto decumbebat, cum studiis operam dabat, aut adeuntibus ob negotia copiam sui faciebat; adeo vt Clinicus vulgo vocaretur: Cum iuri operam in adolescentia dedisset, totum se negotiis tractandis postea applicuit, ob idque lectione eorum, qui politica scripserunt, præcipue oblectabatur: vt scribit Thuanus, hist. lib. 102. fol. 196. Post eius mortem interregnum mensem 1. & diem 1. fuit.

Exeunte Ianuario, anni 1592. in locum defuncti Innocentii IX. à Cardinalibus Hippolytus Aldobrandinus, Patricius Florentinus, in Pontificem Romanum electus est, qui Clementis VIII. nomen sibi sumpsit.

Hic Pontificiis in Gallia persuasit, vt relicto Henrico IV. Nauarræ Rege, alium eligerent, qui Romano-Catholicæ fidei cultor verus esset. Ideo quidam designarunt Henricum Guisium. Sed Nauarro Galliæ Rex, querimoniis & pollicitationibus Gallorum victus, religionem Reformatam, quam hactenꝰ coluerat, deseruit, & Pontificiæ sese iterum adiunxit, anno 1593. audito Missæ sacrificio in vrbe Sandionysiana 25. Iulii. Itaque absolutionem à fulmine excommunicationis, per Ludouicum Gonzagam, Niuerniæ Ducem, petitam, tandem missis Romam legatis suis, à Clemente VIII. Pontifice, anno 1595. die 17. Septembr. obtinuit, & in gremiũ Romanæ Ecclesiæ receptus est. Ad cuius rei memoriam postmodum anno 1596. 3. Maii, Romæ columna marmorea ad ędem S. Antonii erecta

ctæst. Creauit hic pontifex supra 30. Cardinales, & inter hos Robertum Bellarminum, Hetruscum politianum, Iesuiticæ societatis sectatorem, Marcelli II. pontificis sororis filium, Archiepiscopum Capuæ: Romanæ sedis vnicum Atlantem, fortissimum omnipotentiæ pontificiæ pugilem, & summum Indulgentiarum patronum. Cum annos 13. pontificatum administrasset Clemens VIII. graui catarrho obrutus, 5. non. Martii, anno 1605. decessit.

Clemente mortuo, post nouendiale sacrum peractum, itum est in conclaue, prid. Id. Mart. & LX. Cardinales in eo numerati sunt. Antequam conclaue ingrederentur, Hispanienses veriti,, ne Cæsar Baronius Cardinalis, Nobilis Ecclesiasticorum Annalium scriptor, in pontificem eligeretur, contra ipsum querimoniam de Siciliæ Monarchia instituerunt: vt scribit Thuanus, histor. lib. 134. fol. 1174. 1175. atque ita eum à principis dignitatis prensatione excluserunt. Roberto Bellarmino à factione Aldobrandina proposito, Montaltana factio æmulatione aduersabatur. Tum repositus Baronius, in cuius reiectione toto conclaui ab Auila & Ascanio Columna Hispanien sibus laboratum est. Media Hispanienſi opposita in æstu Comitiorum creuit Francica, cuius priuceps erat Franciscas à Iousa, vir mitis ingenii, & felicis in negotiis tractandis prudentiæ, qui inter Aldobrandinos & Montaltanos arbitrium sibi sumpserat, & vtri parti accessisset, superiorem reddebat. Itaq; cum neutra alteri cedere vellet, ita res inter eos,

Fran-

Franciſco à Iouſa arbitro, compoſita, vt de quo inter eos conueniſſet, modo Francis probaretur, in eum concordibus votis vniuerſi ſentirent. Franci Baronium, vt Hiſpanienſes Antonium Saulium Genuenſem, ad Pontificatum promouebant: verum Baronius ipſe ſibi obſtare videbatur, dum nolle præſefert, & ſe longi æui proſapia prognatum paſſim prenſantibus iactitat: quod in electionibus maxime penſitatur. Nam nihil magis in votis habent populus in vrbe, & Cardinales in conclaui; quam vt breuis æui Pontifex creetur, dum hi ad illud faſtigium aſpirant, & crebra mutatione in ſpem eius adipiſcendi eriguntur: populus autem, qui ædium direptionibus gaudet, cum aliquis è Collegio per Vrbem plerunque falſo Pontifex renuntiatur, id quotidie euenire exoptat. Inter has contentiones, cum Baronius ab Hiſpanienſibus excluderetur, Iouſa Alexandrum Medicem, Cardinalem Florentinum, Octauiani filium, ex Illuſtriſſima Mediceorum familia prognatum, Leonique X & Clementi VIII. conſanguinitatis vinculo quam proxime coniunctum, proposuit, eumq; continuo in cellà ſua adiit, & ipſum Pontificem renunciauit, continuoq; eductum in ſellà collocauit, & cæteris ad adorationem præiuit; quem Aldobrandinus & cæteri magno concurſu ſecuti ſunt: ſolo Auilio renitente, & fruſtra obteſtante: quippe qui multa contra illam electionem, vt vitio factam, ſe habere diceret. Itaque Alexander Kal. Aprilibus Pontificatus honore dignatus, Leonis XI. nomen ſibi aſſumpſit.

sumpsit. Sed quam sint omnia huius mundi fluxa, caduca, & momentanea: vel in hoc pontifice videre est. Nam cum Dominicæ resurrectionis die coronam sumpsisset, postridie, qui B. Leoni sacer est, ad S. Ioannis Basilicam solemni pompa profectus est; vbi cæremoniarum inauguratio-nis fit confirmatio: inde cum fatigatione itineris, & pondere vestimētorum sacrorum prægranatus, cum febricula in Vaticanum rediisset, ingraueſcente morbo, post 25. Pontificatus diem, anno 1605. assumptus est, cum vixisset 70. annos. Subito igitur quæ fuerat Romæ lætitia, in mœrorem versa est, & casus hic Cardinalibus non solum, sed & toti ciuitati luctum maximum induxit.

Erat autem apud multos suspicio, venenum ei propinatum & exhibitum ab inuidis quibusdam fuisse: verum cum præsentibus Medicis corpus aperiretur, naturali eum, non violenta veneni morte extinctum fuisse, deprehensum est Delatum autem est funus illud in Pontificis Sixti Sacellum, cumque per noctem ibi asseruatum fuisset, postero die, comitante multa Cardinalium, aliorumq; Ecclesiasticorum frequentia, ad ædem S. Petri deportatum fuit: vbi facto exequiarum initio, accedendi & oscula pedibus imprimendi copia singulis per deuotionem id expetentibus data est.

Post nouendiale sacrum, rursus in conclaui se patres incluserunt, & eodem æstu resorbente, post irrita de Saulio, Bellarmino, Mariano, Petr. Benedicto Camerte, Cardinalibus, vota: cū Domini-

minicus Toſcus Regienſis Cardinalis ab Aldobrandino proponeretur, & in eum Hiſpanienſes conſentirent, ille è cella ſua in S. Sixti Sacellum ad adorationem eleuatus eſt: verum Baronio contradicente, & alta voce, ſe vltimum ad adorationem deſcenſurum, clamitãte; mira mutatio ſecuta eſt; pleriſque Baronium confuſo clamore depoſcentibus, quem ad Paulinum Sacellum ſtiterunt, ad adorationem itidem pergentes. Sciſſo per factiones Collegio, componendi diſſidii non alia expeditior via viſa, quam ſi Aldobrandini & Montaltani, vt nuper fecerant, Francicæ factioni arbitrium deferrent. Igitur Cardinali à Ioulſa Camillus Borgeſius Cardinalis, ex familia Senenſium oriundus, ab Aldobrãdino propoſitus eſt, de quo cum ſe ille deliberaturum cum Montaltanis recepiſſet, vt ſciſſuræ finis imponeretur, Alexandro Montalto auctor fuit, vt in eum conſentiret: quo impetrato, res confecta eſt, & ipſe cum Aldobrandino ad adorationem profectus, ſequaces idoneo numero habuit. Toſcus in illo tumultu hoc tantum lucratus eſt, vt mentione ipſius facta ad rei famam cella ſua in conclaui, in vrbe ædes direptæ ſint. Sub veſperam igitur, 17. Kalen. Iun. anno 1605. Borgeſius Cardinalis, ætatis 53. in Paulino Sacello in Pontificem Romanum electus eſt, & Pauli V. nomen ſumpſit.

Inter hunc Pontificem, & Venetorum Remp. anno 1606. grauiſſimum exortum fuit diſſidiũ, quod non ſolum Italiam, ſed omnis Chriſtiani orbis prouincias, etiam longe poſitas, non mediocri-

diocriter turbauit: cuius repetita origine narrationem continua serie ad exitum accurate pertexuit Iac. Aug. Thuanus hist. lib. 137 Pontifex cum videret, res suas, suorumque clericorum per leges illas à Rep. Veneta, (I. De non transferendis bonis Laicorum ad Ecclesiasticos. II. De non erigendis de nouo Ecclesiis & Monasteriis, aliisque huiusmodi ædificiis absque licentia Serenissimi Ducis, &c. III. De iudicandis & puniendis Clericis pro criminibus grauibus & atrocibus,) nuperrime latas non parum posse diminui, nulla non execrationum genera in eandem coniecit; nec veritus etiam illos ipsos, qui pro dilectissimis à suis antecessoribus hucusque habiti sunt, omnis prorsus paterni amoris oblitus ex Romana Ecclesia penitus excludere, nisi scilicet leges illas absque mora aboleuerint, ipsiusque mandatis obedientiam illico præstiterint. Veneti vero, quæ tam illam, & non sine impetu expostulatam obedientiam, quantum in ipsis fuit, omnino & expresse recusarunt, suæque illius recusationis causas publicis aliquot scriptis tum Politicorum, tum Ecclesiasticorum satis superq; declararunt.

Tandem à verborum iactatione, & scriptorum hinc inde publicatione res exacerbatæ in eo erant, vt vtrinque ad arma deueniretur.

In Gallia, anno 1608. mense Nouembri, Bartholomæus Borgesius, quod se Pauli huius V. Pontificis Romani filium constanter profiteretur, iussu Pa[illegible]æ Lutetiæ in crucem actus, deinde flammis fuit consumptus.

Anno

Anno 1621. Paulo V. Pontifice Maximo 28. Ian. cum sedisset annos 15. menses 10. & dies 13. vixisset vero annos 78. apoplexia mortuo, & celebratis ei nouem dierum exequiis, Cardinales 52. numero conclaue ingressi, post peractum Sp S. sacrum, & iuramentum præstitum, de nouo eligendo Pontifice consultationem fecerũt: cumque Ludouicus de Bononia, annos 68. natus, propositus à Borgesio Cardinale, & ab omnibus propter ætatem, moresque, & insignem eruditionem suam, approbatus fuisset, vnanimi Cardinalium omnium consensu Papa factus, & Gregorius dictus fuit. Sedit is annos 2. menses 7. Cum febri correptus per dies aliquot decubuisset, anno 1623. exasperante eam podagra, 8. Iulii fatis concessit, annum ætatis 78. agens. Corpus eius sarcophago plumbeo impositum omnium oculis integro triduo in æde S. Petri patuit. Huic Pontifici Greg. XV. Maximilianus Dux Bauariæ Bibliothecam Heidelbergensem, quæ per totam Europam vix parem habebat, trans Alpes vsque dono misit, & irreparabile decus non tantum Palatinatui, sed & toti Germaniæ ereptum in montem Vaticanum relegauit.

Peractis 19. Iulii exequiis, Cardinales 56. conclaue ingressi, cõsultationum de nouo Pontifice eligendo initium fecerunt. Die 7. Augusti Mapheus Barbarinus, Cardinalis Florentinus, annum ætatis 54. agens, quinquaginta & vno votis electus Pontifex, Vrbanus VIII. dictus fuit: quo nomine triumphales in Castello S. Angeli, & alibi passim in vrbe ignes accensi fuerunt.

runt. Hic posteaquam in primo consistorio suo, oratione eleganti gratias Cardinalibus 26. Septemb. pro electione sua egisset, eosque, ne festum aliquod ob electionem suam celebrarent, hortatus prolixe admodum fuisset, delatus sequenti die in S. Petri templum, cum 23. Cardinalium, & multorum Ecclesiasticorum procerũ comitatu, ibique adhibitis vsitatis ritibus coronatus fuit: sex coronatorum millibus interpopulum post acceptam benedictionem distributis.

THEOLOGI PRÆCIPVI ECclesiæ Evangelicæ.

CVm ante mille sexcentos, & triginta duos annos in lucem edi debebat Christus, Iohannem Baptistam, Domino viam vt præpararet, præambulonem Deus misit: pari ratione cũ idem Christus Seruator renasciturus quasi esset, varia prius adminicula subministrari Deus voluit, quam Religionis aggrederetur reformationem. Inter quæ iure optimo nominantur artes liberales, & disciplinarum linguarumque assidua exercitia, tanquam instrumenta ad futuram instaurationem necessaria: Academiç item, & particulares, quas vocant, Scholæ, quæ laudabili consilio, & præclaro ad imitationem exemplo protinus fundatæ fuerunt atque conseruatæ: artis præterea typographicæ, antea prorsus ignotæ, adinuentio; quibus profecto mediis

mediis illud effectum, vt D. Lutheri libri, in varias & amplissimas disseminati nationes, plurimorum in manus peruenirent, passimque euolu erentur. Sed nec sacrarum literarum translatio hic prætereunda, qua verus quidem Testamentum, in originali lingua Hebræa per Franciscũ Ximenium, eumque Toletanum Cardinalem, 1515. anno: Nouum vero mox in sequenti, optatam lucem conspexerit. Qui libri multorum aperuere oculos, & studia mirifice excitarunt, vt ad diligentiam cognoscendæ cœlestis veritatis inflammati, quantum à Scripturæ puritate Papa discesserit, facile deprehenderent.

Cum vero olim mundi reformationem Christus moliretur, eam ad rem non Pharisæos & Scribas, auctoritate plurimum pollentes, aduocauit; sed coram mundo contemptos, abiectosque discipulos, potissimam partem piscatores, duodecim delegit. Ante centum & quindecim annos, reformationis nouæ opus aggressurus Christus, non purpuratum aliquem præsulem, neque nominis fama florentissimos adhibuit Cardinales, sed Martinum Lutherum, Monachum Augustinianum; Philippum Melanchthonem, Græcæ Linguæ in Academia Wittebergensi professorem; & duos infimi subsellii sacrificulos, Huldricum Zvvinglium, & Ioannem Oecolampadium suscitauit.

Porro, quemadmodum ab Apostolorum tempore, præstantissimos quosque viros continua prope serie excitauit Deus, Ignatium, Iustinum, Polycarpum, Iustinum Martyrem, Clementem Alexan-

Alexandrinum, Athenagoram, Origenem, Cyprianum, Tertullianum, Athanasium, Epiphanium, Hilarium, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum: quorum opera cœpta ab illis reformationis tela feliciter pertexta: ita clarissimis illis in Theologia luminibus, Luthero, Philippo Melanchthoni, Zvvinglio, Oecolampadio, alios doctrina pietateque conspicuos viros adiunxit, qui lampada sibi traditam acceptantes, Papatus tetris erroribus detectis, Biblicis scriptis clarius intelligentiæ intulere lumen.

In Heluetia quis nescit prodiisse, qui partim voce, partim calamo, nauiter Ecclesiæ operam impenderint? Quos inter æternam reportarunt laudem, Henricus Bullingerus, Rudolphus Gualtherus, Osvvaldus Myconius, Conradus Pellicanus, Bertholdus Hallerus, Caspar Megander, Leo Iudæ, Benedictus Aretius, Iohannes Wolffius, Ludouicus Lauaterus, Iosias Simlerus, Bibliander, Gulielmus Stuckius, & alii.

In Germania Superiore maxima certe virorũ egregiorum copia exstitit, vti fuere: Ambrosius Blaurerus, Iohannes Zvvickius, Martinus Bucerus, Iohannes Brentius, Matthias Cellius, Wolfgangus Capito, Caspar Hedio, Andreas Osiander Halæ Sueuorum; Erhardus Snepffius, Iacobus Andreæ, & Martinus Frechthius Tubingæ: Ambrosius Moibanus, & Iohannes Hessus Vratislauiæ: Conradus Somius Vlmę: Wolfgangus Musculus Augustæ: Franciscus Lambertus, Andreas Hyperius, Iohannes Pincier,

Dionysius Melander, in Hassia: Andreas Bodenstein, Carolostadius, Cruciger, parens & filius, Georgius Maior, Iohannes Bugenhagius, Paulus Eberus, Iohannes Forsterus, Iohannes Auenarius, Henricus Mollerus, Fridericus Widebramus, Christophorus Pezelius, Vrbanus Pierius, Dauid Rungius, Ægidius Hunnius, Nicolaus Selneccerus, Wittebergæ & Lipsiæ: Paulus Fagius, Petrus Boquinus, Zacharias Vrsinus, Caspar Olevianus, Georgius Sohnius, Daniel Tossanus, Iacobus Kimedoncius, Dauid Parę, Bartholomæus Pitiscus, Abrahamus Scultetus, Heidelbergæ in Academia Archi-Palatina: Iohannes Piscator, Herbornæ Nassouiorum.

In Liuonia, Andreas Cnophius: in Borussia, Paulus Speratus, Iohannes Polyander, Iohannes Brismannus: In Saxonia inferiore, Vrbanus Regius, Hermannus Brunus, Albertus Hardenbergius, Martinus Chemnitius, Melchior Mirici, Nicolaus Amsdorffius, Matthias Flacius Illyricus: Dauid Chytræus, Rostochii. In Frisia, Micronius, Menso Altingus, Sibrandus Lubbertus, & alii.

Quem vero non singulari voluptate delectet summorum recordatio virorum, Wilhelmi Farelli, Petri Vireti, Iohannis Caluini, Augustini Marlorati, Theodori Bezæ, Antonii Sadeelis, Philippi Mornæi Plessæi, aliorum, qui in Galliis qua docendo, qua scribendo, Papæ maximum attulere damnum?

Nec defuit Deus gratia sua Hispaniæ, quæ quos doctrinæ Evangelicæ habuit Professores, eosdem

eosdem glorioſiſſimos vidit martyres, Franciſcũ Dryandrum, Diazium, fratrem Conſtantinum, Caroli V. Imp. Confeſſionarium, Antoniũ Corranum. Iam ipſa Italia longe præſtantiſſimos Theologos, Petrum Martyrem, Hieronymum Zanchium, & Immanuelem Tremellium maximo Eccleſiarum Germanicarum commodo nobis tranſmiſit.

Tum etiam in Scotia præclare nauatæ operæ ampliſſimos reliquere fructus, Ioannes Knoxus, Robertus Rollocus, Andreas Melvinus, Iohannes Ionſtonus.

At in Anglia Deus velut in Theatro quodam doctos viros præbuit conſpiciendos, qui Evangelicam doctrinam contra Romani Antichriſti præſtigias fortiter defenderunt, vt fuere: Tho. Crammerus, Archiepiſc. Cantuarienſis, Hugo Latimerus, Ioannes Hopperus, Nicolaus Ridlæus, Ioannes Rogerius, Hugo Tilpotus, Ioannes Iuellus, Gulielmus Wittakerus, Iohannes Rainoldus, Gulielmus Perkinſus, Gulielmus Fulco, Matthias Sutliuius, & quos commemorare longum, infiniti alii.

Daniæ Regnum Evangelii præcones habuit clariſſimos, Palladium, Hemmingium, Macabæum.

Sed & Hungari glorianture de Michael Starino, qui multas in ea particulares Eccleſias reformauit, iiſq; verbi miniſtros præfecit, quibus quæ concionum fructuoſe inſtituendarum ratio, quæ item ſacramentorum tuenda adminiſtratio, ſua ipſe manu præſcripſit. Iactnt ſe iidem

Stephano Szegedino, Paulo Thurio, Caſpare Caroli, Petro Melio, Valentino Hellopeo, Matthæo Scaricæo, Thomæ Fabricio Tholnenſi, & pluribus aliis.

Ac ne plures in medium producam, Polonicę certe Eccleſiæ non ſine grata commemoratione hodieq; commemorant, tum Generoſum illum virum Ioannē à Laskavv, Comites à Gorkavv, & Dominos Oſolinios, qui doctrinæ Evangelicæ vel ornamento, vel præſidio fuerunt: tum egregios Theologos, Eraſmum Gliznerū, Georgium Iſrael, Ioannem Laurentium, Balthaſarem Euchnerum, Ioannem Turnouium, alios, qui doctrinam Evangelicam fructuoſe populo tradiderunt.

THEOLOGI PRÆCIPVI ROMANÆ Papiſticæ ſynagogæ.

IAm inde à tempore Reformationis Eccleſiarum, rem regnumq; Pontificum, ſummo conatu, acerrimo deſiderio, nō vulgari aut mediocri doctrina defenderunt, Iohannes Eckius, Ioannes Roffenſis Epiſcopus, alias Fiſcherus, Thomas Caietanus, Thomas Morus, Iohannes Faber, Iohannes Cochlæus, Ambroſius Catharinus, Albertus Pighius, qui omnes ſcripſerunt aduerſus Lutherum. Ii vero potiſſimum munus ſuum ornarūt, & reliquos fere omnes longo poſt ſe interuallo reliquerunt, qui in hac cauſa ſtudioſiſſime iam annos aliquot verſati ſunt, recentes Monachi, ſubtiles Theologi, diſputatores vehementes, ac pertimeſcendi, quos noua ac præteritis ſeculis inaudita ſocietas Ieſu, ad Eccleſiæ

clesiæ Religionisq; Christianæ calamitatem edidit. Cum n. post illam atram, mortiferã, funestã papisticæ superstitionis, & Antichristianismi diuturnam noctem, lux Euangelii clarissima atq; iucundissima, nonnullas orbis Christiani partes radiis suis illustrasset, atq; ad intuendam, admirandam, retinendam hoïes conuertisset, ac incredibili delectatione permouisset, repẽte exorti sunt ii, qui hãc sibi ingratã, suisq; rebus inimicam atq; inutilem lucem fumis pestiferis obscurarẽt, eiusq; nobis, si possent, adspectũ eriperent. Reliqui Monachi, ex instituto & more tẽporum superiorũ, otiosi fere atq; inertes, nec tẽpus in lectione & studio optimarũ scientiarum, sed in horis quibusdã, quæ nihil aut eruditionis, aut religionis habent, ad clepsydram repetẽdis, consumebant: Iesuitæ vero longe aliud consilium sequuti, ex illa vmbra pigritiæ, inertiæq; pristinæ, in qua cæteri monachi consenescere solebãt ad labores capessendos, artes tractandas, pro cõmuni statu subeundã perferendamq; cõtentionem, prodierunt. Intellectum n. est, nec omnino amplius stare rem Romanã posse, q̃ passim a viris maximo ingenio ac doctrina præditis periculosissime concussa, labare in multis partibus, atq; inclinari cępisset, nisi à doctis, iisdemq; nauis industriisq; hominibus defensa atq; sustẽtata. Nã vt domus ruinosa, nisi adminiculis firmis atq; recentibus indies fere fulta fuerit, repente tota corruit, & cõquassatur: sic Rom. Synag nutanti, ruinãq; minitãti, & misere labefactatę, atq; dissolutæ, nouis quotidie opus esse sustẽtaculis.

ac compagibus animaduerterunt, sine quibus nullam posset aut dignitatem, aut statum, tam vehementer oppugnata atq; impulsa, retinere. In quo tamen nunquam poterunt sic imminentem sibi calamitatem depellere, seq; ab interitu liberare, quin, quemadmodum ædes conuulso fundamento, parietibus perfossis, disiectis lacunaribus, nulla parte incolumes, quantumuis multas fulcrorum machinas adhibeas, stare tamen diu nequeunt: sic illa ruinarum plena Ecclesia, in qua non tectum, non columnæ, non fundamentum saluum remanet, nulla integritas, nulla firmitas ineſt, præceps tandem cum pernicie multorum collisa concidat.

Hos inter Iesuitas magnum & celebre nomen obtinuerunt: Petrus Canisius, Gregor. de Valentia, Robertus Bellarminus, Pontificius in Collegio Romano, Thomas Stapletonus, Regius in Schola Duacena controuersiarum Professor, Iacobus Gordonus Huntlæus, Scotus: Iacobus Gretserus, Martinus Becanus, Nicol. Serarius, Iohannes Maldonatus, Franciscus Suarez, Adamus Contzen, Maximilianus Sandæus, aliique infiniti.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET PERSONARUM in Historia Ecclesiastica memorabilium.

A.

Aaron, frater Mosis	pag. 55.59
Abdias Propheta	103
Abel protomartyr	6
Abia Rex	86
Abiathar	82
Abimelechus	65
Abrahamus	16.19
Absolon, filius Dauidis	80
Achabi impietas	107
Achas	93.94
Achitophel	80
Adam primus Patriarcha	4
Eius & uxoris lapsus	5
pœna utriusque ob lapsum	5.6
Adamiani, hæretici	179
Adeodatus, Papa	242
Adolphus Nassouius, Imp.	304
Adonias	81
Ægidius Romanus, Thomista	351
Ægyptum fames infestat	47
Ælius Hadrianus, Imp.	159

Agapetus I. 207
Agatho, Papa 242
Agnes, nobile Scortum, Papissa 264. & seq.
Ahasias rex per cancellos decidit 108
Alanus, Doctor Vniuersalis 353
Albertus Austriacus, Imp. 305. 306
Albertus II. Austriacus, Imp. 310
Albertus Magnus 349. 350
Alcimus, summus sacerdos 128
Alcoranus 248
Alexander, Aristobuli II. filius 137. 138
Alexander Alensis, irrefragabilis Doctor 347
Alexander Iamneus, Iudaeorum rex 135. 136
Alexander, Syriae rex 133
Alexander I. Episc. Rom. 164
Alexander II. Papa 281
Alexander III. Papa 317. 318
Alexander IV. Papa 322
Alexander V. Papa 343
Alexander VI. Papa 341
castam habet filiam ibid
Alexander Magnus 126
Alexander Seuerus, Imp. 161
Alexandra regina 136
Amaleckitae 57
Amasias, Ioae filius 91. 92
Ambrosius, Mediolanensis Episc. 221
Ammon 80
Amon 97
Amorhaeorum 5. reges caduntur, suspenduntur 61
Amos Thecuites Propheta 116
Amrius 107

Ana-

Anacletus Secundus, Papa 315
Anarchia in Israele 69
Anastasius Dicorus, Imp. 197
Anastasius, Papa 200
Anastasius Secundus, Nestorianus, Papa 204
Anastasius Quartus, Papa 316
Andreas, frater Simonis Petri, Apostolus 149
Anicetus, Syrus, Episc. Rom. 165
Anshelmus, Episc. Cantuariensis 343.372.373
Antherus, Episc. Rom. 167
Antigonus, procurator Iudæa 139
Antiochus Epiphanes 128.132
Antipater, Herodis pater 136
Antipater Idumæus, Antipæ filius 138
Antisynodus Romæ habetur 299
Antoninus Heliogabalus, Imp. 161
Antoninus Pius Imp. 160
Antonius Andreas, Epitomator Scoti 352
Apellitæ, hæretici 182
Apologus de ranis & ciconia 173
Apostolorum electio 147
Apostolorum nomenclatura & historia 147. *& seqq.*
Apotactitæ, hæretici 182
Aquisgranensis Synodus 296.297.300
Arabia desertum 57
Arabicorum hæresis 183
Arcadius, Orientis Imp. 195
Archelaus Iudææ præses 142
Archonticorum hæresis 229.230
Aristobulus II. rex & pontifex Iudæorum 137.138
Arius, pestilentissimus hæreticus 226
Arianum virus Orientem & Occidẽtem infecit 227

Aristobulus, Alexandri occisi filius, pontifex 227
Aristobulus, Iudæorum rex 135
Arnobius, Rhetor. 173
Arnulphus Imp. Phthiriasi extinguitur 260
Arphaxad 14
Artaxerxes Longimanus 130
Artemius Anastasius, Imp. 238.239
Artotyritæ, hæretici 181
Asmonæi, siue Machabæi, Iudæorum summi Pōtifices. 129
Asphaltites, siue mare mortuum 18
Assa, rex Iudæ 86.87
Athalia 88 91
Athanasius insignis Ecclesiæ doctor 210. & seq.
in exilium pellitur 112.213
eius insigne dictum ibid.
Attila, Hunnorum rex, vastator 203
Augustinus, Ecclesiæ doctor 223.224
Augustus Cæsar 154
Aurelianus, Imp. 162

B.

Baal idolum 109
Baalitæ interficiuntur 109.114
Baasa 106
Babylonica captiuitas 100.104.118
Babylonica turris 13
Bachis 133
Balthasar Babyloniorum rex 122
Bambergensis Episcopatus fundator 261
Barachus 63
Bartholomæus Apostolus 151
Basiliense Concilium 380.381

Basili-

Basilides, hæreticus 174
Basilius Magnus, Cæsareæ Episc. 216.217. *eius memorabile dictum, ibid. moritur* 218
Beelzebub, Deus Palæstinorum 108
Beda venerabilis, presbyter 246
Bellarminus historiã Agnetis Papissã negat 265. *sed multitudine testiũ pontificiorum conuincitur* 265
Bellum ob Archiepiscopatum Moguntinum 310
Bellum Hussiticum 310.363. *& seqq.*
Bellum sacrum contra Sarracenos 304
Benedictus I. Papa 208
Benedictus II. 243
Benedictus III. Papa 266
Benedictus IV. Papa 270
Benedictus V. Papa 273
Benedictus VI. Papa 274
Benedictus VII. Papa 275
Benedictus VIII. Papa 278
Benedictus IX. Papa 278.279.280
Benedictus XI. Papa 327
Benedictus XII. Papa, 329. huius epitaphium *ibid.*
Benedictus XIII. Papa 332.334
Benhadad rex Syriæ 106.110.111
Beniaminitarum cædes 71
Berengarius, Andegauensis Archidiaconus 284. 291. *ad Palinodiam cogitur* 285.293
Berylli impia opinio refutata 188
Bernhardus, Abbas Clarevallensis 282
eius pulchrum dictum de coniugio 283
Bombardarum inuentio 332
Bonauentura, Doctor Seraphicus 351
Bonifacius I. Papa 201

Bonifacius II. papa
Bonifacius III. papa 201
Vniuersalis Episcopus declaratur à Phoca 206
Bonifacius IV. papa ibid.
Bonifacius V. papa 241
Bonifacius VI. papa 241
Bonifacius VII. papa 269
Bonifacius VIII. Papa 274.275
huius fastus 325
Philippum Galliæ Regem excommunicat ibid.
qui tamen non curat hoc fulmen 326
Bonifacius IX. Papa ibid.
Bonnensis Synodus 332
Bracarensis Synodus 299
Britanni ad fidem Christianam conuertuntur 255
Buddam hæreticum diabolus strangulat 165
Bardesanes, hæreticus 186.
181

C.

CAietanus Luthero minatur.
Cainitæ, hæretici 383
Cainus fratricida 179
Caius Cæsar Caligula 6
Caius, Dalmata, Episc. Rom. 154
Calebus 168
Calcedonensis Synodus IV. Vniuersalis 57
Cæcilianus, Episc. Carthaginensis 236
Cælestinus I. Italus, Papa 228.
Cælestinus II. papa 201.202
Cælestinus III. papa 316
Cælestinus V. papa 320
325

Caelestinus IV. papa 321
Callistus, Episc. Rom. 166
Calixtus II papa 315
Callistus III. papa. 318
Cambyses impius & sceleratus 129
Capua Concilium habetur 375
Caracalla Imp. 161
Cardinalium pileus ruber 322
Carolus M. primus Germanorum Imp. 257
Saxones ad Christianum adducit 257
Desiderium Longobard. regem capit 257
literarum & literatorum fautor 258
Carolus Caluus, Imp. 259
Carolus III. cognomento Crassus, Imp. 259
Carolus IV. Imp. 308
Carolus V. Imp. 382. *& seq.*
Carpocrates, haereticus 175
Cataphryges, haeretici 181
Cendebaus, Dux Antiochi Sedetis 134
Cerdo, haereticus 177
Cerinthus, haereticus 158
Chamus, impius Noami filius 12. 13
Chanaanis Encomium 19. 20
Chodorlahamor rex Elamitarum 17
Christianorum expeditio in Turcos 303
Christophorus I. papa 270
Chrysostomus, Episc. Constantinopolitanus 222
reprehendit imperatricem 223
Chusanius rex 61
Circumcisio quando instituta 17
Claudius Iulianus Apostata, Imp. 192. 193
Clemens Alexandrinus 171

Clemens, Episc. Rom. 164
Clemens II. Papa 279
Clemens III. Papa 313
Clemens III. Papa, suadet bellum Saracenicum, pag. 319
Clemens IV. Papa 323
Clemens V. Papa 327
Clemens VI. Papa 329.330
Clemens VII. Papa 332
Cleopatra regina 136.139
Cletus, Episcopus Romanus 156
Colarbasus, hareticus 178
Coloniensis Synodus 298
Coluthianorum haresis 227
Commodus, Imp. 160
Concilia, siue Synodi 187.233.250
Concilium Ancyranum 190
Concilia in variis prouinciis 188
Concilium sub Calixto II. 375
Concilium Carthaginense 190
Concilium Neocæsariense 191
Conon, Papa 243
Conradus II. Imp. 261
Constans, Imp. 261
Constans, filius Constantini, Monothelita, Imper. 238
Constantinop. Concilium sub Constantino Pogonato. 255
sub Constantino Copronymo 256
Constantinopolitana I. Synodus, & Vniuersalis II. 235

Con-

Constantinopolitana Synodus tertia 236
Constantinopoli celebratur V. Vniuersalis Synodus. 236
Constantinopolitana Synodus VI. Oecumenica, pag. 238.
Constantinopolitana Synodus 298
Constantinopolitanæ Synodi duæ 297
Constantinopolim Mahometus expugnat 310.337
Constantinopolitana VI. Synodus Vniuersalis, pag. 254.
Constantinus M. Imp. Christianus 191
Constantinus iunior, Imp. 192
Constantinus Chlorus, Imp. 162
Constantinus Pogonatus, Imp. 238
Constantinus Primus, Papa, cui Iustinianus II. Imp. pedes osculatus est 244
Constantinus II. Papa 238
Constantinus, Leonis filius, Imp. 239
Constantiense Concilium 379
Constantinus iunior, Heraclii filius, Imper. pag. 238.
Conradus Tertius, Imp. 303
Conradus Saliquus, Imp. 260
Conuentus Patrum 400. 235
Cornelius, Episc. Rom. 167
Creatio mundi qualis. 2. & seqq.
Crescentius, Consul Romanus 276.277
Cyprianus, Carthaginensis Episc. 172
Cyrillus, Episc. Alexandrinus 224
Cyrillus Monachus nouum Euangelium cudit, pag. 347

Cyrus rex Persarum 123.124.129

D.

Daniel propheta 120.121.122.123
Darius Medus rex 122.123
Darius, Hydaspis filius 130
Dauid, filius Isai 75. & seq.
Debora 63
Decalogi promulgatio stupenda 58
Decius, imperator 161
Decretorum Papalium volumen 294,295
Demetrius, Syriæ rex 133
Desiderius Longobardorum rex 257
Dietherus Archiep. Mogunt. 310
Didymus Alexandrinus 215
Diluuium vniuersale 10
Dinæ stuprum infertur 27
Diocletianus, Imp. 162
Dionysius Areopagita 169
Dionysius, Episc. Rom. 167.168
Domitius Nero 155
Donatus, hæreticus 228.229
Donatistæ, hæretici 227
Donus II. Papa 274
Ducum Iudaicorum, è stirpe Dauidis, catalogus. 131
Durandus de S. Porciano, Episc. 275

E.

EBion hæreticus 158
Ecclesia Dei quid sit 3
Veteris Testamenti ibid.
Noui Testamenti 143
Ecclesiæ Christianæ prima & secunda ætas qualis. 159
Ecclesiæ ætas tertia qualis? 191
Ecclesiæ ætas 4. qualis? 237
Ecclesiæ ætas 5. 257
Eglon Moabitarum rex 62
Ehudius 62
Elcesaitarum hæresis 183
Eleazar, Oniæ filius, summus sacerdos 127
Elias propheta 108
Elias Thesbites Propheta 114
Eliasibus, summus sacerdos 125
Elisæus Propheta 115
Ella 106
Eleutherius, Episc. Rom. 165
Britannorum regem baptizat ibid.
Enos, patriarcha 8
Enochus patriarcha 8
eius pietas ibid.
eiusdem translatio in cælum 9
Ephesina Synodus, tertia vniuersalis 235.236
Ephesina secunda Synodus 236
Epiphanes, hæreticus 175
Epiphanius, Salaminæ Episc. 221

Episco-

Episcopi Romani 156.164.
Episcopi Romani primis seculis quales fuerint, pag. 164.
Erphurdiensis conuentus 368
Erfurdiensis synodus 299
Esaias Propheta 101
serra dissecatur ibid.
Esauus, filius Isaaci 20
Esdras restaurat cultum Dei 130.131
Essæorum origo 135
Euaristus, Episc. Rom. 164
Eugenius II. Papa 263
Eugenius III. Papa 316
Eugenius IV. Papa 335.336
Eusebius, Episc. Cæsarea in Palestina 173
Eusebius, Episc. Rom. 169
Eutyches, hæreticus 233
Eutychianus, Episc. Rom. 168
Exarchatus initium 198
Ezechias rex Iudæ 94
Ezechiel Propheta 119.120

F.

Fabianus, Episc. Rom. 167
Fœlix, Episc. Rom. 168
Felix II. Papa 200
Felix III. Papa 204
Felix IV. Papa 206
Felix V. Papa 336
Ferrariense Concilium 380.381

Fla-

Flauius Domitianus, Imp. 155
Flauius Vespasianus, Imp. 155
Florianorum haresis 182
Formosus, Portuensis Episc. Papa 268.269
Francofurtensis Synodus contra imagines disputat. 296
Fratrum Bohemicorum confessio orthodoxa, pag. 366
Fridericus Primus, Elector Palat. tres Principes capit. 310
Fridericus Primus, cognomine Barbarossa, Imper. 303
Fridericus II. Imp.
huius distichon de interitu Roma 305 ibid.
Fridericus Tertius, Archidux Austria, Imperator. 310
Fridericus Brunsuiga Dux, Imp. 225
Fulgentius, Episc. Ruspensis 225

G.

Gabaitarum atrox facinus 70
Gabinius 138
Gabriel Biel, Theologus Tubingensis 357
Gallienus, Imp. 162
Gedeon assertor libertatis Iudaica 64
victoria eiusdem mirabilis 64.65
Gelasius I. Papa 204
Gelasius II. Papa 315
Gensericus Vandolorum tyrannus 203
Gnostici, haretici 178

Golia-

Goliathus gigas 75
Gothofredus Bullionæus. 301.302
Græcorum ac Latinorum dissidium 296
Gratianus Imp. 194
Gratianus, monachus Bononiensis 344
Gregorius M. Papa 208.209
sub hoc deperijt doctrinæ puritas 210
Gregorius II. Papa 244
acerrimus imaginum defensor ibid.
cum Francis contra Imperatores fœdus init. ibidem.
Gregorius III. Papa 244
Gregorius IV. Papa 263
Gregorius V. Papa 276.277
Gregorius VI. Papa, insignis magus 279
Gregorius Septimus, Hildebrandus dictus, Papa. pag. 312
Bennonis de vita eius testimonium 313
Gregorius VIII. Papa 315
Gregorius IX. Papa 320.321
Gregorius X. Papa 323
Gregorius XI. Papa 331
Gregorius XII Papa 332
Gregorius Ariminensis 355
Gregorius Nazianzenus 219.220
Gregorius Nyssenus, Episc. 218
Gregorius Thaumaturgus, Episcop. Neocæsariensis. 171.172
Gualterus, Episc. Pictauiensis 348
Guelphorum & Gibellinorum factiones 321
Gulielmus Antisiodorensis Episc. 348

Gulielmus de S. Amore 348
Gulielmus Occamus 353
Gulielmus Parisiensis Episc 348
Guitmundus Berengarij doctrinam impugnat. pag. 343

H

Habacuc propheta 103
Hadrianus I. papa 246
Hadrianus II. papa 266.267
Hadrianus III. papa 268
Hadrianus IV. papa 316.317
Hadrianus V papa 324
Hagar 18
Haggaus propheta 130
Haretici 156.174.226.247
Haymo, Abbas Hirsfeldensis 282
Haman 119
Hazael Syriæ rex 91.92
Heber 14
Hebræi vnde dicti? 15
Helipontifex 21
Henricus Gandauensis, Doctor solennis 351
Heracleon, hæreticus 177
Heraclius, Imp. 237
Herudfordiana Synodus 252
Hermogeniani 182
Henricus Auceps, Imp. 261
Henricus II. Bauariæ dux, Imp. 261
Henricus III. cognomento Niger 262
Henric. IV. à filio in carcerem coniectus moritur 374

Hex-

Henricus IV. Imp. 301.302
Henricus V. Imp. 302
Henricus VI. Imp. 304
Henricus Septimus, Lucelburgensis, Imperator. pag. 305
Herodes Aggrippa 142.143
Herodes Antipas tetrarcha Galilea & Perea pag. 142
Herodes Magnus, à Romanis Iudæorum rex creatur. 140
Herodes uxorem interficit, & Bethlehemiticos infantes 141
moritur ibid.
eius filij ibid. & 142
Hierichus urbs mirabiliter capitur 60
Hierosolymitani templi deflagratio prima. pag. 100
Hierosolymitani templi reædificatio 124
Hierosolyma fame expugnatur 134
Hierosolymitana urbis & templi excisio ultima. 143. 155
Hieronymus Stridonensis 222
Hieronymus Pragensis 360.361.362.363
Hieronymus Sauonorola, Dominicanus 366.367
Higinus Atheniensis, Episc. Rom. 165
Hilarius, Papa 203
Hilarius, Pictauorum Episc. 214
Hippona à Genserico Vandalo obsessa 224
Hircanus Secundus 136.137.140
Hispalensis Synodus 250
Historia Ecclesiastica quid sit 1

eius partes *ibid.*
Honorius, Occidentis Imp. 195.196
Honorius I. Papa 241
Honorius II. Papa 281.315
Honorius III. Papa 320
Honorius IV. Papa 320
Hormisda, Papa 205
habuit filium Siluerium *ibid.*
Hoseas vltimus, rex Israelis 113
Hugo de S. Victore, Carthusianus 344
Humbertus, Cardinalis 293
Hymenaus, hareticus 157

I.

Iabinus, flagellum Iudæorum 63
Iacobus, Patriarcqa 21.24.25.26
Iacobi calamitates 27.28
Iacobi migratio in Ægyptum 29.47.50
Iacobi obitus 37
eius testamentum & vaticinia 30. *& sepultura* 38.51
Iacobus Minor, Alphæi filius, Apostolus 149
Iacobus, Zebedæi filius, cognomine Maior, Apostolus. 149
Iaddus, summus sacerdos 126
Iahela 63
Iairus 65.66
Iaphetiposteri discedunt à vero Dei cultu 13
Iared 8
Idumæi 103

Idumæi profligantur 91
Iehu rex Israelis 90
Iehu gesta 109
mors 110
Ieroboamus II. Ioæ filius, rex 111
Iason, Simonis alter filius, summus sacerdos 128
Iechonias 99
Iephte Amonitas vincit 66
filiam immolat ibid.
Ephraimitas cædit 67
moritur ibid.
Ieremias propheta 104.105
Ieroboamus 85.86
Iesus Christus, verus Messias, θεάνθρωπος 144. & seqq.
Iethro, socer Mosis 55.58
Iezabel malefica mulier 107.109
Ignatius, Antiochenæ ecclesiæ episc. 169
Ignis adoratio 13
Imperatores Romani ab Augusto ad Traianum 154. & seq.
à Traiano ad Constantinum M. 159. & seq.
à Phoca ad Carolum M. 237. & seq.
à Carolo M. ad Henric. IV. 257
Innocentius I. papa 200
Innocentius II. papa 315
Innocentius III. papa 320
Innocentius IV. papa 321
Innocentius V. papa 323
Innocentius VI papa 330
Innocentius VII. papa 332

Inno-

Innocentius VIII. papa 341
eius epitaphium ibid.
Ioabus belli dux 81
Ioachazus 98
Ioachimus 98.99
Ioachimus, Abbas Florentinus 345
Ioachas, filius Iehu, rex Israelis 110
Ioas, nepos Iehu, rex Israelis 91.110
Ioel Prophera 101
Ioh. Baptista, prodromus Christi 143.144
Iohannes, Euangelista & Apostolus 150.151
Iohannes I. papa 205
Iohannes II. papa 206
Iohannes III. papa 208
Iohannes IV. papa 241
Iohannes V. papa, scripsit libellum de pallij dignitate. 243
Iohannes VI. papa 248
Iohannes VII. papa. ibid. VIII. 264
Iohannes VIII. cognomine Anglus, patria Moguntinus, meretrix, Papissa 264.265.266
Iohannes IX. papa 297
Iohannes X. papa 270
Iohannes XI. & XII. papa 271.272
Iohannes XIII. Marozia meretricis nepos, Papa. pag. 273
Sceleratissimus nebulo est ibid.
Iohannes XIV. papa 274
eius tyrannis ibid.
Iohannes XV. papa 275
Iohannes XVI. papa ibid.

Iohannes XVII papa 275
Iohannes XVIII.papa 276.277
Iohannes XIX. papa, adiutore diabolo, cathedram Rom.occupat 277
Iohannes XX.papa, artibus Satanicis sellam papatus conscendit 278
Iohannes XXI.papa 278.324
Iohannes XXII.papa 327.328
Iohannes XXIII.papa 333
Iohannes Capistranus, Franciscanus 356
Iohannes Capreolus 355
Iohannes Damascenus 246
Iohannes Gerson 355.356
Iohannes Hircanus, Iudæorum Dux & pontifex. 134
Iohannes Hussus 309.360.361.364.379
Iohannes de Lapide, Carthusianus 357
Iohannes Scotus, Doctor subtilis 201.351.352
Iohannes Valdo 347.348
Iohannes VViclefus, Anglia Theologus pag.331. 359
Ioiada 90.91
Ionas Gathites propheta 117
Ionathan, Iudæorum pontifex 74.126
Ionathas Apphus 133.134
Ioramus rex 89.109
Iosaphat rex Iuda 87.& seq.107
Iosephi historia 38.39.40.& seq.
Iosephus, filius Iacobi 28
Iosias 97

Iosua, filius Iosodachi, primus Iudæorum pontifex. 125
Iosua Dux Israelis fortissimus 57.59,60.61
Iothamus 93
Iouianus, Imp. 193
Irenæus, Presbyter, deinde Episc. Lugdunensis. pag. 170
Irene, imperatrix 239
Isaaci natiuitas 20
eiusdem circumcisio ibid.
uxor & filij ibid.
eius immolatio 18.19
Isaacus commoratur apud Abimelechum. pag. 22
dissimulat uxorem suam 22.23
renunciatur ei hospitium 24
reconciliatur ibid.
Isidorus, Hispalensis Episc. 246
Ismael 18
Israelitarum ingressus in Chananæam 60
Israelitarum exitus ex Ægypto 56.57
Israelitæ 52
eorum seruitus in Ægypto 53
Israelitici populi status sub iudicibus 61
Israelitici status diuersa consideratio 73
Italiæ Synodus sub Bonif. IV. 250
Italicum Concilium sub Damaso, Episc. Rom. pag. 235
Iudas Iscariotes 153
Iudas Maccabæus 132.133

Iudas Thaddæus, Apostolus 153
Iudæorum duces post captiuitatem pag. 129. & *seq.*
Iulius Cæsar 138.139
Iulius Maximus Thrax, Imp. 161
Iulius I. Episc. Rom. 199
Iulius II. papa 324
Iustinianus, Imp. 198
Iustinianus II. Imp. 238
Iustinus iunior, Imp. 198
Iustinus Philosophus & martyr 170
Iustinus Thrax, Imp. 197

L.

Lactantius Firmianus 173
de eius scriptis iudicium Hieron. *ibid.*
Lumedius 9
Lando I. papa 271
Lanfrancus, Theologiæ professor. pag. 284. 285. 290. 291
Lateranense Concilium 367. 376. 481
Leo M. Imp. in Oriente 197
Leo IV. Constantini filius, Imp. 239
Leo Primus, cognomento Magnus, papa. pag. 202. 203.
Leo II. papa 242
Leo III. papa 262
Leo IV papa 264
Leo V papa 270
Leo VI. papa 271

Leo Octauus, papa 274
Leo Nonus, papa 280
Leo Isaurus, Imp. 239
Leo iunior, Imp. 197
Leontius, Imp. 238
Liberius Primus, papa 199.200
Licinius Valerianus, Imp. 162
Linguarum confusio 13
Linus, Episc. Romanus 156
Lombardici regni initium 198
Lotharius, Imp. 239
Lotharius Secundus Imp. 302
Lothus 16.18
Lucas Euangelista 152
Lucius, Episc. Rom. 167
Lucius Secundus, papa 316
Lucius Tertus, papa 318
Lucius, hareticus 231
Ludouicus Pulcher, Imp. 306
Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, Imp. pag. 258
Ludouicus Secundus, Imp. 259
Ludouicus Tertius, cognomine Balbus, Imper. pag. 259
Ludouicus Quartus, Arnulphi filius, Imp. 260
Ludouicus Quintus, Bauarus, Imp. 306
à Papa ad Concilium prouocat ibid.
Iohan. XXII. papam deponit 307
rescindit acta Pontificum ibid.
petit absolutionem à papa ibid.
abdicatur à proceribus imperij 308

Lugdunense Concilium generale 377
Lutherus contra indulgentias Pontificias disputat. 382
Romam citatus non comparet, sed apud Caietanũ causam dicit 383
VVormatia in frequentissimo Procerum imperij consessu, intrepide se tuetur. ibid. & seq. pag.
ab Electore Saxonico seruatur 384
Luthero, quod VVormatia fides seruata, cui acceptum ferendum 384

M.

Maccabæorum, siue Asmonæorum principatus. 132. 139
Mahalael Patriarcha 8
Mahumedes, Turcicæ secta author 248
fingit colloquia cum Michaele Archangelo. ibidem.
Mecam vrbem expugnat 249
Mahometica blasphemiæ origo 237
Mahumetismus 247 248. 249
Manahemus regnum inuadit 111. 112
Manasses rex 96. 97
Manes, hæreticus 186. 187
Manichæorum hæresis 186. 187
Manuel Comnenus 303
Marcellinus, Episc. Rom. 168
Marcellus, Ancyræ Episc. hæreticus 230
Marcellus I. Episc. Rom. 168

Marcion, hæreticus 17
Marcus Euangelista, Epitomator Matthæi 15
Marcus, Episc. Rom. 19
Marcus, hæreticus 17
Maria, soror Mosis 59
Maria virgo, mater Domini Saluatoris nostri. pag. 144
Marius Victorinus 215
Marozia meretrix Papam filio beat. 271.272
M. Marsilio ab Inghen, Theologiæ Doctor Heidelbergæ 355
Martianus, Imp. 196.197
Martinus I. papa 242
Martinus II. papa 267
Martinus IV. papa 324
Martinus V. papa 334.335
Mauritius Cappadox, gener Tiberij, Imperator. pag. 199
Matthatias sacerdos, legis diuinæ defensor. pag. 132
Matthæus, alio nomine Leui, filius Alphæi, Apostolus & Euangelista 151
Matthias, Apostolus 151
Mathusalem omnium mortalium diutissime vixit. pag. 9
Maxentius, Imp. 16
Maxentius, vir magnæ eruditionis 22
Maximilianus I. Imp. 31
Maximinianus, Imp. 16
Maximinus Galerius, Imp. 16
Maximinus alter, Imp. 16

Melchisedechus, Sacerdos 17
Menander, hæreticus 157.158
Mersburgensis Synodus 300
Metensis Synodus 297.300
Michael Palæologus, Imp. Constantinopolitanus pag. 323
Micheas Propheta 102
Midianitæ 64
Miltiades, Episc. Rom. 169
Moguntia ab antiquo Nequam 309
Moguntina Synodus 297.298.301.375
Monothelitæ, hæretici 181
Montanus, hæreticus 181
Moses Propheta 54
eius uxor 55
Moses legatus Dei ad Pharaonem 55
Mosis pericula 57.59
Moses moritur 59
sepulchrum eius incognitum 59

N.

NAbothus 107
Nabuchodonosor 98. & seq. 121. 122
Nachor 15
Nadbus 106
Nahum propheta 117
Nathan propheta 80. & seq.
Nazareorum triplex votum 67
Nehemias 131
Nerua Cocceius, Imp. 156

Nestorius, hæreticus 232.233
Nicænum Concilium II. 256
Nicænum Concilium 233
Huic interfuerunt 318. Episc. ibid.
Concilij præses 234
Nicanor Syriæ regis legatus 133
Nicolaus M. papa 266
Nicolaus Secundus, papa 280.281
Nicolaus Tertius, papa 324
Nicolaus Quartus, papa 325
Nicolaus Quintus Genuensis, papa 336.337
Doctus fuit & doctorum fautor ibid.
Nicolaus de Lyra 353
Nicolaus Cusanus Cardinalis 357
Nimrodus primus Monarcha 13
Noamus 10.11.12.13
Noetiani, hæretici 180
Nouatus, hæreticus 183
Nouatianus, hæreticus 184

O.

Obadias propheta 103
Ochozias, siue Ahasia 89
Onias, summus sacerdos 126
Onias Secundus, Onia I. nepos, summus Sacerdos. 127
Optatus Mileuitanus Episc. 216
Ophita, hæretici 178
Organa Musica quis primus templis inuexerit? pag. 242

Origenes Adamantius 171
Origenista, haretici 185
Origeniani, haretici 179
Osrius rex 251
Otho Magnus, Imp. 260
Otho II. Imp. 261
Otho III. Imp. 261
Otho IV. Brunsuicensis, Imp. 262
Othoniel liberator Israelitarum 62

P.

Pantanus, Philosophus primum, deinde Theol. Christianus 171
Papa Romani 199.220.262
Papa à Syluestro II. ad Gregorium VII. fere omnes nobiles magi fuere 278
Papa tres simul pro sede Pontificia pugnant. pag. 279
Papalis Omnipotentia, siue Καισαροπαπισς initium 237
Papalis sedes triceps est
Papismus exoritur 333
Parisiensis Academia 247
Paschalis II. 258
Paschalis III papa 314.315
Patriarcharum liberi cum Cainitis matrimonia iungunt 318
unde nascuntur gigantes impij 9
Paulus, Apostolus ibid.
Paulus Burgensis, Episc. 153.154
353

Paulus Samosatenus, hareticus 185
Paulus I. papa 245
Paulus II. papa 339
Epigramma in eum *ibid.*
Paradisus 5
Parisiensis Synodus 378
Pecarex Samariæ 112
Pelagius, hareticus 232
Pelagius I. papa 208
Pelagius II. papa 208
Petrus de Alliaco 355
Petrus Cluniacensis, Abbas 344
Petrus Comestor 346. 347
Petrus Dresdensis 366
Petrus Lombardus, Magister sententiarum 345
Petrus de Tarentesia 351
Petrus VValdus, ab eo VValdenses dicti 358
Phalechus 15
Phalestini 40. annos Israelem premunt 67
Pharao Nechao 98
Pharaonis somnium & huius interpretatio 44. 45
Pharaonis sæua tyrannis 53. 55
Pharaonis submersio 57
Pharisæorum origo 135
Pharensis Synodus 252. 253
Philippus Apostolus 151
Philippus Arabs, primus Imperator Rom Christianus 161
Philippus Diaconus 151
Philippus, frater Henr. VI. Imp. 304
Philippus Tetrarcha Trachonitidos 142

Philippico, Imp. oculi effodiuntur 238
Phocas nefarius parricida, Imp. 237.240
Photinus, Episc. Lugdunensis 170
Photinus, hæreticus 230.231
Pipinus, Francorum rex 245
Pisis Concilium celebratur 379
Pius I. *Italus Aquileiensis, Episc. Rom.* 165
Pius II. *papa* 338.339
Pius III. *papa* 342
Plagæ Ægypti 56
Polycarpus, Smyrnæ Episc. 169.170
Pompeius Magnus 138.139
Pontianus, Episc Rom. 166
Pontificum Iudæorum series 125. *& seq.*
Pontiponensis Synodus 298
Primogenituræ dignitas apud veteres 21
Principum electorum origo 277
Priuatus quidam hæreticus damnatus 190
Prosper Aquitanicus 225
Ptolomæus, hæreticus 176
Ptolomæus Philadelphus 127
Ptolomæus, Hierichuntis præfectus 134
Pyrrhus 251

Q.

Quotlibetorum liber 348

R.

Rabanus Maurus, Fuldæ Abbas 282
Rachisus Longobardorum rex 245
Rauennatensis Synodus 299
Rebecca vxor Isaaci 20
Recesurinthus, rex Gothorum 254

Reformationis historia compendiosa. pag. 382. & seq.
Reges decem tribuum 105
Regu 15
Religionis impius pratextus 27
Rezin rex Syria 112
Rhotaris Longobardorum rex 242
Richardus de S. Victore 344
Robertus Holkoth, professor Theologia 354
Roboamus, filius Salomonis, rex 84.86
sub hoc contigit funesta distractio 85
Romana Synodus 250.299.375
Romana Synodus, sub Martino papa 251
Romana Synodi duæ 297
Roma Concilium celebratur, sub Stephano papa. pag. 256
Romani imperant Iudæis 140.143
Romanus I. papa 269
Rubus ardens 55
Rudolphus I. Habspurgensis, Imp. 305
Rupertus, Bauaria Dux, Comes palatinus Rheni, 305

S.

Sabelliani, haretici 184
Sabinianus, papa 210
Sadducæorum origo 135
Sale 14
Sallumus seditiosus 111
Salmanassar Assyrius rex 113.114
Salomon rex 81

Templum & vrbes extruit 83
eius vxores, mores, mors 84
Samaria 107.113
Samariæ obsessio 108.109
fames in ea 108.109
Samgarus 63
Samson, fortissimus heros 67.68
Samuel Propheta 71.73
Sara, vxor Abrahami 18
Saraceni Christianos vexant 241
Sardicensis Synodus 234
Saturninus, hæreticus 174
Saul primus Rex Iudæorum 73. & *seq.*
Saxonum conuersio ad fidem Christianam pag. 257.
Schisma propter sacerdotum matrimonia 368
Schisma inter Gregorium VII. *& Henricum* IV. 369 *& seq.*
Scholastici Doctores 283
Scholastici cur sic dicti 286
Scholasticorum 4. *errores taxantur* 287. & *seq.*
Scholastica Theologiæ triplex ætas 289
Scholasticorum media ætas 349
Sebæ seditio 81
Secundus, hæreticus 176
Seleucus rex 127.128
Seleuciensis Synodus 234
Sella Petri porphyretica 265
Semus Patriarcha 14
Senecharibus 95

Septuaginta interpretes 127
Serug 15
Sergius Monachus, Arianus 248
Sergius I. Papa, spurium habuit 243
Sergius II. Papa 263.263
Sergius III. papa 270.271
Sergius IV. papa 278
Sesacus 85
Sethus Patriarcha 7
Seuerus, Imp. 161
Seueriani, haretici 182
Seuerinus, papa 241
Sichem vrbs 26.65
Sichemitarum cædes 27
Sigismundus, Caroli IV. filius, Imp. 309
Siluerius, Hormisdæ filius, Papa 207
Simon Petrus, Apostolus 147. & seq.
Simon Magus, omnium hæreseon fons & parens. pag. 157
Simon, summus sacerdos 126.127
Simon, cognomine Thassius, Iudæorum Dux & Pontifex 134
Simon Zelotes, Apostolus 203.204
Sinai mons 58
Siricius, Papa, osor coniugij 200
Sirmiensis Synodus 234
Sisara Dux belli 63
Sisinnius I. 20. dies papa 243
Sixtus I. Episc. Rom. 164

Sixtus II. *Episc. Rom.* 167
Sixtus III. papa 202
Sixtus IV. *papa* 340
Sodoma horrendum excidium 18
Solis regressus mirabilis 96
Sophonias propheta 102
Sorbona, Collegium Scholasticorum 290
Soter Fundanus, Episc. Rom. 165
Spirensis Basilica exstruitur 262
Stephanus, Episc. Rom. 167
Stephanus II. *papa* 245
superbus asinus fuit *ibid.*
Stephanus III. *papa* 246
Stephanus V. papa 263
Stephanus VI. papa 263
Stephanus VII. *papa* 272
Stephanus VIII. *papa* 272
Stephanus X. *papa* 280
Sutriensis Synodus 300
Syluester I. *papa Rom.* 199
Syluester II. *ope diaboli fit papa* 277
Symmachus, papa 204. 205
Synodus in Africa contra Monothelitas 251
Synodi duæ in Africa 189
Synodi, Antiochenæ 190
Synodorum nullus vtilis finis 220
Synodus apud Acciniacum 298
Synodus in Arabia, sub Philippo Imp. 189
Synodus sub Clodoueo, Francorum rege 253
Synodus Romana, sub Victore Rom. Episc. 188
Synodus iussu Ariamiri celebrata 250
Synodus Sessuana 190

Tatia-

T.

TArianorum hæresis 180
Templariorum ordo deletus 378
Tertullianus, Doctor Ecclesiæ, 172. fit montanista, ib. & 183
Tertullianista 183
Tharah, pater Abrahami 15
Tharmutis filia Pharaonis 54
Thelesphorus, Episc. Rom. 164
Theodotus, papa 241
Theodisdus, Archiep. Hispal. 253
Theodoricus rex Arianus 205.206
Theodorus 251
Theodosius Adramittenus, Imp. 239
Theodosius M. portus tranquillus Ecclesiæ 194
excommunicatur ab Ambrosio 195
Recipitur in Ecclesiam ibid.
Theodosius II. Arcadij filius, Imp. Orientis 196
Theodoretus, Episc. Cyri 224
Theodorus, papa 241
Theodorus II. papa 270
Theodotianorum hæresis 182
Theologi & testes veritatis præcipui 351. & seq.
Theologi præcipui Ecclesiæ Evangelicæ 431
in Heluetia 432. Germania superiore 433. Liuonia ibid. Hispania 434. Scotia ibid, 435. Angliæ ibid. Daniæ ibid. Hungaria 436
Theologi Pontificii 436
Theologiæ Scholasticæ ortus, progressus, qualitas 283. & seq.
Thibnius 107
Thola 65

Tho-

Thomas Didymus, Apostolus 152
Tiberius Absimarus Imp. Leontio, nasum præcidit. 238
Tiberius Anicius, Imp. 198
Tiglat Phulassar Rex Assyriorum 93
Tirza 106.107
Titus Vespasianus, Imp. 155
Toletanum Concilium 250
Toletana Synodus 6. 253
Toletanum Concilium 7. 253
Toleti habetur Synodus 8. 254
Toletani conuentus Episcoporum 255
Transubstantiationis error 284
Trebonianus Gallus, Imp. 162
Trecanensis Synodus 298
Trecense Concilium 376
Turcarum nomen primum auditur 199
Typographia quando inuenta 311

V.

VAlens, Imp. Arianus 193.194
Valentinus, hæreticus 175.176
Valentinianus, Imp. 193
Valentinianus II. Imp. occidentis 196
Valentinianus III. vltimus Occidentis Imp. 194
Vdalricus Argentinensis 351
Vercellensis Synodus 301
Victor I. Episc. Rom. 166
Victor II. papa 280.317.318
Victor III. papa 313
Victor IV. papa 315
Viennense Concilium generale 378
Vigilius martyr, Episc. Tridentinus 225

Vigilius, papa 207
Vintonienſis Synodus aſſerit coniugium ſacerdotum. 300
Vitalianus, papa 242
Vitulus aureus 58.105
Vladislaus Hungariæ rex 335
Vlpius Traianus, Imperator 159
Vrbanus I. Epiſc. Rom. 166
Vrbanus II. papa 314.372.373
Vrbanus III. papa 319
Vrbanus IV. papa 322
Vrbanus V. papa 330.331
Vrias 39.80
Vltima & peſſima ætas Theologiæ ſcholaſticæ 354

W.

WEnceslaus, Imp. 308
WVilhelmus Angliæ rex 372
WVormatienſe Concilium 376
WVormatienſia Comitia 383
WVormatienſis Synodus 298

X.

XImenius Card. Vetus Teſtamentum linguâ Hebræa edi curat 432

Z.

Zacharias Propheta 130
Zacharias lapidatus 91
Zacharias Ieroboam filius rex Iſraelis 111
Zacharias I. papa 244
Zedechias vltimus rex Iudæ 99.100.119
Zeno, Imp. 197

Zepherinus, Episc. Rom. 166
Zimrius 106.107
Zingari, siue Zeugini primum in Germaniam veniunt 310
Zippora, vxor Mosis 55
Ziska Hussitarum Dux fortissimus 364.365
Zorobabel Dux 124.129.130.131
Zosimus, papa 201

FINIS.

3 Bl. 30 Bild.

Anno 1662. 19. Feb.

Dux Braunschweigensis

Ludwig von Hannover

18 xxx.
12 x
9 xx
3 x.

Habe ich Wissen wie ich
in Frankreich 1360 an.
Anno 1668 die 11 Aug.
2 Wege 7 Uhr Abends [illegible]

abcdefghiklmnopqrstuvwxyz



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN